# TRACTATUS

DE

# VERA RELIGIONE

Typis Guinart et Pujolar, in via Bruch, 63.—Barcinone.

# TRACTATUS

DE

# VERA RELIGIONE

AUCTORE

JOANNE MUNCUNILL

E SOCIETATE JESU

---

Cum superiorum permissu

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library




BARCINONE

GUSTAVUS GILI, Editor

45, Via Universidad, 45

ANNO MCMIX

26893

*Cum opus, cui titulus est* **Tractatus de vera religione,** *a P. Joanne Muncunill nostrae Societatis sacerdote compositum, aliqui ejusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.*

*In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.*

*Dertusae 15 Aprili 1908.*

ANTONIUS IÑESTA S. J.

IHS

Praep. Provincialis Aragoniae
Soc. Jesu

---

**IMPRIMATUR:**

*Barcinone 18 Julii 1908.*

VIC. GEN.

† **Richardus,** *Episcopus Eudoxensis*

De mandato,
LIC. EMMANUEL FERNÁNDEZ, PRAESB.
*Secret.*

# INDEX


Págs.

PROOEMIUM . . . . . 1

## DISPUTATIO PRAEAMBULA
### AD UNIVERSAM THEOLOGIAM

#### De theologia in se ipsa considerata

Art. I.—De theologiae definitione et divisione . . . . . 3
Art. II.—De theologiae objecto . . . . . 7
Art. III.—De theologiae natura . . . . . 11
Art. IV.—De theologiae excellentia aliisque proprietatibus . . . . 16
Art. V.—De theologiae necessitate et utilitate . . . . . 19
Art. VI.—Historiae theologiae brevissima recensio . . . . . 28

## DE VERA RELIGIONE

DISPUT. I

**De revelatione ejusque criteriis necnon de auctoritate evangeliorum et actuum apostolorum**

CAP. I.—*De Revelatione* . . . . . 34
Art. I.—Notiones aliquae praevie declarandae . . . . . 34
Art. II.—De revelationis possibilitate in genere . . . . . 43
Th. I.—Deus locutione sua potest homini immediate manifestare res ignotas, seu proprie revelare potest. . . . . 45
Th. II.—Nec repugnat revelatio Dei mediata, seu potest Deus sua locutione alicui res ignotas manifestare et per hunc aliis eadem patefacere . . . . . 48
Th. III.—Convenientius est ut revelatio fiat mediate: attamen ille qui tanquam Dei minister aliis divinam revelationem denuntiat, debet et certitudinem suae legationis habere et eam modo certo aliis probare. 50
Art. III.—An Deus mysteria resque absolute supernaturales revelare possit . . . . . 53
Th. I.—Non demonstratur mysteriorum repugnantia, imo non desunt rationes verisimiles pro eorum existentia . . . . . 55
Th. II.—Non demonstratur repugnare hominis elevationem ad finem supernaturalem per media supernaturalia, imo id verisimile suadetur. 57
Th. III.—Revelatio mysteriorum sive immediata sive mediata est possibilis . . . . . 58
Art. IV.—De revelationis convenientia . . . . . 60
Th. I.—Revelatio Deo conveniens est . . . . . 60

Págs.

Th. II.—Divina revelatio homini conveniens est, praesertim veritatum ordinis moralis . . . . . 61
Th. III.—Revelatio quoque mysteriorum est homini conveniens. . . 63
Art. V.—De revelationis necessitate. . . . . 64
Th. I.—Revelatio moraliter necessaria est ut homines generatim convenientem finis ultimi naturalis mediorumque ad eum conducentium notitiam habere possint, nisi Deus generi humano aliter provideret. 66
Th. II.—Homini ad finem supernaturalem evecto revelatio absolute necessaria est ut ipse suis actibus liberis in eum finem tendere possit . . . . . 79
Art. VI.—De revelationis inquirendae ejusdemque amplectendae obligatione . . . . . 81
Th. I.—Homines qui ad revelationem pro omnibus factam cognoscendam adhuc non pervenerunt, eidem inquirendae per se astringuntur. 82
Th. II.—Inquisitio verae revelationis non est facienda examine philosophico aut interna experientia, sed perscrutatione signorum externorum quibus factum revelationis directe demonstratur . . . . 86
Th. III.—Revelatione pro omnibus facta sufficienter cognita seu proposita adest gravis ejusdem amplectendae obligatio . . . . . 89
Th. IV.—Tum revelatio est sufficienter proposita, quum de ea certo constat . . . . . 91
Th. V.—Ut quis revelationem amplectatur, opus est de illa certo constare . . . . . 93
Cap. II.—*De revelationis criteriis.* . . . . . 97
Art. I.—De criteriis in genere . . . . . 97
Th. I.—Criteria positiva sunt potiora negativis, et externa aliquo modo sensibilia internis et insensibilibus . . . . . 99
Th. II.—Argumentis quibus revelationis existentia certo probatur, convenienter alia tantum probabilia adduntur . . . . . 100
Art. II.—De miraculi natura et divisione . . . . . 100
Th.—De ratione miraculi est superare vires totius naturae creatae. . 102
Art. III.—De miraculi possibilitate et cognoscibilitate. . . . . 115
Th. I.—Miracula sunt vere possibilia . . . . . 115
Th. II.—Miracula immediate vel mediate certo cognosci possunt . . 123
Art. IV.—De miraculorum ad aliquid probandum efficacia. . . . . 130
Th.—Miracula ad doctrinam aliquam religionemve veram probandam effecta id certo faciunt . . . . . 132
Art. V.—De prophetia in genere. . . . . 142
Th. I.—Possibilis est prophetia strictissime talis. . . . . 147
Th. II.—Prophetia certo cognosci potest . . . . . 148
Th. III.—Prophetia impleta et facta in confirmationem alicujus doctrinae religionisve est argumentum certum illius veritatis . . . 151
Art. VI.—De ceteris criteriis. . . . . 152
Th. I.—Evidens doctrinae falsitas vel ejusdem cum bonis moribus repugnantia est criterium negativum certum doctrinae a Deo non revelatae . . . . . 155
Th. II.—Doctrinae veritas juxta principia naturalia ejusque cum lege naturali consensio est aliquo modo revelationis ut divinae criterium, non tamen primarium . . . . . 156
Th. III.—Interna experientia qua percipitur gratus animi sensus ob convenientiam doctrinae cum hominis natura potest aliquo modo esse revelationis ut divinae criterium, sed insufficiens . . . . . 157
Th. IV.—Fructus boni seu boni mores qui ex aliqua doctrina consequuntur, sunt aliquo modo criterium divinae revelationis, sed secundarium dumtaxat. . . . . 159
Th. V.—Dei illustrationes et motiones interiores possunt esse aliquod divinae revelationis criterium; quod tamen inter principalia non est computandum. . . . . 160
Art. VII.—De methodo tenenda in demonstratione verae religionis . . 161
Cap. III.—*De auctoritate historica Evangeliorum et actuum Apostolorum.* 170

Págs.

Art. I.—De quatuor Evangeliorum genuinitate . . . . . 170
Th. I.—Quatuor Evangelia sunt genuina . . . . . 173
Th. II.—Evangelium secundum Matthaeum est genuinum . . . . 178
Th. III.—Evangelium secundum Marcum est genuinum . . . . . 183
Th. IV.—Evangelium secundum Lucam est genuinum . . . . . 187
Th. V.—Evangelium secundum Joannem est genuinum seu auctorem habet S. Joannem. . . . . 192
Art. II.—Utrum quatuor Evangelia sint integra et veridica . . . . 203
Th.—Quatuor Evangelia sunt integra et veridica. . . . . 203
Art. III.—De auctoritate actuum Apostolorum . . . . . 208
Th.—Actus Apostolorum sunt liber genuinus . . . . . 208

## DISPUT. II

### De religionis christianae veritate

Cap. I.—*Religionis christianae veritas ex miraculis demonstratur* . . 213
Art. I.—Veritas religionis christianae ex miraculis generatim demonstratur. . . . . 213
Th.—Miracula a Christo patrata veritatem religionis christianae certo commonstrant . . . . . 215
Art. II.—Veritas religionis christianae ex Christi resurrectione demonstratur . . . . . 226
Th. I.—Jesus-Christus vere mortuus est . . . . . 227
Th. II.—Christus vitam amissam per resurrectionem vere recuperavit, idque veritatis religionis christianae ineluctabile est argumentum . 231
Art. III.—Veritas religionis christianae ex Apostolis confirmatur. . . . 243
Th.—Missio Apostolorum ut divina, atque eorum doctrina ut vera a Deo innumeris miraculis comprobantur. . . . . 243
Cap. II.—*Veritas religionis christianae ex prophetiis demonstratur* . . 248
Art. I.—Nonnulla praemittuntur. . . . . 248
Art. II.—De variis Messiae characteribus . . . . . 253
Th. I.—Deus Adamo, Abraham, Isaac et Jacob salutem et bona spiritualia a Messia in omnes gentes afferenda promisit, atque ideo ipsum Messiam ex ipsis oriturum . . . . . 253
Th. II.—Messias nasciturus erat Bethlehem ex stirpe David et ex Virgine . . . . . 257
Th. III.—Messias praecursorem habebit, eritque mitis et humilis, rex spiritualis omnium gentium . . . . . 264
Th. IV.—Messias futurus quoque est legislator et propheta, atque ut servus Dei ab Isaia describitur, necnon ut filius hominis a Daniele. 272
Th. V.—Messias praedicitur verus Deus, sacerdos, necnon multa miracula patraturus. . . . . 279
Art. III.—De morte violenta et resurrectione Messiae, necnon de regno messianico . . . . . 286
Th. I.—Passio et violenta Messiae mors earumque circumstantiae variae in V. T. distincte praenuntiantur . . . . . 286
Th. II.—Messias praedicitur resurrecturus . . . . . 296
Th. III.—Regnum messianicum justitia et sanctitate splendens per universum orbem propagabitur atque in perpetuum durabit . . . . 298
Art. IV.—De tempore adventus Messiae. . . . . 302
Th. I.—Ex Gen. XLIX, 10. Messiam promissum jam pridem advenisse colligitur . . . . . 303
Th. II.—Ex Dan. IX, 24 et sq. Messiam jam advenisse ostenditur . . 309
Th. III.—Ex Malachia III, 1, jam a multis saeculis Messiam advenisse ostenditur. Item ex Aggaeo, II, 7-10 . . . . . 316
Art. V.—Jesus Christus est verus Messias judaeis promissus . . . . 321
Th. I.—Jesus Christus est verus Messias . . . . . 321

Págs.

Th. II.—Messias, et ideo Jesus Christus, est legatus Dei, et religio ab eo fundata vera . . . . . 330
Art. VI.—De vaticiniis a Jesu Christo editis. . . . . 331
Th.—Christus prophetias strictissime tales edidit, quibus ejus divina missio et veritas religionis ab eo fundatae demonstratur . . . . 331
Cap. III.—*De ceteris criteriis quibus veritas religionis christianae comprobatur* . . . . . 337
Art. I.—Veritas religionis christianae ex vita et auctoritate Jesu Christi. 337
Th. I.—Vita Jesu Christi veritatem religionis christianae multum suadet . . . . . 337
Th. II.—Auctoritas Jesu-Christi veritatem religionis christianae multum suadet . . . . . 340
Art. II.—Veritas religionis christianae ex ipsius doctrina . . . . . 343
Th.—Ex ipsa doctrina christiana ejus veritas valde suadetur . . . 346
Art. III.—Veritas religionis christianae ex mirabili ejusdem propagatione . . . . . 354
Th.—Celerrima religionis christianae propagatio ratione modi, quo peracta est, veritatem religionis christianae confirmat . . . . . 356
Art. IV.—Veritas religionis christianae ex fructibus demonstratur . . 366
Th.—Religio christiana maximam morum mutationem induxit, quae quidem virtuti divinae tribuenda est, et ideo ejus veritatem ostendit. 366
Art. V.—Veritas religionis christianae ex martyribus . . . . . 372
Th.—Testimonium martyrum, necnon eorum invicta fortitudo et constantia ceteraeque virtutes veritatem religionis christianae commonstrant . . . . . 378
Art. VI.—Veritas religionis christianae ex ejus mirabili conservatione. 385
Th. I.—Conservatio Ecclesiae catholicae seu religionis a Christo institutae veritatem ipsius confirmat. . . . . 388
Th. II.—Ecclesia catholica in sua conservatione iis notis insignitur, quae eam divinam et veram religionem ostendunt . . . . . 390

## DISPUT. III

### De religionis a christiana diversis

Cap. I.—*De vera religione ante Christum* . . . . . 394
Art. I.—De religione primitiva . . . . . 394
Th.—Revelatio primitiva erat divina, veritatesque fundamentales complectebatur, atque per revelationem christianam erat complenda. 395
Art. II.—De revelatione mosaica . . . . . 399
Th. I.—Revelatio seu religio mosaica fuit vere divina . . . . . 400
Th. II.—Lex mosaica a Messia abroganda erat . . . . . 404
Cap. II.—*De falsis religionibus* . . . . . 406
Art. I.—De polytheismo in genere . . . . . 406
Th. I.—Polytheismus sub qualibet forma est falsa religio . . . . 407
Th. II.—Polytheismus non fuit religio primitiva, sed ex hominum culpa originem duxit . . . . . 408
Art. II.—De buddhismo . . . . . 409
Th.—Buddhismus omnino repudiandus est. . . . . 411
Art. III.—De mohammedismo . . . . . 412
Th.—Mohammedismus est falsa religio . . . . . 413
Index Auctorum. . . . . 415
Index alphabeticus . . . . . 419

# PROOEMIUM

Ea est temporum, quae assequimur, iniqua conditio, ut quam antea Ecclesiae catholicae hostes impudentiam veluti per gradus quosdam exhibuerint, eamdem nunc, laxatis prorsus habenis, totam simul audeant in aspectum lucemque proferre. Nostris enim temporibus non jam, uti transactis saeculis, aliquod peculiare dogma impetitur, sed ipsa religionis christianae fundamenta increduli et rationalistae maximo conatu subvertere machinantur. Non sane doctrinam aliquam ut primigeniae revelationi contrariam, non unum vel alterum mysterium, non hoc vel illud supernaturale donum, non aliquot Sacrae Scripturae libros, tanquam non divinitus inspiratos, moderni religionis christianae hostes repudiant; verum omne supernaturale aedificium, omnem revelationem, disciplinam denique omnem, divina auctoritate et locutione nixam, funditus convellenda atque inter figmenta computanda blaterant.

Ita recentiores verae religionis inimici omnia esse naturaliter explicanda, omnia secundum cursum rerum naturalem evenire, ipsum Jesum Christum nihil fuisse aliud nisi merum hominem, valde tamen extraordinarium illum quidem et insignem, contendunt. Quae res tam sunt hodie apud improbos homines in usu positae, ut ad ejusmodi perniciosos et capitales errores defendendos propagandosque innumeri fere libelli continuo excudantur.

Scio equidem viros plures sapientes et pios in divina revelatione et religione christiana propugnanda strenue adlaborasse, multasque ab eis elucubrationes eruditas admodum et solidas, quibus adversariorum doctrina falsitatis convincitur, in lucem editas esse. Nihilominus, quum praefati erroris defensio et propagatio multipliciter fiat, opportuna etiam videtur operum multiplicatio, quibus divina

revelatio et religionis christianae fundamenta exponantur et confirmentur. Atque hoc fuit in causa, cur, pro mea tenuitate si quid in hoc genere praestare possem, hunc *de vera religione* tractatum aggrederer conscribendum, qui pariter esset universae theologiae, quam, Deo dante, in lucem proferam, propaedeuticus.

Nunc vero ut hujus tractatus rationem definiam, illud praemonendum arbitror: quum hac nostra aetate non modo veritates revelatae, sed etiam unius Entis Supremi existentia, cultus ipsi debitus aliaque ordinis naturalis primaria et capitalia fundamenta impugnentur, nonnulli has quoque veritates in tractatu de vera religione esse confirmandas et defendendas, ut aliqui apologetae faciunt, existimabunt, earumque defensionem hoc in libro desiderabunt. Sed quia hujusmodi fundamenta in philosophia accurate demonstrari et vindicari solent; sic ea in opere iis destinato, qui universae philosophiae jam vacarunt, omittenda censui, ut omnia tamen ad revelationem, miracula et prophetias spectantia, diligenter pertractare curarem. Quamquam enim plura, quae huc attinent, ut revelationis et miraculi possibilitas, naturaliter cognoscantur, tamen res illae non sunt mere naturales, neque ad cursum rerum mere naturalium complendum diriguntur, sed ad religionem supernaturalem aut comprobandam et roborandam, aut constituendam. Quocirca de revelatione, miraculis, prophetiis similibusve rebus, necnon de omnibus ad haec pertinentibus in theologia fundamentali, non in philosophia, esse disceptandum existimo.

Ceterum, quum hic tractatus ad existentiam conservationemque divinae revelationis demonstrandam totus referatur, manifestum est ejus probationes in divina revelatione inniti non posse, sed omnino philosophicis et historicis argumentis res est conficienda. Quod quidem moneo, ut intelligatur, si quando SS. PP. utemur testimoniis, ea solummodo a nobis adduci aut quatenus Patres ea quae affirmant, probant, aut quatenus testes probi et sapientes loquuntur.

Id quod etiam de censura theologica dictum cupio, quae quidem multis thesibus adjungitur, non ut doctrinae contra adversarios sit confirmatio, sed ut catholicis, praesertim sacrae theologiae candidatis, jam ab ipso scientiae sacrae vestibulo manifestetur qualitas doctrinae ad regulas Ecclesiae catholicae, intelligantque simul quantum sit veritatum, quas defendimus, quamque immutabile fundamentum.

# DISPUTATIO PRAEAMBULA

AD UNIVERSAM THEOLOGIAM

## De theologia in se ipsa considerata

### ARTICULUS PRIMUS

**De theologiae definitione et divisione**

**1.** Antequam de iis, quae in theologia pertractari solent, agamus, de ipsa theologia agere opportunum est; initio enim cujuslibet disciplinae sive scientiae tradere ejusdem notionem mos communiter receptus est. Atque hoc in theologia fundata in divina revelatione, de qua potissimum in hac disputatione tractandum, magis est necessarium; nam ceterae disciplinae, quum evidentia naturali tanquam universali criterio nitantur, in pluribus inter se conveniunt, et notiones earum generales, quae in logica traduntur, haud difficulter postea singulis scientiis accommodari possunt. Theologia vero, de qua principaliter loquimur, est a ceteris scientiis valde diversa, non enim evidentia naturali nititur, sed divina revelatione credita ut tali. Ideo in ea enucleanda etiam praecise quatenus est disciplina qua varia objecta quatenus per revelationem tradita attiguntur, adest specialis difficultas, quam relinquere inexplicatam non oportet. Praeterea, quum haec theologia inter ceteras disciplinas potissima sit, quidquid ad illam pertinet, investigatione dignum est. Ad haec,

nonnullas ejusdem proprietates ab adversariorum telis vindicare opus est.

**2.** Theologia, juxta etymon, a vocibus graecis Θεός, Deus, et λόγος, sermo, idem est ac sermo de Deo. Juxta rem, si sensu strictiore accipiatur, ita definiri potest: *doctrina de Deo ejusque perfectionibus*. Ita accepta in *naturalem* et *supernaturalem* rite dividitur. *Naturalis* est scientia de Deo ejusque perfectionibus, prout haec ex mundo visibili et naturali ratiocinatione eruuntur; *supernaturalis* vero est disciplina de iisdem rebus tractans, prout ex revelatione divina depromuntur. De theologia naturali in metaphysica disceptatur.

**3.** Verum Theologia supernaturalis, usu in scholis communiter recepto, latiore sensu accipitur, videlicet quatenus non modo ad Deum ejusque perfectiones porrigitur, verum etiam ad res creatas, ut specialem ordinem ad Deum dicentes et ex divina revelatione cognoscibiles. Theologia ita sumpta definiri potest: *Rerum divinarum quae ex revelatione publica inferuntur, sacra doctrina.* Dicitur *rerum divinarum,* quia non modo Deum, sed etiam res creatas Deum specialiter respicientes complectitur; *quae ex revelatione inferuntur,* tum quia ex divina revelatione veritates eruit, tum quia jam admissas ut revelatas supponit nonnullas veritates, ut ex iis aliae depromi possint; *publica,* quia suam doctrinam nonnisi ex illa revelatione, quae immediate vel mediate pro bono omnium hominum facta est, deducit; *sacra,* eo ipso quod in divina revelatione fundatur; denique *doctrina,* non scientia, quia utrum scientia proprie talis sit, necne, theologi non consentiunt, et inferius declarabitur. Revelatio hic non sumitur pro cognitione hausta ex rebus existentibus, sed pro manifestatione veritatis facta a Deo per extraordinarium medium, videlicet per locutionem proprie talem. De theologia, juxta definitionem proxime traditam, in praesenti sermo est; nihilominus ea, quae ad theologiam fundamentalem seu apologeticam spectant, suis locis indicabuntur.

**4. Theologiae divisio.**—1.° In *speculativam* et *practicam* dividitur. Est *speculativa*, quae sistit in cognitione sui objecti; *practica* vero, cujus objectum est faciendum. Speculativa varias partes complectitur, ut tractatum de Deo uno, de Deo trino, de Incarnatione, etc.; similiter practica, ut tractatum de actibus humanis, de virtutibus, de vitiis, de sacramentis, etc. Inter haec membra, speculativa est principalis, quia objectum nobilius habet, videlicet Deum unum et trinum. Ad practicam revocantur *ascetica* et *mystica,* quarum prior mediis ordinariis ad perfectam animae cum Deo

conjunctionem dirigit; posterior id ipsum mediis extraordinariis praestat.

**5.** 2.° In *positivam* et *scholasticam* dividitur. Haec divisio non uno modo explicatur: alii volunt positivam in principiis theologiae stabiliendis et ponendis unice versari, i. e., in stabiliendis Sacris Scripturis et divinis traditionibus earumdemque vero sensu determinando; scholastica vero in eruendis conclusionibus ex principiis stabilitis; alii positivam ad omnia dogmata sive speculativa sive practica extendunt, sed non ultra; et scholasticam ad quaestiones metaphysicas et abstrusas et maxima ex parte nixas in philosophia restringunt. Verum explicatio hac in re tenenda, quaeque fere ab omnibus theologis catholicis traditur, est ea, quae illam repetit non tam a materia, quam methodo, et ideo hanc divisionem proponit non ut duo membra opposita totius theologiae, sed ut duos modos diversos quaestionum theologicarum pertractandarum. Juxta hanc explicationem *theologia positiva* ita describi potest: illa, quae stylo fusiore et ad regulas dialecticae non accommodato dogmata ex Scripturis, Patribus, aliisque traditionis monumentis exponit et demonstrat, et hic fere sistit; *scholastica vero* ea, quae stylo simplici, plano et ad regulas dialecticae accommodato dogmata non modo definit, explanat, et ex Scripturis et traditione demonstrat, verum etiam et in iisdem inter se et cum veritatibus philosophicis conciliandis, et in confirmandis ex mutuo eorum nexu, et in consectariis eruendis peculiariter elaborat, atque argumentis merae rationis naturalis ut auxiliariis et alienis, non tanquam propriis, utitur. Ratio positae explicationis est, quia hoc modo differunt opera theologiae positivae nuncupata, ut, v. gr., scripta Patrum, ab iis, quae theologiae scholasticae nuncupantur, et non differunt praecise ratione materiae, quum in multis eadem a Patribus tractata sint, quae deinde ab scholasticis accurate dilucidantur.

Ex dictis colligitur ea theologica studia, quae ut Scriptura Sacra, Jus canonicum, etc., in dogmatis inter se et cum veritatibus philosophicis conciliandis non peculiariter elaborant, ad theologiam scholasticam non pertinere, sed ad positivam esse revocanda.

**6.** 3.° Ab aliis theologia, ratione muneris, in *scripturalem, dogmaticam, polemicam, moralem* et *scholasticam* dividitur. Haec divisio, sicut proxime praecedens, non dividit totam theologiam, cujus definitio n.° 3 tradita est, in membra invicem opposita, prout exigunt regulae divisionis; tamen quia lucem affert iis, de quibus in studiis theologicis agitur, illam adduco. De *scholastica,* jam dictum; item de *dogmatica,* nam, quatenus ab scholastica distincta, aut est

proprie positiva jam declarata, aut ad eam reducenda. *Scripturalis* explanat modo scientifico omnia ad Sacras Scripturas spectantia, i. e. illarum authentiam, linguam originalem, auctores, sensus, rectam intelligentiam, antilogiarum solutionem, etc. et *Polemica* assumit ut scopum specialem defendere fidei doctrinam vel ejus consectaria contra haereticos vel alios hostes, qui aliqua fidei principia admittunt. Denique *moralis* vel est eadem theologia practica supra definita, vel si ab ea distinguatur, est applicatio theologiae practicae et legum ecclesiasticarum ad actiones humanas, ut hae evadant rectae, et in ultimum finem tendant. Haec applicatio solet vocari *casuistica*. Jus canonicum a theologia morali distinguitur, quatenus haec rectam conscientiae directionem internam, illud Ecclesiae bonum regimen externum respicit.

**7.** Theologia scripturalis, seu studio Sacrarum Scripturarum operam dans, quatenus ex criteriis philosophicis et historicis statuit aetatem, in qua libri sacri fuerunt exarati, eorum auctores, linguam primigeniam, integram conservationem, sensum legitimum, etc., non pertinet ad theologiam definitam n.° 3, ut pars illam constituens, quia non nititur principiis revelatis, sed mediis naturalibus; verum ad illam pertinet *reductive* et ratione finis. Etenim potissima ratio Sacris Scripturis vacandi est, ut comprobetur et defendatur verbum Dei scriptum, et ejus legitimus sensus determinetur; verbum autem Dei scriptum ad theologiam stricte talem sive positivam, sive scholasticam pertinet, utpote ipsius principale fundamentum et principium. Attamen theologia scripturalis, quatenus ex fontibus revelatis ut talibus demonstrat auctoritatem S. Scripturae, aut ejus sensum, aut aliud ad illam spectans, revera ad theologiam proprie talem pertinet, nam hujus proprium etiam est ex principiis revelatis jam admissis alias veritates revelatas vel consectaria ostendere, ut inferius dicetur.

**8.** *Theologia fundamentalis,* cui varia nomina a diversis tribuuntur, ut *theologia generalis, apologetica, quaestiones* vel *institutiones propaedeuticae ad theologiam,* etc., est illa, quae demonstrat existentiam revelationis christianae ut vere divinae, necnon medium et fontes, quibus eadem incorrupte conservata est, et jugiter conservabitur. Medium quo revelatio christiana incorrupte conservata est et jugiter conservabitur, est Ecclesia catholica; et fontes sunt Sacrae Scripturae et traditiones divinae, quae variis instrumentis transmittuntur, sed potissimum scriptis Patrum et theologorum. Ex ipsa theologiae fundamentalis definitione eruitur eam in triplicem saltem partem esse dividendam, sc. in tractatum de existentia reve-

lationis christianae ut vere divinae, seu de vera religione, in tractatum de Ecclesia, et ideo de Romano Pontifice ipsius capite, et denique in tractatum de fontibus revelationis. Scopus theologiae fundamentalis est duplex, nempe revelationem christianam contra incredulos defendere, et ejusdem veritatem demonstrare, et hac ratione viam ad theologiam sive positivam sive scholasticam praeparat. Praestat primum solvendo objectiones incredulorum contra revelationem christianam et ipsius fundamenta, alterum, quum argumentis positivis veritatem ejusdem revelationis comprobat, et sic ostendit veram revelationem tum in ejus origine, tum in conservatione, viamque ad theologiam dogmaticam parat. Propter hanc munerum et finis diversitatem haec disciplina accipit varia nomina supra indicata et alia; speciatim vocatur theologia fundamentalis, quia defendit et comprobat fundamentum theologiae sive positivae, sive scholasticae, nempe revelationem christianam.

**9.** Theologia fundamentalis quatenus criteriis philosophicis et historicis veram revelationem publicam incorrupte conservatam demonstrat, est disciplina diversa a theologia, sive positiva sive scholastica; haec enim nititur in divina revelatione, et illa in criteriis philosophicis et historicis. Nihilominus ad theologiam proprie talem revocanda est; tum quia est ipsius auxiliatrix, tum quia ad eam, ut finem, ordinatur, sc. ad ostendendam revelationem divinan publicam, quae est fundamentum intrinsecum totius theologiae. Verum theologia fundamentalis, quod ad tractatus de Ecclesia et de fontibus revelationis attinet, potest convenienter tractari, ut suo loco declarabitur, modo theologico, i. e. confirmando assertiones ex divina revelatione; et súb hoc aspectu non differt a theologia proprie tali, et ejusdem est pars sed pars, qua fundamenta ceterarum partium demonstrantur: imo etiam erit pars theologiae scholasticae, si modo scholastico materiam pertractat.

## ARTICULUS II

### De theologiae objecto

**10.** Antequam de theologiae natura et proprietatibus quaestio instituatur, de ipsius objecto agendum est; etenim, ab objecto, disci-

plinae vel scientiae speciem desumunt, atque ab eodem earum proprietates dependent. Jam objectum alicujus disciplinae vel scientiae est tum *materiale*, tum *formale*. Objectum *materiale* est quod attingitur propter aliud, *formale* autem quod propter se vel ratione sui. Inter objecta alicujus disciplinae vel scientiae, vocatur objectum attributionis, quod per se et principaliter ab illa disciplina consideratur, et cujus gratia considerantur cetera ad illam attinentia; et dicuntur *attributa*, quae non tractantur nisi per ordinem ad objectum attributionis. Hoc ab aliquibus appellatur *subjectum scientiae* vel *disciplinae*, ab aliis *objectum formale quod*, et iidem vocant *objectum formale quo* rationem propter quam, vel sub qua, omnia attinguntur; ab aliis *objectum materiale principale*.

**11.** Leo XIII, in Litt. Encycl. *Providentissimus*. (Act. Sed. A. tom. 26, p. 283), haec dicit ad theologiae objectum attinentia: «Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut ejusdem divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam, ejusque prope sit anima: ita nimirum omni aetate Patres atque praeclarissimi quique theologi professi sunt et re praestiterunt. Nam quae objectum sunt fidei vel ab eo consequuntur, ex divinis potissime Litteris studuerunt asserere et stabilire; atque ex ipsis, sicut pariter ex divina traditione, nova haereticorum commenta refutare, catholicorum dogmatum rationem, intelligentiam, vincula exquirere. Neque id cuique fuerit mirum qui reputet, tam insignem locum inter revelationis fontes divinis Libris deberi, ut, nisi eorum studio usuque assiduo, nequeat theologia rite et pro dignitate tractari. Tametsi enim rectum est juvenes in Academiis et scholis ita praecipue exerceri, ut intellectum et scientiam dogmatum assequantur, ab articulis fidei argumentatione instituta ad alia ex illis, secundum normas probatae solidaeque philosophiae, concludenda; gravi tamen eruditoque theologo minime negligenda est ipsa demonstratio dogmatum ex Bibliorum auctoritatibus ducta.» Ex quibus elucet, juxta mentem Leonis XIII, objectum theologiae esse et dogmata ex Sacra Scriptura et divina traditione comprobare, atque eorum *intelligentiam et vincula exquirere*, necnon ex dogmatis seu articulis fidei novas veritates per legitimam ratiocinationem eruere.

**12.** Communior theologorum sententia est objectum formale theologiae esse *deducibilitatem* ex divina revelatione, licet res ipsa variis modis a diversis exprimatur. Objectum attributionis alii dicunt esse mysterium redemptionis nostrae, alii Christum et Ecclesiam, alii Deum quatenus est glorificator, alii aliter loquuntur; sed magis recepta sententia reponit objectum attributionis in Deo quatenus

Deus est. Vide *Vazquez*, In 1 p. d. 10; *Tanner*, t. 1, d. 1, q. 3, dub. 1; *Joan. a S. Thoma*, In 1 p. q. 1, disp. 2, a. 11.

**13. Objectum formale Theologiae est deducibilitas ex doctrina revelata ut tali.**—Hoc assertum sic ostenditur: objectum formale seu ratio assentiendi veritati theologicae ut tali nequit esse evidentia naturalis aut aliud criterium mere naturale; quia sic theologia de qua hic agimus, non differret a mere naturali; nec potest esse auctoritas Dei revelantis, quia hoc est motivum proprium fidei et, juxta omnes, theologia a fide distinguitur. Ergo est *deducibilitas*, ex doctrina revelata, seu, quod idem est, necessaria connexio cum doctrina revelata quatenus tali, vel formalis continentia in illa; nam veritas theologica proprie talis juxta omnes debet esse certa, et non invenitur aliud motivum cognitionis certae, excluso motivo fidei proprio et certudinis per criteria mere naturalia. Deinde hoc ipsum confirmatur ex verbis supra allatis Leonis XIII, nam illis confirmatur dogmata et eorum consectaria esse demonstranda ex Sacra Scriptura et divina traditione, necnon *ab articulis fidei* legitima *argumentatione instituta* alia ex illis esse concludenda; hisce autem implicite asseritur rationem admittendi dogmata et eorum consectaria, considerata ut veritates theologicas, non aliam esse nisi quia ex divina revelatione deduci possunt.

**14.** Ex proxime dictis infertur bifariam posse aliquid ex doctrina revelata demonstrari vel deduci, sc., quia ostenditur aut in doctrina revelata formaliter contineri, aut cum illa habere necessariam connexionen. Sic, v. gr., eo quod sit revelatum Christum esse hominem, colligitur eum habere animam et esse risibilem: primum quidem, quia in homine anima formaliter continetur, et qui revelat hominem, etiam implicite revelat constare anima; alterum vero, nempe esse risibilem, quia est necessario connexum cum homine. Etiam ex dictis elucet, qua ratione theologia a fide distinguatur; fides enim admittit sua objecta, quia Deus infinite sapiens et verax ea revelavit, theologia autem, quia ex doctrina revelata, admissa ut tali, deduci possunt. Nihilominus eadem veritas potest esse objectum fidei, quatenus Deus illam revelavit, et theologiae, quatenus ex doctrina revelata deduci possit; aliae enim veritates revelatae alias quoque revelatas continent.

**15. Objectum materiale theologiae est quidquid ex divina revelatione deduci potest.**—Ratio est, quia illud est objectum materiale theologiae, quod ratione objecti formalis attingi potest. Atqui ratione objecti formalis theologiae attingi potest quidquid ex doctrina revelata, ut tali, immediate vel mediate inferri possit; quidquid enim

est ejusmodi habet *deducibilitatem* ex doctrina revelata ut tali. Ergo.

**16. Objectum attributionis theologiae est Deus sub ratione deitatis.**—Etenim illud est objectum attributionis theologiae, quod per se et principaliter ab ea attingitur, et cujus gratia attinguntur cetera. Atqui hujusmodi objectum est Deus ratione Deitatis. Ergo. *Prob. Min.* Nam Deus quatenus Deus, sive sub ratione Deitatis, est objectum omnium longe nobilissimum, et ideo per se et principaliter a theologia tractandum est; cetera vero per ordinem ad Deum tractantur; agitur enim de angelis, quia sunt effectus et manifestationes Dei, de actibus humanis, quia sunt media accedendi vel recedendi a Deo, etc. Vide *S. Thomam*, 1 p. q. 1, a. 7.

**17.** Revelatio seu testificatio Dei, licet sit extrinseca rei revelatae, eique contingenter adveniat, tamen constituit rem certissime veram, eo sensu quo revelatur; Deus enim, utpote infinite sapiens et verax, non potest revelare nisi verum. Unde theologia, assumens ut rationem assentiendi suis conclusionibus *deducibilitatem* seu necessariam connexionem cum doctrina revelata ut tali, habet motivum omnino firmum et necessario afferens veritatem, licet in intrinseca objecti natura non fundetur.

**18.** Quum theologia revelatione divina nitatur, debet assumere propositiones revelatas et fide divina creditas ad suas conclusiones inferendas; secus enim in divina revelatione, ut tali, non fundaretur. Verum si una praemissa est revelata, et altera naturaliter nota non sumitur nisi ut auxiliatrix, etiam conclusio ut theologica communiter recipitur. Item ex conclusionibus theologicis sumptis ut praemissis aliae inferri possunt, nam mediate a divina revelatione dependent, et propter legitimam ex illa *deducibilitatem* admittuntur.

**19.** Inter haereticos theologia stricte talis dari nequit; etenim haec niti doctrina revelata, per fidem divinam credita, debet, quia aliter aut a theologia naturali non distingueretur, aut necessariam connexionem cum veritate propriam scientiae non haberet; jam vero haeretici fide divina destituuntur, et ideo etiam theologia stricte tali, quae illam necessario requirit.

**20.** *Objectum attributionis* vel finis extrinsecus theologiae fundamentalis, ut distincta a theologia supernaturali, est existentia et conservatio revelationis vere divinae; omnia enim, in hac disciplina, ad demonstrandam revelationis vere divinae existentiam et conservationem ordinantur. Ejusdem *objectum formale,* vel *formale quo,* vel *ratio sub qua* vel *qua,* sunt criteria philosophica et historica, quibus doctrina hujus disciplinae vera ostenditur. Haec autem criteria philosophica et historica ad evidentiam vel manifestationem

magis vel minus perfectam veritatis re ipsa revocantur; nam in mere naturalibus, ubi non ita manifestatur veritas ut dubium prudens in oppositum excludatur, non potest dari certitudo, et ideo nec cognitio propria disciplinae vel scientiae in sensu stricto, quae falsitatem excludere debet. Dixi revelationem esse finem extrinsecum theologiae fundamentalis, tum quia ab illa realiter distinguitur, tum praesertim quia non est ejus motivum formale; hoc enim, ut dictum est, sunt criteria philosophica et historica; si vero assumat revelationem ut motivum intrinsecum, tum jam est pars theologiae dogmaticae.

## ARTICULUS III

### De theologiae natura

**21.** Actus theologiae est actus mentis assentiens alicui veritati, quia ex praemissis revelatis, vel una revelata et altera naturaliter certa evidenter deducitur. Isti actus vocantur theologia actualis partialis, et complexus similium actuum posset constituere theologiam actualem totalem. Actus, ut in philosophia demonstratur, habitus gignunt: unde ex actibus theologiae exurgit habitus ejusdem disciplinae. De hoc habitu in praesenti inquirendum est, utrum sit scientia proprie talis, necne; item utrum sit entitative supernaturalis, an naturalis. Quidquid in hisce quaestionibus de habitu theologiae statuatur, actibus ejusdem applicandum quoque est; nam hi illius sunt causae.

**22.** *Scientia* nomen multipliciter accipitur: 1. pro qualibet cognitione vera, sive de ejus veritate certo constet, sive non; 2. pro qualibet notitia evidenti et certa, sive habita ex discursu, sive non; 3. pro cognitione evidenti et certa per discursum seu ratiocinium demonstrativum habita. Scientia, sumpta juxta hanc postremam acceptionem, est illa quam philosophi scientiam stricte talem vocant, et ad eam requiritur evidentia et certitudo; unde, quum theologia nixa in revelatione careat evidentia, non est scientia secundum traditam definitionem. Verum philosophi, quum illam scientiae stricte talis notionem tradiderunt, nonnisi disciplinas mere naturales considerarunt, nihilque de disciplina fundata in divina revelatione attigerunt: quocirca expresse neque affirmarunt, neque negarunt, utrum

theologia sit scientia, necne. Theologi vero, qui hanc quaestionem perpenderunt, in duas sententias scinduntur. 1.ª docet theologiam esse proprie scientiam: hanc sequuntur *D. Thomas,* 1 p. q. 1, a. 2; *Billuart,* Dissert. prooem. a. 4, et thomistae generatim; item *Berti,* Proleg. c. 4, *Fernandez,* De relig. et Eccles. introd. n.° 2, aliique; item e nostris Card. *Toletus*, in 1 p. q. 2, a. 2; *Petavius,* Proleg. c. 8; *Fasolus*, in 1 p. q. 1, a. 2, dub. 14; *Mayr,* Tract. de Deo, introd. n.° 2, pluresque ex recentioribus. Altera negat, eamque amplectuntur *Scotus* et scotistae, ut *Mastrius*, in 1 sent. disp. 1; *Frassen,* De Deo, d. prooem. a. 2, q. 2, etc.; itidem *Vazquez*, in 1 p. d. 4; *Tanner,* De Deo, d. 1, q. 2, dub. 3; *Arriaga,* De Deo, d. 1, s. 2, aliique. Tamen auctores primae sententiae, saltem plures, ut *Joannes a S. Thoma,* in 1 p. q. 1, d. 2, a. 3; *Billuart,* loco supra laudato, consentiunt theologiam esse scientiam imperfectam ob defectum evidentiae, licet aliis de causis sit excellentior ceteris.

**23. Theologia est proprie scientia.**—De ratione scientiae est ex principiis omnino certis deducere conclusiones per evidentem illationem; nam inter disciplinas naturales, ubicumque habentur illa duo, datur scientia proprie talis. Atqui theologia ex principiis omnino certis conclusiones per evidentem illationem deducit; nam principia nituntur divina auctoritate, quae nec fallere nec falli potest, et conclusiones secundum regulas logicae evidentes inferuntur. Ergo. Nec refert principia theologiae non esse evidentia; nam philosophi ideo in scientiis requirunt evidentiam, quia, ea ablata, non constat de veritate, et non datur certitudo; in theologia vero, sine evidentia constat de veritate, et habetur perfecta certitudo; quocirca in theologia non desideratur evidentia; quod enim ab ea praestatur, sc. reddere mentem securam et certam de veritate, id in theologia habetur divina auctoritate, quae nonnisi pro veritate stare potest; et hac de causa in theologia evidentiam aequivalenter vel virtualiter haberi dici potest. Nihilominus scientia theologica imperfecta vocari potest; tum quia non habet in viatoribus eam perfectionem, ad quam in beatis pervenit; tum quia suum objectum non ea claritate manifestat, qua res stricte evidens manifestatur.

**24.** Doctrinae proxime traditae non opponitur *D. Thomas*, quum, QQ. Disp. q. 14 de verit. a. 9, ad 3, dicit: «scientia subalternata non perfecte attingit ad rationem sciendi»; et in 3 sent. dist. 33, q. 1, a. 2, quaestiunc. 4, sol. 4: «si esset aliqua scientia quae non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset ejusdem speciei cum aliis scientiis, nec univoca scientia diceretur». Etenim in priore loco asserit scientiam subalternatam, qualis aliquo modo

juxta *D. Thomam* est theologia, non attingere perfecte ad rationem sciendi propter defectum evidentiae; hic autem defectus juxta ipsum *S. Thomam*, non impedit quominus theologia sit proprie scientia, sed tantum nonnullam ejusdem perfectionem. Neque in altero loco objecto S. Doctor negat theologiam esse scientiam; verum ponit illam diversae speciei cum scientiis naturalibus, et ideo non est perfecte univoca cum illis. Sic vita creata et vita increata non sunt ejusdem rationis, et tamen utraque est vita proprie talis: similiter et virtutes per se infusae et virtutes acquisitae sunt proprie tales, et non sunt ejusdem speciei. Quare nonnullae res possunt diversimode participare rationem aliquam, et non habere perfectam univocationem, et nihilominus accipere proprie denominationem illius rationis. Denique de mente *D. Thomae*, hac in re, nullum dubium esse potest, quum ubicumque instituit quaestionem, utrum theologia sit scientia, respondeat affirmative, ut in Prol. in 1 sent. a. 3, q. 2, Super Boet. de Trin. q. 2, a. 2, et in Summ., loco anteà laudato.

**25. Utrum habitus theologiae sit supernaturalis, necne.**— Naturale et supernaturale multas habent acceptiones: verum hic dicitur naturale, quidquid vires et exigentiam substantiae creatae non superat; et supernaturale, quod est supra vires et exigentiam substantiae creatae. Atque hic supponitur omnem substantiam creatam, quae non sit pure modalis, ad ordinem mere naturalem ex se ipsa pertinere. In quaestione utrum habitus theologiae sit supernaturalis, necne, duplex potissimum est sententia. Affirmant esse supernaturalem *Suarez*, De myst. vit. Christi, d. 19, s. 3, n.° 5; *Tanner*, in 1 p. d. 1, q. 4, dub. 1, etc., quibus partim consentit *Lugo*, De fid. d. 1, s. 13, § 7. Docent esse habitum naturalem *Joannes a S. Thoma*, in 1 p. d. 2, a. 8 et thomistae generatim; item *Berti*, De Theol. discip. proleg. c. 4, aliique inter quos e nostris *Vazquez*, in 1 p. q. 1, a. 1, n.° 9; *Arriaga*, De fide, d. 16, s. 1, n.° 4; *Mayr*, Tract. de Deo, introd. n.° 3, etc.

**26. Theologia est habitus naturalis.**—Etenim actus theologicus est naturalis. Ergo et habitus; hic enim ex actibus oritur, et res naturalis ex se non est causa rei supernaturalis. *Prob. Ant.* Nam positis duabus praemissis de fide, aut una de fide et altera naturaliter evidenti, potest intellectus suis viribus propriis et secundum logicae regulas eruere conclusionem; quum enim cognoscat praemissas, ut supponitur, potest videre in illis continere conclusionem, et idcirco illam secundum leges logicae inferre. Ergo. Nec dicas intellectum naturaliter non posse cognoscere objecta supernaturalia, et idcirco non posse eruere conclusionem theologicam, quum haec

supernaturale objectum frequenter habeat. Hoc nihil evincit; nam, posita revelatione, intellectus quaelibet objecta supernaturalia modo abstractivo attingere valet; sic infideles et haeretici, licet supernaturali lumine destituti, omnia in Sacris Litteris contenta cognoscere possunt, et nonnulli eorum revera cognoscunt. Intellectus quidem propriis viribus objecta supernaturalia, seclusa revelatione, attingere nequit; sed, ea posita, utique potest, licet non perfecte et prout in se ipsis sunt.

Praeterea experientia docet theologicam scientiam perfectiore modo adquiri acri ingenio, majore studio et labore aliisque naturalibus mediis. Ergo est naturalis; nam res supernaturales, quum vires naturae omnino superent, nullam servant proportionem cum mediis naturalibus, ut sunt acre ingenium, studium, labor, etc.

**27.** Dices 1.—Praemissae sunt causae conclusionis. Sed causae supernaturales, ut sunt praemissae, quum saltem una sit actus fidei supernaturalis, effectum supernaturalem producunt. Ergo conclusio erit actus supernaturalis, et ideo etiam theologia.

*Resp. Dist. Maj.:* praemissae sunt physicae causae conclusionis, *N.*; morales, seu movent ad conclusionem inferendam, *Subd.:* sub ratione supernaturalitatis, iterum *N.*; quatenus ostendunt in illis contineri conclusionem, *C.* Et *Dist.* etiam *Min.:* causae supernaturales, agentes sub ratione supernaturalitatis, producunt effectum supernaturalem, *C.*; aliter *N.*, et *N.* etiam *Cons.* Praemissae, quatenus sint revelatae et per actum fidei admittantur, sunt quidem in intellectu actus fidei supernaturales; at non sub hac ratione concurrunt in conclusionem, verum quatenus manifestant necessariam ipsarum connexionem cum illa, quod quidem ad motivum fidei non pertinet, et intellectus, positis praemissis, propria vi perspicere potest illam necessariam connexionem, et conclusionem inferre. Unde praemissae in conclusionem non concurrunt physice, sed moraliter solummodo: concurrunt enim manifestando, aperiendo conclusionem in illis includi, non vero efficiendo per influxum physicum: causa physica conclusionis est intellectus cum specie impressa. Accedit quod res supernaturalis potest physice producere rem mere naturalem; et ideo, licet praemissae conclusionem physice efficerent, non necessario infertur conclusionem esse supernaturalem.

**28.** Dices 2.—Conclusio exigit praemissas ut ejus principia. Atqui nihil naturale potest exigere aliquid supernaturale. Ergo conclusio, quae praemissas exigit, non erit naturalis, quum praemissae sint actus fidei supernaturalis.

*Resp. Dist. Maj.:* conclusio exigit praemissas ut manifestantes et

aperientes necessariam connexionem cum ipsa, *C.*; sub alia ratione, *N.* Et *Dist.* etiam *Min.*: nihil naturale potest exigere aliquid supernaturale, ut tale, *C.*; sub alia ratione, *N.* Imprimis conclusio non exigit praemissas neque ut entitative supernaturales, nec quatenus ut motivum habent objectum formale fidei, seu auctoritatem Dei revelantis; sed ut manifestantes et aperientes necessariam ipsarum connexionem cum iis, quae ex illis inferri possunt. Deinde quod est naturale, licet non possit exigere seu postulare aliquid supernaturale ut tale, potest tamen exigere aliquid supernaturale in se ipso, sicut res naturales exigunt Deum, qui est summe supernaturalis; verum non eum exigunt ut auctorem ordinis supernaturalis, sed ut auctorem naturae. Simili modo conclusio naturalis potest exigere praemissas, quae re ipsa sint supernaturales, sed non illas exigit ut tales, sed quatenus convenientes cum praemissis mere naturalibus in manifestatione earum rerum, quae ex illis per discursum erui possunt. Atque, in genere, non repugnat rem supernaturalem habere aliquem vel aliquos effectus mere naturales, quia quod est supernaturale est supra res naturales, et ideo aliquid naturale in sua virtute continere potest; e contra res naturalis, cum solo concursu Dei generali, rem supernaturalem producere nequit.

**29.** Dices 3.—Conclusiones theologicae sunt certiores conclusionibus aliarum scientiarum. Atqui hoc non staret, si essent mere naturales. Ergo.

*Resp. C. Maj.* et *N. Min.* Conclusiones theologicae sunt certiores conclusionibus aliarum scientiarum, quia habent necessariam connexionem cum doctrina revelata, quae auctoritate Dei revelantis nititur; et ideo si conclusio theologica esset falsa, inferretur Deum aut fallere aut falli, quod infinite repugnat; et idcirco conclusiones theologicae sunt certiores scientiis naturalibus. Atque propter hanc dependentiam et necessariam connexionem theologiae, de qua hic agimus, cum doctrina revelata et supernaturali, potest recte vocari supernaturalis, et sic distingui a theologia, quae divina revelatione non nititur; nam illa, licet in se sit mere naturalis, per denominationem a suis fundamentis et principiis supernaturalibus desumptam rite vocari potest supernaturalis.

Postremo theologia fundamentalis, ut distincta a theologia innixa divinae revelationi, recte dicitur scientia; nihil enim ei deest ad rationem verae scientiae, quum modo scientifico res tractet, nec careat evidentia et certitudine, prout haec in rebus philosophicis et historicis habentur.

## ARTICULUS IV

### De theologiae excellentia aliisque proprietatibus

**30. Theologia sive speculativa sive practica est excellentior aliis scientiis.**—Sensus hujus asserti est theologiam speculativam esse excellentiorem omnibus scientiis ordinis mere naturalis, et practicam saltem superare scientias practicas naturales. Assertum probatur verbis *D. Thomae,* 1 p. q. 1, a. 5, ita ajentis: «Cum ista scientia, quantum ad aliquid sit speculativa et quantum ad aliquid sit practica, omnes alias transcendit tam speculativas, quam practicas. Speculativarum enim scientiarum una altera dignior dicitur, tum propter certitudinem, tum propter dignitatem materiae. Et, quantum ad utrumque, haec scientia alias speculativas excedit. Secundum certitudinem quidem, quia aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare; haec autem certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest. Secundum dignitatem vero materiae, quia ista scientia est principaliter de iis quae sua altitudine rationem transcendunt: aliae vero scientiae considerant ea tantum quae rationi subduntur. Practicarum vero scientiarum illa dignior est, quae ad ulteriorem finem non ordinatur, sed ad ipsam aliae velut ad finem ordinantur, sicut civili militaris; nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur. Finis autem hujus doctrinae, in quantum est practica, est beatitudo aeterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Unde manifestum est, secundum omnem modum, eam digniorem esse aliis.»

**31.** Dices 1.—Scientia theologica, ut supra dictum est, acquiritur per lumen naturale intellectus. Ergo non est certior aliis scientiis, quae similiter lumine naturali intellectus acquiruntur.

*Resp. D. Ant.:* scientia theologica ita acquiritur per lumen naturale intellectus, ut pro fundamento divinam habeat revelationem, *C.*; aliter *N.* et *N. Cons.* Scientia quidem theologica, quatenus consideratur praecise ut deducta per vim naturalis ratiocinii, est omnino hac in re similis aliis; verum non hac de causa admittitur ut vera, sed quia habet necessariam connexionem cum principiis revelatis,

quae accipiuntur ut vera propter auctoritatem Dei revelantis, et ideo propter infinitam Dei sapientiam et veracitatem: unde theologia non habet majorem certitudinem ex suis conclusionibus in se consideratis, sed quatenus hae a principiis revelatis dependent; et si essent falsae, et principia revelata essent quoque falsa, et Deus aut falleret, aut falleretur. Quare *S. Thomas* asserit theologiam accipere certitudinem *ex lumine divinae scientiae,* quia revera si aliqua conclusio stricte theologica esset falsa, scientiam Dei esse quoque falsam inferretur. Ex quo jam est manifesta major certitudo theologiae prae aliis scientiis; nam hae, et ratione principiorum, et ratione illationis, nituntur in sola naturali evidentia; contra theologia, licet ratione illationis nitatur quoque in naturali evidentia, ratione principiorum fundatur in auctoritate Dei, quae vim omnis evidentiae naturalis et creatae infinite excedit. Neque ideo scientia theologica propter auctoritatem Dei revelantis seu propter motivum fidei proprium immediate admittitur, sed tantum mediate; immediate enim admittitur ut vera, quia continetur in doctrina revelata; doctrina autem revelata admittitur ut vera, quia Deus, infinite sapiens et verax, illam revelavit. Ex quo colligitur distinctio inter fidem et theologiam, ut supra jam declaratum est.

**32.** Dices 2.—Ea scientia est certior, quae dubium magis excludit. Atqui scientiae ordinis naturalis excludunt dubium plus quam theologia; nam haec dubium venire sinit, illae vero non. Ergo.

*Resp. D. Maj.*: Ea scientia est certior, quae dubium magis excludit propter majorem motivorum firmitatem, *C.*; propter clariorem motivorum perceptionem, licet haec sint minus firma, *N.* Et *Dist.* etian *Min.*: scientiae ordinis naturalis dubium excludunt magis quam theologia, quia earum motiva sint firmiora, *N.*; quia clariore modo percipiuntur, *Trans.* Et *N. Cons.* Certitudo in se considerata eo est major, quo propter majorem motivorum firmitatem magis connexa est cum veritate; atque ideo, quum motiva theologiae sint firmiora omnibus aliis, ipsius certitudo etiam est major. Verum quia intellectus motiva theologiae minus perspicit, sibi relictus minus illis adhaereret; sed hoc non esset, quia non donarentur majore firmitate et connexione cum veritate, sed propter minorem eorum perspicientiam. *Transmisi* tamen secundum membrum minoris, quia licet intellectus objecto theologiae minus adhaereret, sibi relictus, potest illi adhaerere secundum merita motivorum ex imperio voluntatis. Denique probatio minoris est vera, quatenus theologia, ob evidentiae defectum, non impedit quominus dubium imprudens in oppositum veniat, et scientiae ordinis naturalis perfecte evidentes tale dubium

impediunt. Sed rursus hoc non ostendit motiva theologiae non esse firmiora et magis connexa cum veritate, sed esse, respectu nostri, minus perspecta. Ad summum ex dictis consequeretur scientias naturales habere majorem certitudinem adhaesionis mentis, non autem connexionis cum veritate, in quo reponitur potissima certitudinis excellentia.

**33.** Dices 3.—Si una tantum praemissa sit revelata, et altera naturaliter evidens, conclusio non erit certior praemissa naturaliter evidenti, quia pejorem sequitur partem, ut dicunt logici. Ergo theologia saltem non est certior respectu omnium conclusionum.

*Resp. 1.*—Saltem conclusio erit certior, quam si deduceretur ex duabus praemissis naturaliter evidentibus, et ideo superat conclusiones scientiarum naturalium, quia hae ex duplici praemissa naturali inferuntur, et ideo ex duplici capite sunt minus firmae.

*Resp. 2.*—Quum una praemissa est naturalis, duplex casus dari potest. Unus est, si praemissa naturalis non faciat nisi juvare, ut appareat in praemissa revelata contineri conclusionem; atque in hoc casu conclusio non est minus certa, quam esset, si ex duabus praemissis revelatis deduceretur. Alter casus est, si conclusio etiam dependeat a praemissa naturali tanquam a causa, quo in casu conclusio est quidem minus certa, certior tamen quam si ex duabus praemissis mere naturalibus inferretur. Atque in hoc postremo casu, licet conclusio esset falsa, non colligeretur absolute Deum fallere aut falli, nisi in quantum conclusio a praemissa revelata dependeret; non item si evaderet falsa ex defectu praemissae naturalis.

**34. Theologia est sapientia.**—Juxta *S. Thomam,* 1 p. q. 1, a. 6, sapientia est ea disciplina, quae agit de rebus altissimis per media certa et altiora. Atqui theologia agit de Deo, qui est altissimus et fons omnium rerum, et agit per revelationem, quae est medium certum et superans omnia media, quibus Deus naturaliter cognosci potest. Ergo theologia recte vocatur sapientia.

**35. Theologia est una.**—Nam scientiae speciem desumunt ab objecto formali. Atqui objectum formale theologiae est unum, videlicet *deducibilitas* ex divina revelatione, sicut supra ostensum est. Ergo. Tamen hoc argumentum solum probat theologiam esse unam specie, saltem modo morali; utrum vero sit unicus habitus physicus, vel multiplex pro diversitate materiae, non consentiunt theologi, sed res minoris est momenti.

**36. De theologiae subalternatione.** — Theologia dicenda est subalternata scientiae Dei, si subalternatio non significet nisi dependentiam ab alia scientia; nam theologia dependet a divina scientia, a

qua sua principia desumit per revelationem. Si vero ad scientiam subalternatam proprie talem, praeter dependentiam a scientia subalternante, requiratur quoque, ut solent philosophi requirere, habere objectum accidentaliter diversum, theologia non est scientia subalternata, quia habet idem objectum quod scientia Dei, sed diversa claritate et perfectione attactum.

## ARTICULUS V

### De theologiae necessitate et utilitate

**37.** Necessitas, ut in philosophia traditur, et inferius, d. 1, c. 1, a. 5, declarabitur, triplex distingui solet, sc. metaphysica, physica et moralis. In praesenti non sermo est de necessitate metaphysica, imo nec de physica, sed de morali dumtaxat. Rursus necessitas potest dari respectu totius communitatis, sed non singulorum, ut, v. gr., esse fabros; aut etiam respectu singulorum, ut, v. gr., sumere cibum. Item quum de theologiae necessitate agitur, potest esse sermo de theologia in genere, et praescindendo a methodo qua tradatur, aut de theologia tradita secundum determinatam methodum.

**38. Theologia, in genere considerata, est necessaria toti Ecclesiae, non autem singulis individuis.**—1.ª pars sic ostenditur: Ecclesia debet fideliter custodire revelationem ei traditam pro hominum sanctificatione et salute; nam ideo Deus illi revelationem commisit, ut illam fideliter custodiret, eaque uteretur pro hominum salute. Atqui Ecclesia revelationem sibi commissam sine theologia fideliter custodire non potest. Ergo. *Prob. Min.* Ut revelatio fideliter custodiatur opus est rejicere errores contrarios et impugnationes, quae, attenta hominum ignorantia, infirmitate et malitia, non possunt non exoriri. Atqui errores et impugnationes hujusmodi sine theologia rejici nequeunt; nam ad hoc necesse est bene cognoscere dogmata, eorum explicationem et fundamenta, fontes ex quibus depromuntur, necnon habere peritiam versandi argumenta in eorum favorem; haec autem omnia sine theologia praestari nequeunt. Ergo. Praeterea Ecclesia debet docere doctrinam revelatam, ut fideles vitam suam rite instituant; jam vero, ut hoc modo conveniente fiat, necessaria

est theologia, praesertim quia fideles docendi non sunt tantum rudes, sed etiam homines litterati.

**39.** Dices.—Deus Ecclesiae suae infallibilitatem in rebus definiendis ad fidem vel mores spectantibus absolute promisit. Ergo Ecclesia theologia non eget.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Ecclesia enim non modo res ad fidem vel mores spectantes definire debet, verum etiam docere doctrinam revelatam homines omnis conditionis et aetatis, eamdemque rite exponere, et contra hostes omnis generis defendere, quae quidem theologiam requirunt. Insuper, licet Ecclesia in suis definitionibus circa fidem et mores sit absolute infallibilis, tamen non liberatur ab obligatione adhibendi media ordinaria, et consulendi viros doctos in sacra theologia, et idcirco hanc disciplinam colat et foveat necesse est.

**40.** 2.ª pars, **seu non est necessaria singulis fidelibus.**—Nam hi suam sanctificationem et salutem, ad doctrinam quod attinet, consequi possunt, si fidem speculativam et practicam convenientem habeant. Tamen illi qui ratione muneris, ut sunt sacerdotes, alios docere et dirigere debent, obligatione theologiae addiscendae tenentur, ut est manifestum, et pontificiis ordinationibus praescribitur.

**41. De necessitate S. Scripturae et PP.**—Ex dictis colligitur in Ecclesia necessarium esse studium S. Scripturae; nam in illis principaliter continetur divina revelatio, et sine ipsius studio rite cognosci, doceri et defendi non poterit. Atque haec necessitas abunde constat ex Litt. Encycl. Leonis XIII, *Providentissimus Deus* (Act. S. Ap., t. 26, p. 269 et sq.), et vel ex verbis adductis supra, a. 2, n.° 11, sufficienter eruitur. Necessitas vero studii SS. Patrum simili de causa deducitur, quia post Scripturam ipsi sunt praecipuum revelationis transmittendi medium.

**42. Theologia scholastica est valde conveniens et utilis, sed non simpliciter necessaria.**—Hoc postremum est manifestum, quia theologia scholastica primis Ecclesiae saeculis non extitit, imo non coepit florere nisi saeculis XII et sq., et nihilominus Ecclesia jam ab ipsius primordiis et postea jugiter vere floruit.

Alterum vero probatur 1.° ex Sixto V, Litt. *Triumphantis Jerusalem,* datis anno 1587 (apud Bolland. 14 Julii, t. 28, p. 833 et sq.), in quibus dicitur: «Et hujus quidem (theologiae scholasticae) tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum litterarum, Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adjumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligen-

das, sive ad Patres securius et utilius perlegendos, sive ad varios errores, et haereses detegendas et refellendas. His vero novissimis diebus, quibus jam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in pejus, errantes et alios in errorem mittentes; sane Catholicae fidei dogmatibus confirmandis, et haeresibus confutandis pernecessaria est. Et profecto rem ita se habere ipsimet veritatis inimici sunt judices, quibus theologia scholastica maxime est formidolosa, qui profecto intelligunt, apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, illo ordine et dispositione tamquam militum in pugnando instructione, illis dilucidis definitionibus et distinctionibus, illa argumentorum firmitate et acutissimis disputationibus, lucem e tenebris, verum a falso distingui, eorumque mendacia multis praestigiis et fallaciis involuta, tamquam veste detracta, patefieri ac denudari. Quanto igitur magis illi hanc munitissimam scholasticae theologiae arcem oppugnare et evertere conantur, tanto magis nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere et haereditatem patrum nostrorum conservare et tueri...»

Proxime dicta confirmantur a Leone XIII, in Litt. Encycl. *Aeterni Patris,* ubi inter alia asserit: «Sed omnino necesse est gravi Scholasticorum more tractari (theologiam), ut, revelationis et rationis conjunctis in illa viribus, *invictum fidei propugnaculum* esse perseveret.» Item ex Syllabo Pii IX, propositione 13.ª damnata dicente: «Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt» (1).

**43.** 2.° *Prob. ratione.* Illud est valde conveniens et utile, quod modo aptiore doctrinam fidei exponit, demonstrat, consectaria deducit, evolvit, atque ab adversariis defendit. Atqui haec praestat theologia scholastica. Ergo. Major est manifesta; etenim quum doctrina fidei non modo sit valde conveniens et utilis pro hominum salute, sed etiam necessaria, non potest non esse valde conveniens et utile, quod aptius sit ad illam rite explanandam, roborandam et defendendam.

*Prob.* igitur *Min.* Atque imprimis theologia scholastica aptiore modo *doctrinam fidei exponit, confirmat, consectaria deducit, evolvit.* Nam accurate definit, dividit, alia ab aliis per dilucidas distinctiones secernit, ratiocinio stricto seu forma syllogistica demonstrat

(1) Haec omnia confirmavit Pius X in Litt. Encycl. *Pascendi,* et inter alia dicit: «Nullumque est indicium manifestius quod quis modernismi doctrinis favere incipiat, quam quum incipit scholasticam horrere methodum.»

et consectaria infert, et denique dogmata inter se et cum veritatibus ordinis naturalis comparat. Atqui accurate definiendo, dividendo et per dilucidas distinctiones alia ab aliis secernendo, res fidei aptiore modo exponuntur, quia hoc modo res optime determinantur, et aliae ab aliis distinguuntur; deinde syllogistica forma res firmius demonstrantur, tum quia illa rite adhibita ad veritatem necessario ducit, tum quia detractis ambagibus, fucis et ornamentis res nuda et aperta detegitur; item eadem forma securius deducit consectaria, quum nonnisi necessario connexa inferat; postremo comparatio dogmatum inter se et cum veritatibus ordinis naturalis est aptior via, ut res fidei evolvantur seu cognoscantur per ordinem, quem habent inter se et cum veritatibus philosophicis; nam hoc modo patefit mutua dogmatum consonantia et eorum non repugnantia cum aliis veritatibus. Ergo.

Deinde theologia scholastica aptiore etiam modo *res fidei ab adversariis defendit*. Etenim si theologia scholastica est aptior, ut probatum est, ad res fidei exponendas, demonstrandas et evolvendas, eo ipso est quoque aptior ad illas ab inimicis defendendas; quia veritatis detectione et positione error contrarius patefit et convincitur. Praeterea recte definire et dividere, dilucide distinguere, syllogistice demonstrare et consectaria eruere, atque res, de quibus agitur, inter se et cum aliis conferre, prout facit scholastica, sane est modus valde idoneus, ut errores detegantur et refellantur, ut per se manifestum videtur.

**44.** Dices 1.°—Pro bono Ecclesiae satis est cognoscere dogmata sive speculativa sive practica, quae tenenda sunt, et qua ratione ad illa perventum sit; hoc enim modo jam habetur et conservatur vera fidei doctrina. Ergo non est causa theologiae colendae, multo minus scholasticae; historia enim dogmatum sufficit ad cognoscenda dogmata sive speculativa sive practica, et viam qua ad illa perventum est.

*Resp. N. Ant.* et *Cons.* Nam sola notitia dogmatum historica non sufficit, ut haec accurate definiantur, distinguantur, funditus perspiciantur, et variis mediis demonstrentur et explanentur. Pro bono sane Ecclesiae necessarium est ostendi dogmata nec inter se, nec cum recta ratione, nec cum veritatibus ordinis naturalis pugnare; doctrinam fidei non impedire progressum scientiarum, sed potius fovere et dirigere, errores etiam indirectos, fucatos et occultos detegere et patefacere; fallacias et sophismata, ex quocumque fonte originem ducant, manifestare et refellere, atque alia hujusmodi: haec autem omnia historia dogmatum nullatenus praestat, et ideo praeter illam

theologia, in genere, necessaria est, et scholastica valde utilis et conveniens.

**45.** Dices 2.°—Theologia scholastica nimis scrutatur res altissimas et difficiles, quod quidem reprobatur in *Prov. XXV,* 27: *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria;* et in *Eccles. III,* 22: *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris.* Item in quaestionibus vanis et inutilibus tempus terit contra prohibitionem Apostoli, ad *Tit. III,* 9.

*Resp. N. Assert.:* Theologia enim scholastica res altissimas et difficiles scrutatur, quatenus a Deo revelatae sunt, aut ex revelatis eruuntur, aut per revelationem simul et res ordinis naturalis cognosci possunt; hac autem ratione, res investigare non est nimis scrutari; quoniam Deus hominibus impertivit revelationem, ut eam cognoscerent, et per eam Deum et res altissimas, quae in illa continentur. Similiter Deus facultatem ratiocinandi homini largitus est, ut ea uteretur circa res hujus considerationi positas, ut sunt res revelatae et mundus visibilis, et ideo ex his novas veritates deduceret. Textus *Prov.* et *Eccles.* nihil in contrarium evincunt, et varias habent interpretationes: ad summum illis prohibetur res divinas aut superbe vel temere perscrutari, aut mensurare et subjicere humanae rationi, aut contendere scire res quas Deus voluit manere occultas, neque adest homini medium in earum notitiam veniendi, ut sunt multa Dei decreta et consilia. Nec desunt textus, quibus scientia rerum altissimarum commendatur, ut *Sap. XIII* et sq., *Joann. XVII,* 3, etc. Nec perscrutatio rerum divinarum et altissimarum, si modo debito fiat, nimia esse potest, ut *S. Augustinus* loquens de S. Scriptura, Epist. 37 ad Volusianum, n.° 3 (M, 33, 516), indicat his verbis: «Sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie recteque non vivitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opacata intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus quae intelligendae sunt, latet altitudo sapientiae, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi, hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet, *cum consummaverit homo, tunc incipit (Eccli. XVIII,* 6).»

Deinde theologia scholastica, per se, in quaestionibus vanis et inutilibus tempus non terit; nam ducit ad Deum et res divinas, et via quidem valde idonea, cognoscendas; hoc autem maxime proficuum est, quum veritates divinae et altissimae, sicut sunt sublimiores, ita intellectum humanum magis perficiunt. Unde *D. Thom.* 1 p. q. 1, a. 5, ad 1, ait: «Et tamen minimum quod potest haberi de cognitione rerum altissimarum, desiderabilius est quam certissima cognitio

quae habetur de minimis rebus.» Quod si aliqui scholastici in inutilibus quaestionibus tempus triverint, hoc est eorum defectus, non theologiae scholasticae.

Praeterea plura, quae ad salutem necessaria non sunt, non modo sunt utilia, sed etiam necessaria, ut doctores catholici modo digno implere possint, quod dicit *S. Petrus,* I Epist. III, 15: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe.* Ideo *S. Augustinus,* de Trinit. l. 14, c. 1, n.° 3 (M, 42, 1037) inquit: «Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quae nonnisi aeterna est, aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur...»

Postremo ipsa sententiarum varietas apud doctores catholicos in rebus fidei explicandis et evolvendis ostendit doctrinam fidei variis modis probabilibus explicari et defendi posse. Et si maximam operam in minimis animalculis et vilibus rebus perquirendis adhiberi non reprehenditur, multo minus aliquis merito reprehenderit multum laborem et studium in rebus divinis, supernaturalibus et spiritualibus pervestigandis impensum, nisi judicarit aut hominem esse pure materiam et sola bona sensibilia et materialia esse illi convenientia, aut vim ratiocinandi ad veritatem reperiendam non conducere, et sola experientia sistendum, quod utrumque, quam sit absurdum, non est hic demonstrandum.

**46.** Dices 3.° — Usus philosophiae reprobatur a *S. Paulo* ad Coloss. II, 8, et a PP. ut a *Tertulliano,* De praescript. c. 7 (M, 2, 21), *Ambrosio,* in Psalm. CXVIII, n.° 10 (M, L, 15, 1514), aliisque. Sed theologia scholastica philosophia utitur. Ergo.

*Resp. Dist. Maj.:* usus philosophiae falsae et sophisticae a *Paulo* et PP. reprobatur, *C.*; usus philosophiae solidae ac verae, *N.* Et *Contradist. Min.:* theologia scholastica utitur philosophia falsa et sophistica, *N.*; solida et vera, *Subdist.:* tanquam fundamento intrinseco aut re principali, iterum, *N.*; tanquam auxiliatrice et ancilla, *C. S. Paulus* et *Patres* philosophiam non absolute reprobarunt, ut ex eorum verbis, scopo et adjunctis elucet, sed illius abusum; respuerunt eam nempe, aut quatenus ad res vanas et falsas comprobandas adhibeatur, aut quatenus sophismatis et fraudibus indulgeat, aut quatenus omnia ratione naturali mensurare et dogmata fidei impugnare contendat, aut denique quatenus excellentior vel optabilior fide et revelatione habeatur. Verum nullo ex his modis theologia scholastica philosophiam usurpat.

At philosophia prout per rectum facultatum naturalium usum

detegit veritatem, praesertim respicientem naturam Dei, mundi et hominis, necnon hujus officia erga Deum, alios homines et se ipsum, a Deo est, et a nemine jure improbari potest, quum in magnam hominis perfectionem conducat. Et ea philosophiae pars, quae logica vocatur, quaeque regulas rite definiendi, dividendi, ratiocinandi, veri falsique discernendi, aliaque id genus tradit, cuilibet scientiae utilissima est. Theologia igitur scholastica hac utitur philosophia, ea videlicet, quae docet veritatem, sive speculativam sive practicam, circa Deum, mundum et hominem, necnon regulas bene disserendi, scilicet veritatis recipiendae, falsique vitandi. Verum hac philosophia utitur ut ancilla et auxiliatrice, non ut fundamentum aut motivum intrinsecum; quum theologia pro fundamento divinam habeat revelationem, et pro motivo intrinseco seu objecto formali, ut supra expositum est, continentiam in divina revelatione, aut necessariam cum illa connexionem. Quadrifariam potissimum theologia philosophiam ut famulam adhibet: 1.° ad recte definiendum, dividendum, ratiocinandum, et generatim ad verum inveniendum et falsum vitandum; 2.° ad rite declarandas notiones communes theologiae et philosophiae, ut notiones substantiae, accidentis, etc.; 3.° ad confirmandas veritates revelatas ordinis naturalis; 4.° ad veritates supernaturales faciendas verisimiles per similitudines et analogias, ut indicatur a *Conc. Vatic.* sess. 3, c. 4; 5.° denique ad ostendendum nullam adesse contradictionem et pugnam inter doctrinam revelatam et veritates naturaliter cognitas. Quocirca valde utilis et conveniens, imo necessaria est philosophia scientiae theologicae, ut ejus fundamentum extrinsecum et praeparatorium.

Pius X in Litt. Encycl. *Pascendi* haec habet de philosophia scholastica: «Tria sunt potissimum quae suis illi (modernistae) conatibus adversari sentiunt: scholastica philosophandi methodus...» Et postea: «Primo igitur, ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur.» Et inferius: «Theologiae ac Juris canonici laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto.»

Postremo Patres rectum philosophiae usum commendant. Sic *Clemens Alex.*, Strom. lib. 1, c. 5 (M, G, 8, 718), inquit: «Atque erat quidem ante Domini adventum philosophia graecis necessaria ad justitiam: nunc autem est utilis ad pietatem, cui necessario praemittenda est ab iis, qui fidem ex demonstratione percipiunt... Omnium enim bonorum Deus est causa.» Et inferius c. 20, col. 818: «Perspicuitas itaque cooperatur in traditione veritatis: dialectica, ne

prosternemur ab haeresibus, quae faciunt incursiones, adjuvat... Graeca philosophia veritatem non facit potentiorem; sed cum debiles efficiat sophistarum adversus eam argumentationes, et propulset dolosas adversus veritatem insidias, dicta est *vineae* apta *sepes* et vallus.» Item *S. August.* De doctr. christ. l. 2, c. 18 (M, 34, 49), loquens in genere de disciplinis profanis ait: «Imo vero quisque bonus verusque christianus est, Domini sui esse intelligat, ubicumque invenerit veritatem...» Et inferius c. 31, col. 58: «Sed disputationis disciplina ad omnia genera quaestionum, quae Litteris Sanctis sunt penetranda et dissolvenda, plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi, et puerilis quaedam ostentatio decipiendi adversarium.» Denique *S. Gregorius Nazianz.* Orat. 43 in laudem S. Basilii M., n.° 23 (M, G, 36, 527), haec dicit: «Quis in philosophia, excelsa proculdubio scientia, et sursum gradiente, sive eam partem spectes, quae in actione et speculatione posita est, sive eam, quae in logicis demonstrationibus aut oppositionibus et concertationibus versatur, quam dialecticam vocant; in qua adeo excelluit, ut iis, qui cum eo disputabant, facilius esset e labyrinthis sese extricare, quam argumentorum ejus laqueos effugere, si quando res ita postularet?» Vide plura apud *Petavium,* Proleg. in Theol. c. 3, et sq. et *Thomasinum,* Tract. 1, de Proleg. Theol. c. 35 et sq.

**47.** Dices 4.°—Methodus scholastica prorsus fuit Apostolis et antiquis Patribus, qui doctrinam sacram optime tradiderunt, insuper vocabulis barbaris, atque stylo incompto et impropio utitur. Ergo.

*Resp.* Imprimis Apostoli charismata et dona extraordinaria ad doctrinam sacram tradendam a Deo acceperunt, et ideo methodo, per humanam industriam comparata, non indigebant, praeterquam quod non in scholis, ubi methodus scholastica adhibenda est, sed coram multitudine omnis generis hominum docuerunt. Deinde theologia scholastica eamdem doctrinam tenet, quam Apostoli et antiqui PP. tradiderunt, et solum ab illis ratione methodi differt, quae quidem, cum tota sit propter doctrinam, nullatenus improbari potest, dummodo apta sit, ut revera est; nec mirum decursu saeculorum, multo labore et studio novam rationem ejusdem doctrinae tradendae esse repertam.

Ad vocabula barbara, i. e., non latina, quod attinet, horum usus minime est reprehensibilis, quatenus necessarius, ut res theologiae scientiae peculiares non circumlocutione, sed simplici verbo exprimantur; atque id non solius theologiae, sed commune omnis artis et scientiae est; in qualibet enim illarum verba unicuique peculiaria reperiuntur. Unde *Cicero,* Acad. lib. 1, n.° 7, inquit: «Qualitates igi-

tur appellavi, quas ποιότητας graeci vocant: quod ipsum apud graecos non est vulgi verbum, sed philosophorum, atque id in multis. Dialecticorum vero verba nulla sunt publica: suis utuntur, et id quidem commune omnium fere est artium. Aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda.»

Ad tertium respondendum, si in aliquibus theologis habetur modus dicendi prorsus incultus et improprius, id eorum, non theologiae defectus est. Theologia quidem stylum simplicem, planum et perspicuum postulat, ut res difficiles et abstrusae, quales sunt theologicae, faciliore modo percipi queant. Quare ornamenta, schemata aliaque id genus, saltem generatim, recusat, ne obcura et implicata eodem modo maneant, aut obscuriora et implicatiora fiant. Nullatenus vero theologia praecepta grammatices recusat, imo nec rethorices, quatenus haec modum artium et scientiarum tradendarum respiciant.

Ad extremum observo, in scientiarum explanatione quaeri res, non verba, et ideo dum res intelligantur, verba minoris facienda sunt. Ipse *Cicero,* De fin. bon. et mal. lib. 1, n.° 5, loquens de Epicuro dicit: «Oratio me istius philosophi non offendit. Nam et complectitur verbis, quod vult, et dicit plane quod intelligam: et tamen a philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner; si non habeat, non admodum flagitem.» Et magis ad rem nostram *S. Augustinus*, De doctr. christ. l. 4, c. 11 (M, 34, 100): «Prorsus haec est in docendo eloquentia... ut appareat quod latebat .. Bonorumque ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quaerimus nisi patere quod clausum est.» Et idem *Augustinus,* Contr. Adim. 1, un. c. 11 (M. 42, 143), dixit: «Sicut enim nostri auctores, divinarum scilicet Litterarum, de rebus maxime cogitarunt; sic mundanorum auctorum prope omnis cura de verbis est.» Imo de ipsis oratoribus, qui copiose, concinne et numerose loquantur, opportet, dicit Quintilianus, Inst. Orat. l. 8, prooem.: «Nec intelligunt jacere sensus in oratione, in qua verba laudantur. Sit igitur cura elocutionis quam maxima, dum sciamus tamen, nihil verborum causa esse faciendum, cum verba ipsa rerum gratia sint reperta; quorum ea sunt maxime probabilia, quae sensum animi nostri optime promunt, atque in animis judicum, quod volumus, efficiunt.»

**48. Theologia fundamentalis est convenientissima et utilissima.** — Theologia fundamentalis, prout ex dictis n.° 8 colligitur, modo scientifico et valde apto existentiam et conservationem reve-

lationis demonstrat. Revelatio autem, ut suis locis probatur, pro hominum salute est convenientissima et necessaria. Theologia igitur fundamentalis, quum modo aptiore rem convenientissimam et necessariam demonstrat, non potest non esse valde utilis et conveniens. Atque nostro tempore prae aliis specialissime est utilis et conveniens; hac enim aetate quod principaliter impugnatur est existentia et conservatio divinae revelationis, et omnes fere religionis verae hostes in haec acerrime invehunt; ideo theologia fundamentalis revelationem existentem et conservatam non modo demonstrans, verum etiam contra omnes adversariorum impetus eam invicte propugnans, peculiariter nunc est utilis et conveniens.

**49.** Theologia fundamentalis dicenda est quoque necessaria, quatenus praecise ostendit divinam revelationem existentem et conservatam; etenim homines officio revelationis amplectendae obstringuntur, atque huic officio satisfacere nequeunt, nisi illis divina revelatio existens et conservata ostendatur; et aliunde hoc officium est tam necessarium, ut sine illius impletione salus obtineri nequeat. Nihilominus theologia fundamentalis, quatenus modo scientifico et recenti apparatu traditur, non est simpliciter necessaria; etenim hac ratione nonnisi posterioribus saeculis coepit tradi, et multis saeculis sine illa hoc modo tradita floruit religio catholica et theologia. Praeterea revelationis existentia et conservatio potest demonstrari, et aliquo modo etiam contra adversarios defendi, licet theologia fundamentalis non tradatur eo modo, quo nunc; nam ita usque ad saeculum decimum octavum factum est, in quo theologia fundamentalis formam, qua in praesenti donatur, habere coepit.

## ARTICULUS VI

### Historiae theologiae brevissima recensio

**50.** Ab ortu generis humani usque ad Christum nunquam defuit vera Dei notitia. Hanc accepit primus parens generis humani Adamus, eamque suis descendentibus communicavit, atque inter eos jugiter adstiterunt aliqui verum Deum cognoscentes et colentes. Inter populos solus israelita, ante Christi adventum, cognovit verum Deum, eique debitum cultum tribuit; omnes aliae gentes notionem

divinitatis plus minusve depravatam habuerunt, atque in polytheismum lapsae sunt. Inter israelitas ideam Dei valde perfectam attigerunt plures viri sapientes et sancti, ut prophaetae; atque id ex scriptis V. Testamenti infertur, ex quibus divinae perfectiones et attributa demonstratur. In veteri quoque testamento erat munus sacerdotis docere populum offiicia erga Deum aliaque, ut eruitur ex Lev. X, 10-11; Deut. XVII, 8 et sq.; Malach. II, 7, etc.; ex quibus etiam infertur inter hebraeos scientiam Dei viguisse. Nihilominus in N. Testamento multo clarior et universalior fuit.

**51. Theologia christiana. Aetas patrum.** — Theologia, post Christi adventum, in duas aetates potissimum dividi potest, videlicet in aetatem Patrum, et in aetatem scholasticorum. Aetas Patrum maxime enituit a medio saeculo quarto ad dimidium quinti; quo tempore viri omni eruditionis genere insignes et Sacras Scripturas commentati sunt, et dogmata explanarunt, et doctrinam fidei contra infideles et haereticos tutati sunt, eamque sapientissime confirmarunt. In Patribus hujus temporis invenitur tota doctrina trium priorum saeculorum magis exposita et roborata, atque ideo si praecise quaeritur vera fidei doctrina, in illis melius reperiri potest, quam in antiquioribus Patribus. Verum hi majorem auctoritatem habent contra haereticos, et tanquam testes doctrinae revelatae, quia sunt proximiores Christo et Apostolis; atque sub hoc aspectu, quo antiquiores sunt Patres, eo praestantiores.

Theologia Patristica scripta fuit stylo potius oratorio quam stricte didactico, neque unum corpus universam doctrinam fidei complectens constituit, sed reperitur sparsa in diversis operibus et tractatibus, quae nullum inter se determinatum nexum servant, sed fuerunt exarata prout postulabat necessitas aut refellendi haereticos, aut fideles docendi, aut etiam religionem contra paganos vel judaeos defendendi. Saepe etiam doctrinam revelatam exponebant per homilias, sermones, orationes, catecheses, quibus populum instruebant. Patres antiquiores seu Apostolici doctrinam fidei per epistolas generatim tradiderunt, et plures his proximiores scripserunt fidei apologias.

**52. Aetas scholasticorum.**—Ut in Breviario Romano traditur, S. Joannes Damascenus, saeculo octavo, «primus universam theologiam recto ordine comprehendit, et S. Thomae viam complanavit ad sacram doctrinam tam praeclara methodo tractandam», et S. Anselmus, saeculo undecimo exeunte et duodecimo ineunte, «omnium theologorum, qui sacras litteras scholastica methodo tradiderunt normam caelitus hausit.» Ad scholasticae theologiae formationem, saeculo duodecimo, specialiter concurrit Petrus Lombardus, qui in

LL. sententiarum universam theologiam peculiari distributione complexus est, et testimonia Scripturae et Patrum ad diversas veritates theologicas demonstrandas collegit, quique tantam acceptationem consecutus est, ut plures theologi ipsius libros commentati sint. Verum theologia scholastica ad summam pervenit perfectionem a medio saeculo decimo tertio ad initia decimi quarti, opera Alexandri Halensis, S. Bonaventurae, Alberti Magni, Aegidii Romani, ordinis eremitarum S. Augustini, Joannis Duns Scoti et potissimum S. Thomae Aquinatis. Hujus viri sapientiam plures Pontifices Summi maximis laudibus extulerunt, atque Leo XIII omnia elogia ei attributa confirmavit, et Patronum omnium scholarum catholicarum declaravit et instituit.

Theologis scholasticis, praesertim S. Thomae, maximae laudes attributae sunt, non ideo quia per illos doctrina fidei ex fontibus revelationis demonstrata fuerit, hoc enim jam a SS. Patribus et Scriptoribus praecedentium aetatum praestitum erat, sed quia omnem fidei doctrinam in unum corpus collegerunt, eamque miro ordine et connexione distribuerunt, eamdemque analogiis et congruentiis declararunt et illustrarunt, et principaliter quia dogmata et inter se et cum veritatibus ordinis naturalis conciliarunt, atque adversariorum argumenta speciali dexteritate contriverunt. Equidem S. Thomae et Scholasticorum eximia laus est, quod theologiam cum philosophia amice conjunxerint, atque hanc illi mire inservire et famulari fecerint. Verum ad id consequendum, eam philosophandi rationem tenuerunt, quae scholastica vocatur, quaeque si constanter retenta esset, philosophia in melius processisset, neque in materialismum, fatalismum, pantheismum, idealismum, scepticismum, aliaque absurda systemata incidisset.

**53.** A saeculo decimo quarto usque ad Tridentinum theologia aliquantulum declinavit et ejus splendor decrevit; nunquam tamen defuerunt sapientes theologi, qui sacram doctrinam diligenter excoluerint. Post Tridentinum, splendorem recuperavit, et non modo scholastica sive speculativa, sive practica, verum etiam polemica et scripturaria maxime floruerunt, praesertim inter religiosos. Scholastici hujus temporis valde considerandi sunt, quia inter illos adstiterunt plures viri magno ingenio praediti et doctissimi, qui et Scriptura, Patribus ceterisque fontibus positivis sapienter usi sunt, simulque antiquis scholasticis operam diligentissime dederunt, et ideo in illis optima reperiuntur, praecipue ad dogmata declaranda et gravissimas difficultates enodandas. Post medium saeculum decimum septimum Theologia rursus statum minus gloriosum ingressa est licet ab hoc

tempore usque ad medium saeculum decimum octavum plures nominari possint theologi commendatione dignissimi, speciatim in re morali, in qua emicuit S. Alphonsus M. de Ligorio, Doctor Ecclesiae a Pio IX renuntiatus.

Ab ultimis decenniis saeculi decimi octavi usque ad medium saeculum proximum theologia fere extincta jacuit; postea jam majore laude culta est, et opera prorsus commendanda edita sunt. Theologia saeculi decimi noni in dogmatis explanandis et in eorum conciliatione cum philosophia rationali non fecit nisi repetere aliqua ex multis quae ab antiquis sapienter dicta erant; verum in allegatione textuum Scripturae secundum sensum litteralem, et in testimoniis traditionis genuinis afferendis scholasticos praecedentium saeculorum antecedit; idque a progressu artis criticae, a majore cognitione monumentorum antiquitatis et linguarum orientalium dependet. Atque iisdem de causis studia S. Scripturae, sub aliquo saltem aspectu, incrementa habuerunt.

Postremo theologia fundamentalis, quae prout in praesenti traditur, nonnisi saeculo decimo octavo coli coepta est, miros progressus ultimis decenniis saeculi proxime elapsi fecit, praesertim in Germania.

# TRACTATUS
## DE VERA RELIGIONE

In praesenti ea omnia omittenda et ex Philosophia supponenda videntur, quae philosophica proprie sunt, ut demonstratio Dei existentiae, Providentiae, necnon eorum omnium quae ad religionem mere naturalem spectant; atque ideo ea dumtaxat de religione hic pertractanda existimavi, quae ordinem ad divinam dicunt revelationem (1). De hac vero haec potissimum attingenda sunt, ut ea, quae ad ipsam spectant, simul declarentur: videlicet de ipsius possibilitate, necessitate, cognoscibilitate ac obligatione ejusdem amplectendae, deque ipsius criteriis, atque de horum applicatione ad veram revelationem et religionem demonstrandam, ac denique de falsis religionibus.

(1) Et licet *modernismus* damnatus a Pio X per decretum *Lamentabili*, die 3.ª Julii 1907, et per litt. encyclicas *Pascendi,* die 8.ª Septembris ejusdem anni, specialem ordinem ad revelationem et universam religionem dicat, tamen totum ipsius fundamentum, quo sublato integrum systema ruit, est mere philosophicum; in hoc enim nititur, quod non possimus certo cognoscere naturam mundi, neque ipsius subjecti cogitantis, ex quo deducit existentiam unius Dei omni perfectione et omni potentia praediti certo demonstrari non posse. Hoc autem fundamentum, et ideo totum *modernismum,* Philosophia scholastica convellit, quum evidenter ostendat omnes facultates hominis cognoscitivas, sive sensiles sive intellectuales, cum debitis conditionibus esse veraces, hominem et mundum cum omnibus ejus elementis esse contingentes; atque ex his evidenter comprobat existentiam unius entis necessarii, seu Dei, infinite perfecti et potentis. Nihilominus, quamvis haec ita sint, nonnulla modernismi asserta suis locis inferius refellentur.

# DISPUTATIO I

## De revelatione ejusque criteriis, necnon de auctoritate evangeliorum et actuum apostolurum

### CAPUT I

### De revelatione

In hoc capite in primo articulo quaedam notiones praemittuntur, in altero agitur de possibilitate revelationis in genere, in tertio de revelatione mysteriorum, in quarto de convenientia revelationis, in quinto de ejusdem necessitate, et in sexto, denique, de obligatione revelationis inquirendae et amplectendae.

#### ARTICULUS I

#### Notiones aliquae praevie declarandae

**54.** Cum saepe mentio facienda sit de *religione,* de *naturali* et *supernaturali* necnon de *revelatione*, haec omnia in antecessu breviter explanare operae pretium erit. Jam, vox *religio* juxta etymon varie accipitur, ut refert *S. Thom.,* 2, 2, q. 81, a. 1, et copiosius *P. Suarez,* De relig. tr. 1, lib. 1, c. 1; alii enim ut *Lactantius,* Div.

Inst. l. 4, c. 28 (M., L., 6, 536), derivant a *religando,* quia religio hominem Deo veluti iterum ligat; alii, ut *Cicero,* De nat. deor. l. 2, c. 28 ex *relegendo,* quia hominis religiosi est ea quae ad cultum divinum pertinent saepe saepius repetere et quasi relegere; denique *S. August.*, De Civit. Dei, l. 10, c. 3 (M., L., 41, 280), ut alias minoris momenti opiniones praetermittam, ex *reeligendo*, quia homines Deum, quem amiserunt, per religionem *reeligere* et recuperare satagunt. Deinde res significata per vocabulum *religio* est quoque multiplex, ut *Forcellinus* in suo lexico ostendit; verum, si stricte sumatur, aliquem ordinem dicit hominis ad Deum, potestque sumi *objective* et *subjective*. Si *objective* accipiatur, seu ex parte objecti in quo religionis virtus versatur, definiri potest: cultus et honor Deo debitus. Sin autem accipiatur prout est virtus, sic definitur: habitus tendens ad debitum cultum et honorem Deo tribuendum. In hac definitione, quoad sensum, conveniunt catholici: ab impugnatione vero definitionum adversariorum abstineo, quia stabilita vera religione secundum quam Deus colendus est, prout inferius praestabitur, illae omnes ruunt.

**55.** Ut Deo tribuatur cultus et honor debitus, necessaria est conveniens cognitio intellectualis de Deo ac de cultu ei praebendo, necnon affectio etiam conveniens voluntatis; debitum enim colendi Deum est morale, et ideo persolvendum est per actus voluntatis liberos, qui sub proportionata intellectus cognitione eliciantur. Si cultus Deo tribuatur sub directione cognitionis naturalis et habitae ex ordine mere naturali, habetur religio naturalis; at si cultus Deo tribuatur sub directione cognitionis fundatae in divina revelatione et in ordine ad claram Dei visionem, habetur religio supernaturalis. Quare religio supernaturalis, objective sumpta, est cultus et honor Deo debitus juxta praescripta divinae revelationis ad finem supernaturalem ordinatae; et subjective sumpta est habitus supernaturalis tendens ad cultum honoremque debitum Deo tribuendum sub directione notitiae revelatae et supernaturalis. In hoc tractatu, sicuti jam dictum est, relicta philosophis religione naturali, unice nobis de religione supernaturali, objective sumpta, et de iis quae ad illam pertinent, agendum est; de hac vero, quatenus est virtus, alibi agitur. Similiter hic non agetur de religione, quae partim ratione naturali, partim revelatione niteretur, sed in ordine ad finem aut mere naturalem, aut supernaturalem tantum secundum quid; quia ejusmodi tractatio parum vel nihil ad nostrum scopum verae religionis demonstrandae conduceret. Vide *P. Wilmers*, De relig. revelat. Prolegom. § VII.

**56.** Cum *naturale* et *supernaturale* ordinem ad *naturam* dicant, ut haec vocabula rite declarari possint, necesse est ut quid sub nomine *natura* veniat, exponatur. *Natura* quamplurimas significationes habet, ut videre est apud *Forcellini*, necnon apud *P. Ripalda*, De ente supernat., d. 1, s. 1, 1.° sumitur pro nativitate vel potius generatione nascentium, ut dicit *Aristoteles*, Lib. 4, metaph. c. 4; et hoc sensu dixit *Apostolus* ad Ephes. II, 3: «*Eramus natura filii irae...*» 2.° pro essentia cujuscumque rei, ut eruitur ex *S. August.* lib. 2, de morib. manich. c. 2 (M., L., 32, 13). Tamen *S. Thom.*, in opusc. de ente et essentia, c. 1, ponit aliquod discrimen inter naturam et essentiam his verbis: «Nomen autem naturae... videtur significare essentiam rei secundum quod habet ordinem vel ordinationem ad propriam operationem rei... Quidditatis vero nomen sumitur ex hoc quod per definitionem significatur; sed essentia dicitur secundum quod per eam et in ea res habet esse.» 3.° pro Deo seu ente supremo, ut accipitur a *Cicerone*, de nat. deor. l. 2, n.° 32, et a *Seneca* apud *Lactantium*, div. inst., l. 2, c. 9 (M., L., 6, 299). 4.° pro rerum creatarum universitate, quo sensu adhibetur a *D. Thoma*, 1 q. 105, a. 8. 5.° pro complexu causarum creatarum quatenus, juxta insitam sibi vim agunt. 6.° apud theologos natura sumitur pro essentia quatenus haec a supposito vel subsistentia discriminatur. 7.° pro principio motus et quietis, quo sensu definitur ab *Aristot.*, l. 2, c. 1, natural. auscultat.: «Principium quoddan et causa cur id moveatur et quiescat in qua inest primum, non ex accidenti.» 8.° denique, multis aliis acceptionibus omissis, pro omni substantia creata quatenus non pertinet ad dona supernaturalia et prorsus gratuita; et hoc sensu dixit *D. Th.*, 1. p. q. 99, a. 1: «Ea quae sunt supra naturam sola fide tenemus.»

**57.** In hoc postremo sensu hic sumitur natura, in qua acceptione sic definiri potest cum *P. Ripalda*, de ente supernat. d. 3, s. 2: *Collectio substantiarum nunc existentium necnon possibilium eisdem affinium.* Vocantur autem substantiae possibiles existentibus affines, eae quae ab existentibus per proprias vires cum solo concursu Dei generali aut produci saltem inadaequate, aut immediate cognosci conceptu distincto, claro et omnino proprio citra analogias et similitudines possunt. Non est definita natura *collectio omnium substantiarum creatarum*, ut praescinderetur ab illa quaestione quam aliqui theologi agitarunt, nempe, utrum repugnet substantia supernaturalis, seu ea cui ex ipsa essentia debeantur dona supernaturalia et ipsa visio Dei. Jam vero imprimis substantias visibiles non esse aliquid supernaturale, id ex omnium confessione patet;

deinde neque id convenire subtantiis pure spiritualibus, si dentur, quia naturaliter non cognoscuntur, nisi ut partes mundi, qui est universitas rerum ordinis naturalis. Accedit quod anima humana, quae est spiritualis, est res omnino naturalis; est enim praecipuum constitutioni hominis, qui ommino ad res naturales pertinet et est veluti earum compendium. Quocirca angeli, licet puri sint spiritus, inter res ordinis naturalis compuntandi sunt. Atque hoc ex divina revelatione certo constat.

Tamen possunt vocari supernaturales secundum quid, scilicet, respectu mundi visibilis quem superant. Denique substantias possibiles quae ab existentibus aut produci saltem inadaequate, aut immediate cognosci conceptu proprio citra similitudines et analogias possent, ad supernaturalia non pertinere ex eo evincitur, quod vires naturae non superent, quemadmodum ad rationem supernaturalis requiritur; non enim absolute et simpliciter est supra naturam seu supernaturale, quod omnes vires et exigentias naturae non excedit.

**58.** Si *natura* multifariam accipitur, simili modo *naturale*, ut ostendit *P. Ripalda*, de ente supernat. d. 1, s. 2. Verum in praesenti sumitur pro omni illo quod spectat ad naturam, quatenus haec est collectio substantiarum creatarum existentium, necnon possibilium eisdem affinium. Unde naturale est illud omne, quod ab his substantiis aut produci potest, saltem inadaequate, cum solo concursu Dei generali et ordinario, aut immediate cognosci conceptu proprio citra analogias et similitudines, aut exigi: haec enim omnia ad naturam, prout enti supernaturali contraponitur, spectant; quia intra vires illius physicas aut intentionales continentur, aut ab illa exiguntur. Quare, ut naturalia habenda sunt omnia quae a substantiis creatis existentibus postulantur tanquam earum complementa sive substantialia sive accidentalia, aut ab illis produci vel induci queunt sive in se ipsis, sive in aliis. Tamen, ut aliquid dicatur *naturale,* non satis est posse cognosci quocumque modo a natura, quia modo abstracto et generali, et per analogias et similitudines, omnia, atque ideo etiam res supernaturales, cognosci possunt a quacumque intellectuali substantia propriis viribus; ut autem cognoscantur immediate et conceptu proprio, opus est ut res cognitae cognoscenti proportionatae sint, quod certe rebus supernaturalibus non convenit respectu naturae. Denique ipsa natura, seu substantiae creatae existentes eisdemque affines, etiam saepe nomine *naturalis* vel *rei naturalis* significantur.

**59.** Explicato quid sit natura et naturale, facile erit intelligere quid sit *supernaturale*, prout hoc illis in acceptionibus supra explanatis

opponitur. *Supernaturale* igitur erit omne illud quod naturae, sumptae pro omni substantia creata existente et possibili affini, sit prorsus indebitum. Aliis verbis, erit supernaturale, omne illud quod intra vires physicas aut intentionales naturae, juxta dicta supra, non contineatur, neque ab illa postuletur tanquam ejus complementum vel perfectio. Atque hoc est *supernaturale absolutum* vel *simpliciter tale;* vocatur vero *supernaturale relativum* et *secundum quid,* quod superat unam vel alteram dumtaxat naturam, sed non omnem, ac proinde non postulatur vel exigitur ab una vel altera natura, sed utique ab aliis: hoc sensu, v. gr. immortalitas est supernaturalis respectu hominis, quia homo de se est mortalis; sed est naturalis respectu animae humanae et angeli, quia hi, ex se, immortalitatem postulant. Supernaturale vero absolutum in *supernaturale quoad modum* et *quoad substantiam* dividitur. Est supernaturale *quoad modum* illud quod, in se, est natura aliqua vel ad naturam spectans, sed fit modo naturae prorsus indebito: v. gr. sanatio gravis vulneris repentina et sine ullis prorsus remediis; quia etsi natura curationem vulneris postulet, eamque consequi possit, tamen nullo modo postulat illius curationem repentinam et sine remediis, neque vires naturae ad id perficiendum reperiuntur. Est vero supernaturale quoad *substantiam* omne illud quod, ratione suae entitatis et excellentiae intrinsecae, est omnino indebitum naturae, seu omni substantiae creatae existenti aut affini ex possibilibus, cujusmodi sunt omnia dona, quae a theologis vocantur prorsus gratuita seu *gratia.* Inter supernaturalia maxime collocandus est Deus, utpote qui omnem naturam creatam infinite superat, ac modo essentialiter diverso ab omni alio ente existit, et inde creaturae propriis viribus cum, sicuti est, cognoscere, aut aliquo modo sine ullo medio attingere nequeunt.

**60.** Tradita entis *naturalis* et *supernaturalis* explicatio aliquo modo cum illa concurrit, qua ens naturale et supernaturale ex ordine ad finem declarantur. Qua in explicatione vocatur ens naturale, quidquid ex sese conducit aut retardat a fine, qui propriis naturae creatae viribus obtineri potest; supernaturale vero, quidquid ex sese ordinatur ad consequutionen finis, qui est supra omnem exigentiam et virtutem totius naturae creatae, cujusmodi est visio Dei immediata et clara. Hanc autem explicationem aliquo modo cum superiori convenire, liquet: quia omne quod conducit aut retardat a fine naturali, eo ipso spectat ad bonum aut detrimentum naturae creatae; et simili modo quidquid est supra omnem exigentiam et virtutem totius naturae creatae, etiam huic est prorsus indebitum. Tamen in hac explicatione ens supernaturale, quoad modum dumtaxat, contineri non

videtur; quia hujusmodi supernaturalitas, v. gr. curatio aliqua repentina et sine remediis, ordinari sive ad finem naturalem, sive ad supernaturalem posse ex Dei intentione videtur.

**61.** Revelatio, juxta etymon, ut innuit *S. Hieron.*, comment. in epist ad Galat. lib. 1, c. 1, v. 12 (M., L., 7, 323), sonare videtur ablatio seu remotio veli, ac definitur: *rei ignotae manifestatio.* Atque sensu lato manifestatio rei ignotae, quae sine locutione propie tali fiat, vocatur quoque revelatio: sic, v. gr. divinarum perfectionum patefactio per creaturas dicitur modo lato revelatio. Verum quia inter creaturas intellectuales rerum manifestatio per locutionem fieri solet, inde revelatio, sensu strictiori, est locutio rei ignotae. Hinc in epist. ad hebraeos, I, 1 et 2, scriptum est: «*Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio.*» Locutio vero, in genere, ut eruitur ex *S. Thoma,* 1 p. q. 107, a. 1, est *voluntaria rei alicujus, prout est in nostro conceptu, manifestatio alteri facta;* et ideo revelatio sensu strictiori definiri potest: *voluntaria rei ignotae prout est in conceptu revelantis manifestatio alteri facta.* Revelatio igitur imprimis debet esse *voluntaria*, quia nemo aperire dicitur id, quod contra suam voluntatem patefit; deinde est *rei ignotae*, quia si res manifestata jam antea erat aperta et sine velamine, non datur ablatio veli, prout nomen *revelatio* postulare videtur; tertio debet esse *rei, prout est in conceptu revelantis*, quia non potest aliquis revelare quod ipse ignorat, et in suo conceptu non habet; denique requirit *manifestationem*, seu signum aliquod ex quo alter in notitiam rei revelatae veniat, secus haec non patefieret. Unde non est de ratione revelationis nec locutionis, ut fiat sonis oris seu verbis externis, sed quocumque signo, quo mens unius alteri manifestetur, fieri potest.

**62.** Ex dictis colligitur revelationem Dei factam hominibus et strictiori sensu acceptam, de qua unice hic loquendum est, ita definiri posse: *voluntaria manifestatio, quam homini Deus facit suae mentis respectu rei ignotae.* Attamen quaelibet locutio Dei cum hominibus modo generali vocari solet revelatio, quamvis non sit de re occulta, tum quia per illam res a Deo dicta cognoscitur alio modo et firmiore certitudine, tum quia mens Dei de re illa detegitur. Atque ideo omnia quae in Sacris Litteris, Deo auctore exaratis, continentur, vocari solent revelata, quamvis plura eorum jam independenter a divina locutione fuissent nota. Verum locutio Dei a mera ipsius inspiratione secernenda est, quia illa propositionem saltem sententiarum dicendarum requirit, haec vero solam motionem et impulsionem ad aliquid dicendum vel faciendum.

In praesenti non refutantur falsae notiones divinae revelationis, quia necessarium non videtur; etenim demonstrata possibilitate et existentia revelationis in sensu proprio et strictiore, jam adversariorum notiones ruunt, nam ideo ab illis inventae sunt, ut revelationem stricte talem evertant. Praeterea notiones revelationis a rationalistis excogitatae non probantur ex aliquo signo divino, quum ipsi omne signum divinum et omne supernaturale explodere conentur; nec eas ostendere possunt solidis rationibus sive a priori, sive a posteriori; quocirca omnino respuendae sunt. Nec scientiarum progressus exigit rejectionem revelationis stricte talis; tum quia locutio Dei cum hominibus, ut est revelatio, non impedit usum et evolutionem facultatum naturalium, ut est manifestum; tum quia doctrina revelata a vero Deo non potest non esse vera, et idcirco vero scientiarum progressui non potest contradicere. Quod de rationalistarum definitionibus dictum est, applicari quoque potest definitioni revelationis a modernistis tradita, sc., «revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia»; quia haec definitio negatione locutionis proprie talis, quam Deus habeat erga homines, nititur. Vide decretum *Lamentabili*, prop 20.

**63.** Revelatio Dei varie dividitur. 1. Ratione ipsius revelationis seu manifestationis *a*) in *activam*, *passivam* et *completam*. *Activa* est actio Dei vi cujus ponitur signum manifestans conceptum Dei de re aliqua; *passiva* est ipsum signum positum, ejusque in creatura rationali receptio; denique *completa* est complexus activae et passivae. *b*) in *externam* et *internam*. *Externa* est quae fit signo quod a sensibus externis percipitur; *interna* vero quae fit modo a sensibus externis non perceptibili.—Haec, rursus, in *imaginariam* et *intellectualem* subdividitur. *Imaginaria* dicitur, si signum manifestans divinum conceptum de re aliqua imprimatur immediate in imaginatione, et hac media ab intellectu percipiatur; *intellectualis* autem, si signum manifestans in intellectu a Deo immediate imprimatur. Vide *S. Tom.*, 2, 2, q. 173, a. 2.

**64.** 2. Ratione personae ad quam revelatio dirigitur, dividitur *a*) in *immediatam* et *mediatam*. *Immediata* est, cum Deus alicui revelationem sine alterius personae interventu communicat; *mediata*, contra, si Deus alicui revelationem per aliam vel per alias personas communicat. Tamen, ut revelatio sit Dei, necesse est ut ipse Deus alicui suum conceptum immediate aperiat; secus enim non loqueretur neque revelaret Deus, sed illa creatura quae suum conceptum manifestaret. Quare ut revelatio sit divina non sufficit, ut Deo permittente fiat, quia aliter omnes revelationes essent divinae, cum nihil

eveniat nisi Deo saltem permittente; immo nec sufficit ut fiat Deo probante aut nomine ipsius, nisi ipse Deus rem dicendam suggesserit; nam secus non haberetur Dei locutio, et ideo neque ipsius revelatio in sensu stricto. *b*) in *publicam* et *privatam*. *Publica* vocatur ea quae in bonum omnium hominum aut saltem plurimorum ordinatur; et *privata*, quae primario et per se ad bonum alicujus aut paucorum dirigitur.

**65.** 3. Ratione objecti revelati in *supernaturalem quoad modum* et *quoad substantiam* dispescitur. Est *supernaturalis quoad modum*, si objectum revelatum solis naturae viribus cognosci possit. Atque omnis Dei locutio cum hominibus est supernaturalis saltem hac ratione, quia homines non exigunt Deum illis loqui, nec propriis viribus eum ad id inducere, et multo minus cogere valent, et naturaliter in Dei notitiam mediis rebus visibilibus dumtaxat venire possunt. Est *supernaturalis quoad substantiam*, si objectum revelatum solis naturae viribus aut nullo modo, aut saltem non modo certo, attingi possit. Hujusmodi sunt futura libera, necnon omnia supernaturalia entitative.

**66.** Inter res revelatas quaedam nuncupantur mysteria. Mysterium (μυστήριον) in genere dicitur res occulta, praesertim sacra. Inde, respectu hominum, sunt mysteria res omnes quae ex visibilibus cognosci nequeunt, quia homo propriis viribus, nonnisi ex his quae sensu percipi possunt, in rerum notitiam devenire potest, et ideo quidquid ex rebus sensibilibus deduci nequit, est homini simpliciter occultum. Atque hoc sensu lato vocantur quoque mysteria illa omnia, quae aut propter distantiam aliudve obstaculum ab homine vel non cognoscuntur, vel imperfecte valde, cujusmodi sunt ea, quae in astris et in visceribus terrae reperiuntur, necnon plura, quae in ipsis rebus quas videmus et tangimus adsunt. Item eodem sensu lato dicuntur mysteria ea, quorum possibilitatem cognoscimus, sed eorum existentiam demonstrare non possumus, ut sunt, v. gr., futura contingentia. Sensu etiam lato sunt mysteria illa quorum demonstramus existentiam, sed ignoramus modum quo sint, ut, v. gr. Dei libertas. Sensu vero stricto illud vocatur mysterium, quod ita mentem hominis excedit, ut non modo sine revelatione cognosci nequeat, verum etiam, hac posita, non demonstretur ejus intrinseca possibilitas, seu non repugnantia inter praedicatum et subjectum. Apposite Conc. Vaticanum, sess. 3.ª, c. 4 (*Denzinger*, nn. 1643 et 1644) sic loquitur: «Credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt... Divina autem mysteria, suapte natura, intellectum creatum sic excedunt, ut etiam

revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant...» Nihilominus in mysteriis strictiori sensu acceptis, quamvis possibilitas de singulis eorum seorsim consideratis demonstrari nequeat, at neque illorum repugnantia ostendi potest.

**67.** Observa.—Notiones religionis, supernaturalis, revelationis, mysterii, non ideo expositae sunt, ut ante earum demonstrationem jam ponantur existentes res illis respondentes, sed ut illorum verborum significatio, prout inter catholicos recipitur, intelligatur. Nam non suppositio, sed demonstratio revelationis et religionis verae est praecipuus scopus hujus tractatus; demonstrata vero existentia verae revelationis, ex hac probatur existentia ordinis supernaturalis et mysteriorum.

Rationalistae admittunt quidem religionem esse communicationem (1) animae cum Deo, sed nomine Dei intelligunt vel ipsum subjectum cogitans, vel id quod unicuique placuerit; hoc enim sequitur ex eorum doctrina, qua ponitur autonomia conscientiae, cogitationis et voluntatis. Imo plures rationalistae non videntur admittere alium fontem scientiae (2), nisi experientiam et observationem; unde omnia, quae experientiae et observationi non subjiciantur, aut prorsus rejicienda, aut saltem dubia et incognita habenda. Ex quo consequitur hominem non posse cognoscere verum Deum, nec spiritum, nec ea omnia, de quibus in metaphysica agitur; atque a fortiori esse

(1) Sic rationalista Sabatier *(Esquiss. d'une phil. de la relig.)* dicit: «Nous pouvons maintenant dégager et définir l'essence de la religion. C'est un commerce, un rapport conscient et voulu, dans lequel l'âme en détresse entre avec la puissance mystérieuse dont elle sent qu'elle dépend et que dépend sa destinée. Ce commerce avec Dieu se réalise par la prière.» Et paulo inferius: «On confond surtout dans notre pays, et l'on identifie l'hostilité déclarée à une religion exterieure, à un dogme, à une église, à une tradition, avec l'athéisme et l'irréligion. Rien n'est plus faux... Un homme qui se dit athée ne l'est jamais que à l'égard du dieu des autres. Il nie le dieu de son curé ou de son pasteur, celui de son enfance ou de ces voisins; mais regardez-y de plus près, il en a un autre, le sien, caché tout au fond de son âme...» Ex quibus apparet pro rationalistis Deum esse id, quod unicuique placeat statuere tamquam Deum.

(2) Idem Sabatier *(Les relig. d'autorité,* l. 3) inquit: «Deux conditions, en effet, sont nécessaires à une science pour se constituer... la seconde, c'est que, dans sa manière de l'étudier, elle renonce à la méthode d'autorité et fasse prévaloir, comme souveraine, la méthode d'observation ou d'expérience.» Et inferius applicans hoc theologiae dicit: «Étudier le phénomène religieux en général et le phénomène chrétien en particulier, voilà donc l'objet propre de la théologie, la part de la réalité qu'elle doit étudier et faire connâitre.» Ex quibus recte infertur juxta Sabatier et alios rationalistas Deum, quatenus sit aliquid reale, non esse nisi mera phaenomena. Quo ducit methodus, qua experientia, ut norma suprema, statuitur!

abjiciendum supernaturale et mysterium, quia nec experientiae nec rationi subjiciuntur.

Quam autem absurdum sit systema, quod non vult admittere nisi observationem et experientiam ut fontem scientiae, in philosophia demonstratur; et inde statim colligitur, quod tale systema, si esset sibi consequens, deberet rejicere omnia principia et regulas generales, quibus humana vita regitur; nam nullum principium, nihil generale per observationem et experientiam accipitur, sed sola facta particularia. Et defectus capitalis hujus systematis est fidere uni exercitio facultatum, sc. observationi, et non eodem modo fidere aliis exercitiis; quum tam observatio, quam judicium et ratiocinatio sint exercitia facultatis cognoscitivae eodem modo a natura originem ducentia, et eodem modo necessaria pro bono hominis, ut paululum rem consideranti manifestatum erit.

## ARTICULUS II

### De revelationis possibilitate in genere

**68.** Nota I. *Possibile* dicitur illud omne quod existentiam accipere potest; et *possibilitas* est illud vi cujus existentia potest tribui rei possibili. Duplex distinguitur possibilitas, altera *intrinseca*, *extrinseca* altera. *Intrinseca* datur, quum elementa seu notae quibus res constituitur non sunt invicem pugnantes seu contradictoriae; *externa* vero, quum habetur causa, quae possibilitati intrinsecae existentiam largiri potest.

Agitur in praesenti utrum Deus, sua locutione, possit proprie revelare homini seu manifestare res ignotas; praesertim attinentes ad finem illius ultimum cultumque Dei. Dixi *locutione sua*, quia de ea manifestatione agitur, in qua res manifestatae nitantur divina sapientia et veracitate; ad hunc autem scopum opus est eam manifestationem exhibere quid Deus sentiat seu judicet de rebus revelatis, quod quidem non fit sine locutione. Atque non modo agitur de possibilitate revelationis immediata, verum etiam mediata. Vide. n. 64.

**69.** Nota II. Negarunt divinae revelationis possibilitatem praeter atheistas, pantheistas et materialistas, naturalistae omnes ac

rationalistae, qui omne supernaturale esse repudiandum contendunt. Naturalistae et rationalistae saepe pro eisdem accipiuntur: si tamen distinguantur, vocantur naturalistae illi, qui Deum res universas produxisse hominique facultates impertiisse, quibus suum auctorem agnoscere seque perficere posset, concedunt, sed omnem alium Dei in rebus humanis interventum inficiantur. Rationalistae vero non omnem Dei interventum in rebus humanis rejiciunt, sed supernaturalem dumtaxat.

Verum plures naturalistae et rationalistae sunt pantheistae, aut saltem non admittunt ut certum, nisi quod experientiae et observationi subjiciatur.

Naturalistae et rationalistae revelationem, nomine tenus, admittere non recusant, sed ipsam rem omnino repudiant. Aliqui revelationem dividunt in universalem et particularem: universalem vocant eam cognitionem, quae ab homine per rerum naturalium considerationem de Deo et religione obtinetur; et particularem dicunt specialissimam Dei religionisque cognitionem, quam pauci quidam viri per rerum naturalium eventus consequuntur, quique peculiari aptitudine ad vera religionis principia aliis tradenda donantur. Alii aliter rem explicant (1). Denique naturalistae et rationalistae, licet modis valde diversis loquantur, revera in haec tria conveniunt: 1.° rationem humanam ita esse autonomam et independentem, ut aliquid admittere non debeat, nisi ejus intrinsecam veritatem ipsa perspiciat, aut experientiae et observationi subjiciatur. 2.° rationem sibi esse sufficientem ad omnes ordinis religiosi veritates cognoscendas, atque ideo revelationem supernaturalem, ut minimum, esse superfluam. 3.° cognitionem de religione, decursu temporis, jugiter evolvi et perfici. Vide plura apud *Jungmann*, de vera relig., 1 p., c. 1, a. 1; *Tanquerey*, de vera relig. c. 1, a. 1, n. 26 et seq.; *Wilmers*, de relig. revelat. lib. 1, c. 2.

(1) Sabatier *(Esquiss. d'une philos. de la Relig.,* l. 1) dicit revelationem individualem fieri generalem, quia revelatio uniuscujusque est etiam omnium. «Les biens moraux sont d'essence universelle... Les hommes ne sont divisés que par leurs idoles extérieures... C'est pour cette raison profonde que les révélations individuelles deviennent universelles.» Haec si cum aliis ejusdem Auctoris conferantur, ostendunt eum quamdam pantheismi speciem sustinere. Idem Auctor, eodem loco, definit revelationem sic: responsum Dei ad precem. «On peut dire, en effet, que si la religion est la prière de l'homme, la révélation est la réponse de Dieu, mais à la condition d'ajouter que cette réponse est toujours, au moins en germe, dans la prière elle-même.» Unde, quum hic asseratur objectum revelationis esse ipsam precem seu in illa contineri; et aliunde Auctor, eodem loco paulo inferius, doceat objectum revelationis esse ipsum Deum, legitime ex his infertur, juxta Sabatier, Deum esse nostram precem. «L'objet de la révélation de Dieu ne peut être que Dieu lui-même.»

## Thesis I.

**Deus, locutione sua potest homini immediate manifestare res ignotas, seu proprie revelare potest.**

Haec thesis philosophice est omnino certa, siquidem evidenter probatur; theologice vero, seu juxta doctrinam catholicam, est de fide, quia omnis Scriptura Sacra et plures traditiones sunt divinitus revelatae, atque ideo, ipso facto, possibilitas revelationis aperte asseritur. Et Conc. Vat. sess. 3, cap. 2, de revelat, can. 2, inquit: «Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit.»

**70.** *Prob. I.*—Revelatio, proprie talis, nec repugnat ex parte Dei, neque ex parte hominis, neque ex parte ipsius revelationis seu medii, quo manifestatio fit veritatis ignotae, nec denique ex parte veritatis revelatae. Ergo revelatio proprie talis possibilis est, quia si ex nullo illorum capitum repugnat, non est unde repugnet.

*Prob. Ant., per partes.* *a*) *Non repugnat ex parte Dei.*—Deus est infinite sapiens et omnipotens: quia infinite sapiens, infinitas cognoscit veritates quae ab hominibus ignorantur; quia omnipotens, non potest illi deesse medium manifestandi suas cognitiones, seu loquendi hominibus de rebus, quae ab illis ignorentur. Praeterea omnes creaturae rationales potestatem habent loquendi cum allis sive de rebus cognitis, sive de ignotis respectu audientum. Ergo id a fortiori potest Deus, qui illam potestatem creaturis impertiit. Atque potest quoque Deus manifestare res ignotas ad finem hominis ultimum, cultumque sibi debitum attinentes, quia ex historia omnium temporum liquet homines etiam sapientissimos, sibi relictos, in multis circa hominis finem et Dei naturam erravise.

*b*) *Non repugnat ex parte hominis.*—Nam imprimis humanus intellectus pro objecto, quemadmodum in philosophia ostenditur, habet ens seu verum, atque ideo quodlibet verum ab illo cognosci potest, dummodo eidem rite proponatur. Neque hominis dignitatem dedecet a Deo erudiri, quia si contra ejus dignitatem non est erudiri ab hominibus, multo minus a Deo. Nec contra hominis naturam est duci auctoritate eidemque cedere, cum vita hominum socialis ac mutua communicatio aliorum auctoritate magna ex parte necessario nitatur.

*c*) *Nec repugnat ex parte ipsius manifestationis.*—Etenim si quaelibet intellectualis creatura potest signa ponere, quae non modo rem aliquam manifestent, verum etiam illa a tali creatura ducere originem; cur Deus non poterit adhibere signa, quae et rem aliquam patefaciant, et ab eo originem ducere ipsiusque mentem aperire significent? Sicut vox humana rem, cujus est signum, et ex quo oritur ejusdemque mentem aperit, ita poterit Deus uti signis, quae res prout ab eo dictas manifestent. Praeterea cum signa quibus Deus ad loquendum utatur, ab illo ponantur, atque ideo ad ipsum referantur tanquam ipsius mentis manifestationes, certe in illius potestate erit hunc ordinem eorum signorum ad ipsum detegere, et sic facere ut ea signa vere sint Dei locutiones, seu divinae mentis manifestationes. Accedit quod si Deus signa producat ad suam mentem de re aliqua detegendam, verum erit signa illa a Deo esse posita ad suam mentem aperiendam; si autem hoc est verum in illa hypothesi, et omne verum est cognoscibile; cur Deus omnipotens non valebit tale verum creaturae certo manifestare? Denique potest Deus patrare miracula et facere prophetias, prout inferius demonstrabitur, ex quibus eum esse locutum certo colligatur. Praescindendo autem a miraculis et prophetiis, triplici ratione potest Deus certo manifestare se loqui. 1.° Si producat signa a sensibus externis perceptibilia simulque hominis mentem illuminet, ut hic ea signa tamquam divinae mentis manifestationes penetret. 2.° Si in phantasia imagines imprimat, atque illas divinam mentem de re aliqua significari intellectui aperiat. 3.° denique si immediate ita intellectum creatum illuminet, ut hic clare perspiciat rem aliquam a Deo dici. Atque haec omnia a Deo fieri possunt citra visionem ipsius, quia ipsa signa dicunt ordinem ad Deum, et non est, cur non possit Deus hunc ordinem patefacere sine ipsius visione. Sic etiam vox humana, quamvis non videatur homo a quo procedit, detegit ex quo oriatur. Vide dicta n. 63, et *S. Th.* contr. gent. l. 3, c. 154.

*d*) *Non repugnat ex parte rei revelatae:* namque sicut jam in *a*) dictum est, Deus infinita cognoscit, quae ab hominibus ignorantur.

**71.** 2.° Absurdum est asserere principes et parentes in ordine morali plus habere potestatis in subditos et filios quam Deus in suas creaturas. Atqui ita esset, si Deus non posset loqui suis creaturis eisque suam voluntatem manifestare. Ergo. *Major* constat, quia omnis creaturae potestas non est nisi aliqua participatio infinitae potestatis Dei. *Min. Prob.* Nam principes et parentes non modo possunt cogere subditos et filios ad legem naturalem servandam, verum etiam multa alia illis praecipere, eosque diversis modis dirigere.

Atqui Deus, si nequiret suis creaturis loqui et suam voluntatem manifestare, tantum obligaret ad legem naturalem servandam, neque alio modo posset praecipere, et suas creaturas dirigere nisi per merum cursum rerum naturalem. Ergo. Accedit quod ad infinitam Dei sapientiam, potentiam, bonitatem ac perfectionem spectat posse infinitis modis ac perfectissime gubernare suas creaturas. Atqui id non posset, si illas gubernare dumtaxat posset juxta ea, quae cursum visibilium causarum consequuntur, ut eveniret, si Deus non aliter suis creaturis quam per causas naturales se communicare posset. Ergo.

**72.** 3.° Admissa fuit apud omnes populos cemmunicatio Dei cum hominibus per locutionem seu revelationem, quemadmodum ex historiis et praesertim ex iis, qui hujusce rei studio operam specialiter dederunt, constat. Atqui iste communis omnium gentium consensus, si revelatio sit impossibilis, non explicatur. Ergo. Vide *Weddingen*, Les éléments raisonnées de la relig., chap. 3, n.° 7; *Wilmers*, de relig. revelat., lib. 1, c. 2, a. 3, n.° 72; *Hettinger*, Apolog. p. 1, lib. 1, s. 2, § 14, n.° 2; *Luken*, Les traditions de l' humanit. Introd. § 2.

**73.** Ea quae contra revelationis possibilitatem objiciuntur, facile evanescunt, si et natura Dei et natura hominis rite considerentur. Deus enim est quidem prorsus immutabilis, sed adversarii, ex revelatione, mutationem ipsius male colligunt; nam aliter etiam per creationem, conservationem et per quamlibet actionem ad extra mutaretur; et ideo, ne esset mutabilis, iners et omni actione privatus ponendus esset. Verum actionibus suis ad extra Deus nullatenus mutatur; tum quia quidquid in tempore facit, jam ab aeterno cum omnibus adjunctis decreverat; tum quia ad extra operatur, non quod perfectionem accipiat, sed ad suas perfectiones communicandas et manifestandas. Similiter divinam naturam non dedecet cum hominibus loqui; nam sicut Deum non dedecuit homines condere et ad debitum finem ordinare, sic neque eum dedecet illis loqui, et medio extraordinario eos ad finem adipiscendum juvare; neque ejus auctoritas aut altera perfectio per locutionem cum creaturis detrimentum subit cum, e contra, illas specialiter ad honorem et sujectionem sibi praestandam obliget. Item Deus sibi non contradicit, cum ex una parte voluerit ut homo ex cognitione rerum visibilium se perficeret, atque ex altera voluerit quoque eumdem per revelationem perficere; etenim hoc postremo medio non destruitur nec minuitur illud prius, sed homo specialiter illustratur et juvatur ad beatitudinem obtinendam.

**74.** Dices I.—Si Deus, qui est infinite activus, revelaret homini, hic se haberet tantum passive; quia actioni infinitae non potest nisi

passio ex altera parte respondere. Atqui passio absoluta homini non congruit. Ergo nec revelatio.

*Resp. Neg. Maj.:* Deus enim, quamvis virtute infinita praeditus sit, est agens liberum, et ideo suam actionem creaturis cum quibus agit, attemperat et nullo modo exercitium virtutis creatae impedit. Ipsa receptio revelationis in creatura est actus vitalis, ac proinde est active etiam ab ipsa creatura. Atque haec etiamsi necessario assentiatur revelationi evidenti, sicut in omnibus evidentibus contingit manet libera ad perpendendam revelationem acceptam, colligendas ex illa consecutiones, necnon ad agendum aut non agendum prout ab illa exigitur.

**75.** Dices II.—Revelatio prorsus rejicienda est, tum quia fanatismum fovet, tum quia seminarium est discordiarum, cum sectae invicem oppositae in revelatione fundentur.

*Resp. N. Assert*, et utramque *Prob.:* non enim stat prima, quia vera revelatio non fovet nisi veritatem et ea quae ad Deum conducunt, quum Deus, utpote qui infinite bonus est, non potest loqui hominibus nisi in eorum bonum; fanatismus vero est passio caeca et inordinata, et ideo ex divina revelatione non oritur. Similiter non stat altera ratio; quia Deus non potest revelare nisi verum, et unum verum non est oppositum alteri, et consequenter ex divina revelatione oriri nequeunt doctrinae et sectae oppositae. Aliunde non desunt criteria, quibus discerni possit utrum revelatio sit a Deo, necne.

## Thesis II.

**Nec repugnat revelatio Dei mediata, seu potest Deus sua locutione alicui res ignotas manifestare et per hunc aliis eadem patefacere.**

Haec thesis philosophice est certa omnino, et theologice est de fide, quia in revelatione mediata fundatur tota doctrina catholica. Et sic Conc. Vat., sess. 3, c. 3, can. 3, inquit: «Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse ideoque sola interna cujusque experientia, aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; A. S.»

**76.** *Prob.* 1.° Revelatio mediata neque ex parte Dei, neque ex parte hominis, neque ex parte revelationis vel rei revelatae repugnat.

*Prob. Ant., per partes.* *a) Non ex parte Dei.* Quia sicut rex suam voluntatem, mandata atque leges non debet singulis subditis immediate communicare, sed potest ea immediate communicare alicui mi-

nistro et per hunc caeteris; a fortiori Deus, qui est supremus dominus et omnipotens, poterit res ignotas alicui loqui, atque hunc efficaciter movere et inducere ut easdem aliis hominibus loquatur et patefaciat. Et si rex suum ministrum iis notis insignire potest, quibus agnoscatur agere et loqui nomine regis, multo magis Deus in sua potestate habet, ut ejus minister et loquatur fideliter, quae a Deo accepit, et agnoscatur nomine Dei loqui.

*b*) *Non ex parte hominis.* Nam ex una parte, ut ex priore thesi liquet, homo a Deo revelationem accipere potest, et ideo per eamdem cognoscere se a Deo ministrum constitui, ut nomine ipsius res revelatas aliis communicet; ex altera vero non est contra hominis naturam ut unus alios edoceat eisque veritatem manifestet, cum nullus sit homo qui plura ex aliis non didicerit. Praeterea Dei minister, miraculis et prophetiis quibus insigniatur, potest ostendere se nomine Dei loqui.

*c*) *Non ex parte revelationis aut rei revelatae.* Homines enim sufficientia habent signa quibus invicem loquantur, et quascumque res ignotas aliis manifestent. Aliunde ad divinam Providentiam spectat facere ut ejus minister fideliter communicet ea quae a Deo accepit.

**77.** 2.° Revelatio mediata ab omnibus populis admissa fuit, quod quidem factum, si contra hominis naturam esset et repugnaret, convenienter explicari nequiret. Atque ea quae n.° 72 dicta sunt, ad revelationem mediatam referuntur.

**78.** Dices I.—Multi mentientes se revelationem a Deo accepisse deceperunt populos, eosque in innumeros errores induxerunt. Atqui ad hujusmodi fraudes vitandas oportet omnem revelationem mediatam rejicere. Ergo.

*Resp. C. Maj.* et *N. Min.* Medium enim ad hujusmodi fraudes vitandas est non credere dicenti se a Deo revelationem accepisse, nisi id modo certo probet; probationes autem, in praesenti materia, sunt miracula, prophetiae de rebus contingentibus adimpletae necnon sanctitas vitae ac doctrinae non pugnantes cum iis, quae aliunde vera esse constat. Quocirca illi qui a fingentibus revelationes decepti sunt, suae imprudentiae id tribuant; nam crediderunt deceptoribus antequam ii suam divinam missionem certo probarent. Quare medium ad fallacias in hisce rebus impediendas est non agnoscere eum, qui se missum a Deo et revelationes accepisse asserit, nisi suae missionis certa argumenta afferat.

**79.** Dices 2.—Revelatio mediata jam desinit esse divina, eo quod non fiat a Deo, sed a creatura. Ergo eo ipso suam vim amittit et rejicienda est.

*Resp. N. Ant.* In revelatione enim mediata creatura nihil revelat, sed solum communicat id quod re ipsa a Deo fuit revelatum: unde tam divina est revelatio mediata sicut immediata, et discrimen inter utramque non est ex parte auctoris, sed dumtaxat in denuntiatione; illa enim per aliquem ministrum aliis denuntiatur. Tamen sicut jam indicatum est, huic ministro non est adhibenda fides, nisi modo certo suam missionen demonstret; secus fraudibus patens esset locus.

## Thesis III.

**Convenientius est ut revelatio fiat mediate; attamen ille qui tanquam Dei minister aliis divinam revelationem denuntiat, debet et certitudinem suae legationis habere, et eam modo certo aliis probare.**

Haec thesis quoad omnes suas partes est certa sive philosophice, sive theologice. Huic doctrinae adversantur plures protestantes, ut anabaptistae et quakeri, et ex his aliqui Sacras Scripturas prorsus rejiciunt. Vide *Wilmers,* de relig. revelat, lib. 1, c. 2, a. 2, n.° 63.

**80.** *1.ª p. Prob.* 1.° Revelatio mediata fovet hominum societatem, conjunctionem et concordiam. Atqui quod est hujusmodi convenientius est quam oppositum: nam societas est magnum hominis bonum necnom mutua conjunctio et concordia. Ergo. *Prob. Maj.* Illud fovet hominum societatem, conjunctionem et concordiam, quod homines cogit ad societatem formandam etiam in ordine religioso, necnon ad Deum eodem modo colendum. Atqui hoc praestat revelatio mediata: nam per hanc ex una parte alii ex aliis dependent in ordine religioso, quia alii ab aliis revelationem accipiunt, et ideo necesse est quamdam in ordine religioso societatem constitui; ex altera vero cum omnes eamdem revelationem et modum Dei colendi accipiant, sunt uniformes in cultu divino ac caeremoniis religiosis, quod certe mutuam conjunctionem et concordiam fovet. Ergo.

**81.** 2.° Homo Deum colere tenetur non modo cultu privato, sed etiam sociali et publico; quia non tantum individua, verum integrae etiam societates a Deo pendent et omnia bona accipiunt. Atqui revelatio mediata est convenientior ad cultum socialem Deo tribuendum; nam illa, sicuti dictum est, cogit homines ad se conjungendum in ordine religioso, et sic ad cultum socialem Deo exhibendum facilius inducuntur. Accedit quod per societatem religiosam homines meliori modo Deum colere et honorare possunt, quia ratione societatis ad

hunc scopum consequendum mutuo se juvant. Ergo convenientior est revelatio mediata, quae homines cogit ad societatem in ordine religioso constituendam, et inde facit ut Deus meliori modo colatur. Item cum omnes homines ejusdem sint naturae eumdemque finem habeant, idem modus colendi et honorandi Deum illis respondet: hoc autem per revelationem mediatam obtinetur, quia eadem revelatio, qua honor et divinus cultus statuitur, ab omnibus recipienda est.

**82.** 3.° quia revelatione mediata vitantur incommoda quae exsurgerent, si singuli homines privatis revelationibus ducerentur: nam facile improbi revelationes fingerent ad quaelibet facinora patranda, neque adesset norma publica et communis, qua falsitatis possent convinci, auderentque asserere se a Deo potestatem supra ipsam legem nuturalem, quum hujus materia est mutabilis, accepisse. Item ex defectu revelationis publicae, cui omnes essent subjecti, qui hallucinationem paterentur, corrigi non facile possent.

**83.** *Prob.* 2.ª p. seu ministrum Dei debere certitudinem suae legationis habere. Nam qui denuntiat aliquid hominibus nomine Dei et tanquam a Deo dictum, si id ei certo non constet, se exponit periculo fallendi in re gravissima. Atqui hoc illicitum est. Ergo.

**84.** *Prob.* 3.ª p., seu revelationem aliis modo certo esse probandam. Revelatio divina assensum firmissimum et irrevocabilem exigit; nemo autem ad assensum ejusmodi obligari potest, nisi certo probetur Deum esse locutum; alias modo firmissimo et irrevocabili posset quis rei falsae adhaerere, quod certe imprudens est. Ergo.

**85.** Dices I. — Ipsa Scriptura, quae a christianis ut Sacra et inspirata accipitur, videtur revelationi mediatae contraria; nam in *Jeremia XXXI,* 34 traditur: *Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum...* Et in 1.ª *Joann. II,* 27: *Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium.* Atque alii similes textus afferri possent. Ergo.

*Resp. N. Assert.*, neque rationalistis favent quae in oppositum adducuntur. Nam imprimis ea ipsa quae objiciuntur sunt revelationes immediate factae *Jeremiae*, *Joanni* aliisque scriptoribus sacris, quibus hi alios docent. Deinde, aperte Scriptura tradit necessitatem magisterii externi et revelationis mediatae accipiendae: sic in *Matth. XXVIII*, 19 et 20 dicitur: *Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Item ad *Roman. X*, 14 et 15: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedi-*

*cabunt nisi mittantur?* Quare verba objecta nullatenus faciunt sensum, quem adversarii contendunt, sed significant ipsum Deum immediate illuminare hominum intellectum, eorumque voluntatem movere ad amplectendam ac sequendam doctrinam immediate revelatam Prophetis, Apostolis aliisque Dei ministris; atque ideo non est ibi sermo de revelatione immediate facta singulis, sed de incitatione ad revelationem aliis factam sectandam. Atque illa Dei illustratio et motio quo copiosior existit, eo minus magisterium externum requiritur, et ideo ut abundantia gratiae tempore Novae Legis communicanda significetur, traditur *non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum.*

**86.** Dices II.—Prophetae aliquando ita a Spiritu rapiebantur ut non essent sui conscii, atque in hoc statu ab eodem Spiritu ad dicenda aliis ea, quae ipsi accipiebant, compellebantur. Ergo non est necesse ministrum Dei habere certitudinem revelationis sibi factae, quum possit compelli ad communicanda sibi revelata, et non esse sui compotem.

*Resp. N. Ant.;* nam prophetae cognoscebant ea quae illis a Spiritu communicabantur, et si aliquando usum sensuum amittebant, non autem usum rationis: sic etiam nonnunquam aliqui propter profundam aliquam considerationem ita abstrahuntur, ut nihil eorum quae circum illos aguntur, percipiant, et nihilominus tunc maxime rationem exercent. Immo, cum propheta revelationes acceptas aliis denuntiat, usu sensuum expedito gaudet; quia prophetia non deprimit hominem, sed eum perficit et elevat, multum autem deprimeretur propheta si, absque usu sensuum, cogeretur res in revelatione acceptas aliis communicare; quoad hanc enim denuntiationem instar somniantium et phreneticorum se haberet. Apposite *S. Hieron.* Prolog. in Isai. (M., L., 24, 19), inquit: «Neque vero, ut Montanus cum insanis feminis somniat, Prophetae in extasi sunt locuti, ut nescirent quid loquerentur, et cum alios erudirent, ipsi ignorarent quid dicerent... Legimus et in alio Apostoli loco: *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt* (I. Cor. XIV, 32), ut in sua habeant potestate, quando taceant, quando loquantur.» Et inferius in c. I, v. I. col. 23, subdit: «Ex quo Montani deliramenta conticeant, qui in extasi et cordis amentia Prophetas putat ventura dixisse: neque enim videre poterant quod ignorabant.»

## ARTICULUS III

### An Deus mysteria resque absolute supernaturales revelari possit

**87.** Nota I. Dictum est in n. 66 quid sit mysterium stricte tale. Quare a vera mysterii stricti ratione recedunt, qui contendunt mysteria esse aut res symbolice significatas, aut conceptus ex vividiore imaginatione haustos, aut ritus solis initiatis cognitos, aut veritates quae difficillime demonstrantur, et a solis sapientioribus attinguntur, aut ea quae nunc ignorantur, sed decursu temporis et majoris rationis cultura aperientur, aut alia his similia. Rationalistae, mysteria aut aliquo ex dictis modis similibusve explicant, aut ea penitus rejiciunt. Etiam stricti mysterii notionen pervertunt illi, qui ut *Günther*, posita revelatione, eorum existentiam solis rationis naturalis viribus demonstrari posse affirmant.

**88.** Nota II. Quum mysteria resque absolute supernaturales omnem naturam excedant, neque ullo modo in natura contineantur, sola naturalis ratio et ex mediis naturalibus eorum aut existentiam, aut possibilitatem demonstrare nequit. Unde improbandi videntur illi auctores, qui primo possibilitatem et existentiam ordinis absolute supernaturalis demonstrare contendunt, et deinde gradum faciunt ad possibilitatem et existentiam revelationis ostendendam; nam independenter a revelatione non probatur possibilitas, aut existentia mysteriorum et ordinis absolute supernaturalis, quum ad id desit medium proportionatum: et revera rationes quae ab his auctoribus ad intentum demonstrandum adducuntur, non sunt demonstrationes, sed dumtaxat argumenta verisimilia et suadentia.

Nec doctrinae traditae adversatur *S. Thomas,* quum lib. 1, contr. gent. c. 3, inquit: «Quod autem sint aliqua intelligibilium divinorum, quae humanae rationis penitus excedant ingenium, evidentissime apparet»; nam ibi *S. Doctor* solum vult probare Deum non posse perfecte cognosci neque ab intellectu humano, neque ab angelico, atque hoc quidem evidenter ostendit; sed non evidenter comprobat, neque id contendit, existere ordinem absolute supernaturalem seu superan-

tem omnem virtutem et exigentiam cujuslibet naturae creatae, et Deum ita excedere naturam creatam, ut a nullo intellectu creato, quantumvis perfecto, possit naturaliter videri. Ex adverso, doctrina *D. Thomae* videtur illis auctoribus contraria, quum haec, eodem loco, c. 9, dicat. «Ex praemissis igitur evidenter apparet sapientis intentionem circa duplicem veritatem divinorum debere versari, et circa errores contrarios destruendos. Ad quarum unam investigatio rationis pertingere potest; alia vero omnem rationis excedit industriam... Ad primae igitur veritatis manifestationem per rationes demonstrativas, quibus adversarius convinci possit, procedendum est. Sed quia tales rationes ad secundam veritatem haberi non possunt, non debet esse ad hoc intentio, ut adversarius rationibus convincatur, sed ut ejus rationes, quas contra veritatem habet, solvantur, quum veritati fidei ratio naturalis contraria esse non possit... Quae enim supra rationen humanam sunt, non credimus nisi Deo revelante. Sunt tamen, ad hujusmodi veritatem manifestandam, rationes aliquae verisimiles inducendae, ad fidelium quidem exercitium et solatium, non autem ad adversarios convincendos; quia ipsa rationum insufficientia eos magis in suo errore confirmaret, dum aestimarent nos, propter tam debiles rationes, veritati fidei consentire.» Nec dicas *S. Thomam* negare mysteria et ordinem absolute supernaturalem demonstrari singulatim, non autem in genere; quia si juxta *S. Thomam* sola ratio evidenter ostenderet admittenda esse mysteria stricte talia et ordinem absolute supernaturalem, non absolute affirmaret *S. Doctor, tales rationes* (i. e. ex solo lumine naturali) *ad secundam veritatem* (i. e. stricte supernaturalem) *haberi non possunt.*

**89.** Nota III.—Ratio naturalis juxta veritatem et doctrinam S. Th. modo allatam potest manifestare nulla esse argumenta demonstrantia impossibilitatem mysteriorum, immo adducere argumenta verisimilia et suadentia dari re ipsa illa mysteria; at non potest evidenter ostendere argumentis positivis eorum possibilitatem aut existentiam. Non enim est idem ostendere argumenta non probare rei repugnantiam, ac evidenter demonstrare ejusdem rei possibilitatem; nam ad illud prius sufficit patefacere argumenta rem illam non attingere; ad hoc autem posterius necesse est positive attingere ipsam rem ejusque naturam evidenter possibilem manifestare. Ita non est idem cognoscere rem aliquam ad summum montis alicujus non attingere, ac ipsum montis summum attingere ejusque naturam ostendere. Nec recte sic arguitur: non probatur rei impossibilitas, ergo res dicenda est possibilis; nam, quamvis ista argumentandi ratio in rebus nostro intellectui proportionatis teneat, sed non in his quae

captum nostrum omnino superant, quia, quum ad res illas non perveniamus, eo ipso nec possumus indubitanter asseverare illarum possibilitatem neque oppositum.

## Thesis I.

**Non demonstratur mysteriorum repugnantia, immo non desunt rationes verisimiles pro eorum existentia.**

Thesis est certa sive philosophice sive theologice, immo prior pars est de fide ex Conc. Vat. sess. 3, c. 4, can. 1, dicente: «Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri... A. S.» Et antea in cap. 4, praemiserat: «Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus.»

**90.** *Prob. 1.ª p.* 1.° Repugnantia mysteriorum ex rebus hujus mundi visibilis deberet demonstrari: homo enim propriis viribus in rerum notitiam vel repugnantiam venire non potest nisi per causas et effectus, qui in hoc mundo visibili reperiuntur. Atqui ex rebus hujus mundi visibilis non potest erui mysteriorum repugnantia. Ergo. *Prob. Min.* Res hujus mundi sunt entia ab alio, finita, materialia, extensa, aut in re materiali et extensa. Atqui ex rebus hujusmodi non probatur mysteriorum repugnantia; quia hae res solum habent analogiam aliquam cum Deo, atque ab eo infinite distant, quum Deus sit ens a se, infinitum, omnino simplex et purus spiritus; ex rebus autem quae infinite a Deo distant, tamque imperfecte eum imitantur, erui nequit nisi valde imperfecte qualis sit Deus, ac proinde ex illis definiri non potest, utrum in illo sint mysteria, necne. Ergo. Praeterea statuere ex rebus finitis, praesertim visibilibus, sint, necne, in Deo mysteria, est mensurare et formare Deum ex rebus ab illo sub omni ratione infinite distantibus, quod sane est prorsus absurdum.

**91.** 2.° Intellectus humanus est valde finitus; tum quia est proportionatus naturae humanae, quae est omnino limitata, tum quia innumera ignorat in ipsis rebus, quae hominem circumstant. Atqui intellectus finitus nonnisi imperfecte valde Deum attingere valet, et idcirco nequit decidere an sint in eo mysteria, necne. Accedit quod humanus intellectus cognoscit, juxta modum naturae humanae, quae est ab alio et potentialis et valde finita; quia vires sicut sunt proportionatae naturae, ita juxta modum et perfectionem propriae naturae operantur. Ergo quum modus cognoscendi humani intellectus infinite

distet a modo quo est Deus, utpote qui est ens a se et infinitum, non poterit humanus intellectus declarare Deum prout est nisi imperfecte, et ideo non sufficienter ad demonstrandum in illo nulla mysteria reperiri. Item cognitio Dei humana et naturalis est repraesentatio Dei finita et analogica et desumpta ex rebus infinite a Deo distantibus. Ergo ex tam imperfecta Dei cognitione non potest colligi utrum sint in Deo mysteria, necne. Denique homo potentiis valde limitatis constans et habitans in terra, quae si cum reliquis astris conferatur est veluti punctum et fere nihil, quomodo poterit definire mysteria repugnare in Deo, quum infinita ignoret in ipso mundo visibili, qui est quid Deo infinite minus?

**92.** 3.° Ut ratio humana demonstraret mysteria stricte talia repugnare, opus esset eam ita intime penetrare divinam naturam ut perspiceret etiam in Deo mysteria proprie dicta continere notas contradictorias. Atqui hoc humana ratio praestare non potest, quia ex dictis nonnisi imperfectissime Deum attingere valet. Ergo. Neque est idem esse aliquid supra et contra rationem: nam illud prius dicit aliquid, quod quidem vim intellectus humani superat, atque hoc nullatenus ostenditur repugnare, quum veritas sit infinita et intellectus humanus valde finitus; illud vero posterius dicit aliquid veritati evidenter cognitae repugnans, hoc autem reipsa est absurdum; nam duo contradictoria, eo ipso quod mutuo formaliter se destruant, non possunt simul esse vera.

**93.** *Prob. 2.ª p.* 1.° Verisimile est adesse in Deo illud, quo ejus summa perfectio atque infinitas commendatur. Atqui summa Dei perfectio atque infinitas per mysteria stricte talia commendatur: nam per haec ita superat creaturas ut hae propriis viribus ea quae in Deo sunt capere non valeant. Ergo verisimile est in Deo mysteria stricte talia reperiri. 2.° Intellectus divinus infinite excedit omnem intellectum creatum; quia est simpliciter infinitus, et omnis intellectus creatus est finitus; id autem quod est infinitum, excedit infinite omne limitatum; secus enim posset mensurari mensura finita, et eo ipso non esset infinitum. Ergo verisimile est intelligere ea, quae ab intellectu creato propriis viribus intelligi nequeant. 3.° In rebus naturalibus sunt plurima mysteria late talia, seu res quas humanus intellectus non capit, sed ab eo perspicerentur, si rite illi declararentur. Ergo in Deo, qui infinite res omnes superat naturales, verisimile est adesse mysteria stricte talia, seu ea quae etsi humano intellectui proponantur et declarentur, ab illo propriis viribus non perspiciuntur quo modo sint, aut esse possint.

## Thesis II.

**Non demonstratur repugnare hominis elevationem ad finem supernaturalem per media supernaturalia, immo id verisimile suadetur.**

**94.** Nota.—Juxta dicta in superioribus, erit finis supernaturalis ille qui sit supra omne omnino debitum et exigentiam naturae; et similiter media supernaturalia, quae nullatenus naturae ut sic debeantur, neque ab ea ullo modo exigantur. Thesis theologice considerata quoad priorem partem, seu quoad non demonstrationem repugnantiae elevationis hominis ad finem supernaturalem per media supernaturalia est omnino certa; quia indubium juxta doctrinam catholicam est vitam aeternam, in qua finis hominis ultimus consistit, et gratiam, quae ad illum finem est medium, esse prorsus supernaturales; philosophice vero est certa quoad utramque partem.

**95.** *Prob. 1.ª p.* Ex dictis in praecedentibus humanus intellectus, propriis viribus, nonnisi imperfectissime Deum cognoscit: ergo etiam imperfectissime ejus omnipotentiam attingit: ergo eo ipso non potest definire utrum potentia Dei infinita se extendat, necne, ad hominem elevandum ad finem supernaturalem per media supernaturalia: id enim non potest mens humana ex divina omnipotentia, quae tantum imperfectissime ab ea cognoscitur, eruere; neque ex ipso fine et mediis supernaturalibus, quia etiam haec vel nullo modo vel imperfecte valde ab eadem attinguntur. Neque id ostenditur repugnans ex parte hominis, quia, quum hujus natura sit prorsus finita et limitata, non excludit evidenter bona superiora a quibus supra omnem ejus exigentiam possit perfici et beari.

**96.** *Prob. 2.ª p.* Quia divina Omnipotentia omnem virtutem et exigentiam creaturae infinite superat; quia esse Dei certe superat infinite omne creatum: ergo similiter ipsius potentia, quae est juxta Dei entitatem et naturam. Ergo eo ipso verisimile est divinam Omnipotentiam posse perficere creaturas supra ipsarum virtutem et exigentiam, eo quod hac ratione potest divina Omnipotentia ostendere, se esse, ut revera est, supra omnem creaturarum virtutem et exigentiam.

## Thesis III.

**Revelatio mysteriorum sive immediata, sive mediata est possibilis, si mysteria dentur.**

Haec thesis, theologice considerata, est de fide, quia Ecclesia Catholica proponit nonnulla ab omnibus fidelibus credenda quae sunt mysteria stricte talia, et quorum revelatio immediata aliquibus tantum facta est, caeteris vero mediate; et speciatim Conc. Vat sess. 3, c. 4, can. 1, inquit: «Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam a naturalibus principiis intelligi et demonstrari, A. S.» Sin autem res philosophice consideretur, quum hac via mysteria stricte talia existere demonstrari non possit, sic nec revelationis eorumdem possibilitas; at hypothetice, i. e., si dentur mysteria, possibilis est eorum revelatio, sufficienter ratione naturali ostenditur.

**97.** *Prob. 1.ª p.* 1.° Non repugnat ex parte Dei, quia Deus omne verum perfecte cognoscit, et ideo potest etiam adhibere signa quibus ipsius mens de quocumque vero manifestetur. Nec repugnat ex parte hominis, quia objectum humani intellectus est quodlibet verum, dummodo illi rite proponatur; Deus autem intellectui humano etiam mysteria stricte proponere potest; quia homo habet notionem entis, veri, boni, substantiae, naturae, personae similiumque, quibus convenienter compositis quaelibet veritas manifestari potest, eo quod notiones entis, veri, substantiae etc., ad omnem ordinem evidenter transcendunt. Ergo. Nec refert mysteria non percipi ab humano intellectu per conceptum proprium, sed tantum per analogicum; nam id est commune omnibus, quae de Deo in praesenti vita attingimus, et nihilominus Deum a caeteris rebus clare distinguimus, multaque de illo cognoscimus. Item non refert nos in mysteriorum revelatione non perspicere nexum inter subjectum et praedicatum; quia, quum percipiamus quid per subjectum et praedicatum significetur, eo ipso jam intelligimus significationem propositionis sive affirmantis sive negantis, quamvis intimam hujus rei rationem nullatenus capiamus. Sic, v. gr., intelligimus quid significetur, quum dicitur: *in Deo sunt tres personae realiter inter se distinctae et unica natura identificata cum unaquaque persona;* sed qua ratione id eveniat aut evenire possit, nullo modo attingimus. Verum, posita revelatione, etsi adhuc veritatem propositionis exprimentis mysterium per motiva intrinseca

et petita ex ipsa rei natura non attingamus, illam tamen per motiva extrinseca cognoscimus, nempe quia Deus illam revelavit, et Deus, siquidem infinite sapiens et verax est, nonnisi verum revelare potest.

**98.** 2.° Rudes a sapientibus docentur plura, quae illi non capiunt quoad eorum intimam rationem et causam, et tamen cognoscunt quid per sapientum affirmationes aut negationes significetur. Sic, e. c. evenit circa astrorum motus, eclipses aliaque infinita. Ergo a fortiori Deus, qui sapientia et potentia omnes sapientes infinite superat, poterit revelatione docere homines res, quae ab istis non capiantur, atque ideo etiam mysteria stricte talia, quia secus hac in re sapientibus non infinite antecelleret. Et quum nemo existimet indecorum rudibus credere sapientibus de iis, quae ab illis non perspiciuntur, multo minus erit hominibus indecorum credere Deo de veritatibus, quarum intima ratio ab humano intellectu non capitur.

**99.** *Prob. 2.ª p.* Deus, sicuti probatum est, potest alicui mysteria immediate revelare. Ergo etiam per hunc potest eadem mysteria aliis revelare; quia sicut ille qui immediate revelationem accepit, aliquam mysterii notionem habet, et illud ab omni alio discernit, ita poterit aliis similem notitiam communicare. Deinde ad divinam Providentiam spectat facere ut legatus ipsius revelationem fideliter aliis renuntiet. Vide dicta supra, n. 76 et sq.

*Corollar.* Ergo Deus quascumque res ordinis supernaturalis revelare potest: nam hae res aut sunt mysteria stricte talia, aut non; si primum, jam ostensum est ea revelari posse; sin alterum, a fortiori, eo quod hominis capacitatem minus excedant.

**100.** Dices.—Humanus intellectus, quum ipsius objectum sit ens quod omnia transcendit, ad omnia se porrigere debet. Ergo debet etiam propriis viribus posse cognoscere mysteria.

*Resp. Dist. Ant.*: humanus intellectus debet se porrigere ad omnia quatenus sub conceptu entis et modo confuso et generali omnia attingat, C.; quatenus propriis viribus et seclusa revelatione quodlibet ens ita possit attingere, ut illud ab omnibus aliis, saltem modo certo, distinguat, N. Aliud est objectum quod absolute ab humano intellectu cognosci potest, aliud quod propriis viribus cum solo generali Dei concursu. Absolute ab humano intellectu potest cognosci quaelibet veritas, quia Deus modo extraordinario potest illum juvare, eidemque proponere quodlibet objectum, et hoc sensu intellectus humanus ad omne ens se extendere potest; etenim quum ipsam entis rationem attingat, non est cur non possit quodlibet ens cognoscere, dummodo illi rite proponatur, et quamvis naturaliter non adsint media ut quaelibet objecta illi convenienter proponantur,

non est Deo deneganda potentia id efficiendi. Propriis autem viribus in statu unionis intellectus noster, seclusa revelatione, non potest cognoscere nisi res visibiles et ea quae ex his inferantur; res autem alias tantum modo confuso et generali et non sufficiente ad unam rem ab alia discriminandam, aut solis conjecturis attingere valet.

## ARTICULUS IV

### De revelationis convenientia

**101.** *Praemitt.* Conveniens alicui dicitur illud omne, quod ei bonum aliquod sive intrinsecum sive extrinsecum affert. Unde quum bonum esse possit honestum, utile et delectabile, similiter illud quod est conveniens rationem boni honesti, utilis et delectabilis habere potest. Quocirca convenientia quam aliquid affert, erit honestatis, utilitatis vel delectationis, aut simul harum rerum omnium, aut aliquarum, prout sit bonum quod secum fert. Omnes naturalistae et rationalistae, revelationis possibilitatem negantes, a fortiori ejus convenientiam infitiati sunt. Vide *Jungmann*, de vera relig. p. 1, c. 1, a. 1, et *Vigouroux*, Les livr. saints et la critiq. rational. epoq. trois. lib. 2, 3 et 4.

#### Thesis I.

#### Revelatio Deo conveniens est.

**102.** Nota.—In thesi sermo est de convenientia honestatis, quatenus, nempe, Deum decet suas perfectiones creaturis communicare; non autem de convenientia utilitatis vel delectationis, quia operationes ad extra Deo utilitatem aut proprium delectationis augmentum non adducunt. Thesis est omnino certa sive theologice sive philosophice.

*Prob.* Conveniens est Deo suarum perfectionum participationem creaturis communicare, quia sic ipsius bonitas aliaeque perfectiones manifestantur, et ideo ponitur fundamentum ut a creaturis gloria illi tribuatur. Atqui per revelationem Deus creaturas peculiariter

suae cognitionis participes facit, et ex hujus cognitionis participatione alia bona non parvae aestimationis in illas derivantur, quemadmodum ex dicendis in hoc et sequenti articulo liquidum erit. Ergo.

### Thesis II.

**Divina revelatio homini conveniens est, praesertim veritatum ordinis moralis.**

**103.** Nota.—Conveniens hic sumitur pro convenientia tum utilitatis, tum honestatis, quia revelationis notitia homini et ad virtutes exercendas et finem ultimum adipiscendum inservit. Veritates ordinis moralis significantur illae, quae aut ad finem hominis ultimum, aut ad media illius comparandi spectant; atque de harum veritatum revelatione specialiter fit mentio, propterea quod earum cognitio hominem illuminat ad tendendum in finem ultimum. Thesis est certa sive philosophice, sive theologice, immo de fide, quum *Apostolus,* II ad Timoth. III, 16, dicat: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia»,* et *Conc. Vatic.,* Const. *Dei Filius,* c. 2, can. 2, decernat: «Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei adhibendo edoceatur, *A. S.*»

**104.** *Prob. 1.ª p.* 1.° Conveniens est homini novas veritates addiscere, notasque novo titulo et majori certitudine cognoscere; sic enim ejus intellectus manifeste perficitur. Atqui id a revelatione praestatur. Ergo. *Prob. Min.* Imprimis revelatione novae veritates addiscuntur, quum multa revelet Deus, quae antea ignorabantur; deinde si ea quae jam notae erant, revelet, haec cognoscuntur novo titulo seu modo, ut patet, et certius, quia cognoscuntur propter auctoritatem Dei revelantis, quae est motivum quolibet creato firmius. Ergo.

**105.** 2.° Canveniens est homini ab aliis erudiri, quia propriis viribus et sibi relictus manet rudis et pauca cognoscens. Ergo a fortiori est homini conveniens a summo magistro Deo erudiri prout per revelationem fit. Nec dicas magisterium Dei homini non convenire, quia per illud intima rei veritas, sicut per alia magisteria fit, non manifestatur; nam Dei magisterium, etiamsi intimam rei naturam non aperiat, propter infinitam ipsius sapientiam et veracitatem reddit nos certissimos rerum quas testatur, et ideo per hunc certitudinis excessum defectus perspicuitatis compensatur. Contra alia magisteria, quum fallibilia sint, nisi ipsas res evidenter detegant, per-

fectam certitudinem gignere nequeunt, et propterea, in quantum fieri possit, ipsam veritatem ab illis clare proponi oportet. Accedit quod ex una parte jam est intellectus perfectio cognoscere certo veritatem, etsi non habeatur evidentia; ex altera vero ratione obscuritatis homo suum intellectum in obsequium Dei captivare potest, quo specialiter illum, a quo omnia accepit, colit, et sic rem valde laudabilem facit.

**106.** *Prob. 2.ª p.* 1.° Homini praesertim est conveniens, id quod eum magis juvat cognitioni finis ultimi et mediorum ad eum conducentium; quia nihil magis hominis interest quam consecutio finis ultimi, in quo ejus beatitudo consistit, et haec consecutio pendet a finis ultimi et mediorum cognitione, per quam homo in suam beatitudinem procurandam dirigi debet. Atqui per revelationem homo facilius, certius et sine erroris admixtione finem suum ac media ad eum conducentia cognoscit, ac proinde per eam valde juvatur cognitioni finis ultimi et mediorum. Ergo homini praesertim est conveniens revelatio finis ultimi et mediorum, seu veritatum ad ordinem moralem spectantium. *Prob. Min.* Quia homo sine revelatione nonnisi post multum studium et laborem ad ipsius naturam, finem et media ad hunc spectantia cognoscenda modo certo pervenit, atque ex omnium populorum historia elucet apud gentes vera revelatione orbatas innumeros de iis rebus fuisse errores multasque opiniones. Hoc argumentum articulo proximo magis evolvetur.

**107.** 2.° Conveniens est homini scire determinatum Dei colendi modum qui ejus debito adimplendo sit sufficiens; sic enim homo securiori modo obligationem Dei colendi adimplere poterit. Atqui per revelationem iste modus cognosci potest, quum Deus cultum sibi praestandum revelare possit; et sine illa, saltem eadem securitate, cognosci non potest, quia, etsi suprema auctoritas modum Dei colendi praeciperet, non eo ipso talem modum a Deo probari constaret. Ergo. Item conveniens est homini scire modum quo veniam suorum peccatorum sit consecuturus; nam hac ratione sciet certo se a Deo veniam impetrare posse, et ideo ad eam postulandam, et ad media necessaria ut eam adipiscatur ponenda facilius movebitur. Atqui seclusa revelatione homo non potest scire modum aliquem, cui venia peccatorum sit infallibiliter adjuncta; etenim, quum quodlibet grave peccatum sit malitiae quodammodo infinitae, Deus pro illo quamlibet satisfactionem creaturae exigere potest, aut saltem nulla purae creaturae satisfactio assignari potest, qua Deum placari certo constet. Ergo. Denique conveniens est homini omne illud quod mutuam hominum concordiam, et societatem fovet. Atqui revelatio finis

ultimi mediorumque ad illum spectantium mutuam hominum concordiam et societatem fovet; quia sic uniformiore modo in suum finem tendent, quod certe concordiam et societatem promovet. Ergo.

## Thesis III.

**Revelatio quoque mysteriorum est homini conveniens, si mysteria dentur.**

**108.** Nota.—Mysteria hic pro mysteriis stricte talibus, juxta eorumdem definititionem supra traditam accipiuntur. Quod autem in thesi asseritur de mysteriis, caeteris etiam rebus supernaturalibus attribuendum est; nam rationes pro mysteriis afferendae, pro caeteris quoque ordinis supernaturalis rebus afferri possunt. Conveniens in praesenti sumitur pro honesto et utili, quia mysteriorum revelatio et hominem decet et perficit, eidemque ad rectius et altius de Deo sentiendum utilis est. Thesis theologice considerata est de fide, quia juxta fidem cognitio mysteriorum rerumque supernaturalium hominem in finem suum ultimum dirigit: unde *Conc. Vatic.* in Const. *Dei Filius,* c. 2, can. 3, inquit: «Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex se ipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere, A. S.» Philosophice thesis, facta suppositione existentiae mysteriorum, est certa.

**109.** *Prob. 1.°* Mysteriorum revelatio homini cognitionem rerum prorsus ignotarum impertit. Atqui homini conveniens est res antea omnino ignotas cognoscere. Ergo. Speciatim homo per mysteriorum revelationem concipit altiorem de Deo cognitionem, magisque quantum Deus a creaturis distet, attingit.

**110.** *2.°* Mysteriorum revelatio homini communicat rerum altissimarum cognitionem. Atqui hujusmodi cognitio est homini valde conveniens; quia cognitio ab objecto speciem desumit, et ideo quum mysteria sint objecta excellentissima, ex illis aliquo modo excellentiam cognitio participabit. Ergo. Unde *S. August.*, de Genes. ad litt. l. 5, c. 16, n.° 34 (M., L., 34, 333), inquit: «Cum sit incomparabili felicitate praestantius illum Deum ex quantulacumque particula pia mente sentire, quam illa universa (res creatas) comprehendere.» Et *S. Thom.*, lib. 1, contr. gent., c. 5, ait: «Ex quibus omnibus apparet, quod de rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animae confert.» Deinde revelatio mysteriorum rerumque ordinis supernaturalis eam homini cognitio-

nem attribuit, quae ex rebus naturalibus, saltem modo certo, nullatenus comparari potest. Atqui ejusmodi cognitio est homini valde conveniens, eo quod per illam elevatur homo ad ea dignoscenda, quae modo connaturali a solo Deo attinguntur. Denique mysteriorum revelatio cultum Deo debitum juvat, quia per illam habetur altior divinitatis conceptus; facit ut purius Deo credamus, quia ratio naturalis ex se nihil de mysteriis attingit; item magis incitat ad possesionem Dei desiderandam ob majorem de illo conceptam excellentiam. Atqui haec omnia sunt homini valde convenientia. Ergo.

**111.** *3.º* Mysteriorum revelatio hominem ab incommodis liberat. Ergo est illi conveniens. *Prob. Ant.* Seclusa hac revelatione, homo conceptum Dei sibi formaret, prout hic ex rebus naturalibus videtur erui, et ideo, v. gr., in Deo unicam adesse personam existimaret. Ergo mysteriorum revelatio hominem ab erroribus circa Deum liberat. Item ea revelatione superbia hominis retunditur, ejus audacia reprimitur, ipsiusque cautela in rebus judicandis augetur.

## ARTICULUS V

### De revelationis necessitate

**112.** *Praemitt. 1.º* Necessitas potest esse metaphysica, physica et moralis. Dicitur metaphysica, quum res nullo modo aliter se habere potest; physica, quum res aliter se habere non potest, juxta agentis creati vires; denique moralis, quum res, juxta vires agentis, aliter se habere quidem potest, sed cum tanta difficultate, ut nunquam aut raro eveniat. Si res nunquam eveniat, habetur necessitas moralis *stricta;* sin autem aliquando evenit, sed raro, *lata.* Triplici necessitati triplex opponitur impotentia, nempe metaphysica, physica et moralis. Id quod necessitati metaphysicae opponitur metaphysicam habet impotentiam seu impossibilitatem, quod physicae physicam, et quod morali moralem. Sic, quia moraliter necessarium est matrem diligere filium optimum, ideo, ex adverso, moraliter impossibile est filium optimum a sua matre non amari, aut odio haberi.

**113.** *Praemitt. 2.°* Quum quaeritur, utrum revelatio homini sit necessaria, potest id quaeri aut respectu finis naturalis, aut supernaturalis. Si de fine naturali agatur, constat hominem viribus physicis donari, quibus veritates sibi convenientes ad finem naturalem consequendum cognoscere sine revelatione potest, et ideo, respectu hujusmodi veritatum, non est quaestio de necessitate physica et multo minus de metaphysica, sed de morali dumtaxat. Si vero de fine supernaturali agatur, tum quidem de necessitate physica sermo est, eo quod homini, ut res sapernaturales attingat, vires desunt.

**114.** *Praemitt. 3.°* Ut rationalistae refellantur, non opus quidem est revelationis necessitatem ostendere, quia si illius amplectendae obligatio ejusque existentia demonstrantur, prout inferius praestabitur, jam rationalistarum systema devictum jacebit; tamen, contra eosdem, revelationis necessitatem defendere operae pretium erit, quum ita revelatio, a qua illi adeo abhorrent, valde commendetur. Etiam omnino aliud extremum est vitandum, videlicet illorum, qui traditionalistae vocantur, eo quod velint hominem per solam revelationem, perpetua traditione transmissam, ad veritates ordinis moralis cognoscendas pervenire posse, atque ideo illi physicam impotentiam ad res ordinis moralis cognoscendas tribuunt.

**115.** *Praemitt. 4.°* Doctrina catholica de hac re traditur a *Conc. Vatic.,* quod in const. *Dei Filins,* c. 2, dicit: «Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda sc. bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem *oculus non vidit...*» Et in can. 3, eidem capiti respondenti, decernitur quod supra adductum est, n.° 108. Juxta hanc doctrinam catholici consentiunt hominem physicam habere impotentiam ut res ordinis supernaturalis dignoscat, ob hancque rem, posita hominis in finem supernaturalem elevatione, revelationem ipsi esse absolute seu physice necessariam. Consentiunt quoque respectu veritatum moralium ordinis naturalis, non quidem physicae, sed morali impotentiae subjici, illique moraliter necessariam esse divinam revelationem. Verum hac in re nonnulla inter theologos existit dissensio: alii enim, ut *Ottiger,* theol. fundam., p. 1, s. 1, c. 2, th. 4, volunt moralem revelationis necessitatem respectu veritatum moralium ordinis naturalis non posse ostendi a priori, sed dumtaxat ex historia et ex

lapsu generis humani in idololatriam; alii vero communius, ut *Mazzella,* De relig. et Eccles. disp. 1, a. 6.; *Wilmers,* De relig. revel., lib. 1, a. 7, defendunt aliquo modo a priori probari posse. Haec quidem postrema sententia esse seligenda videtur, sed cum declarationibus quas paulo post subjungam.

### Thesis I.

**Revelatio moraliter necessaria est, ut homines generatim convenientem finis ultimi naturalis mediorumque ad eum conducentium notitiam habere possint, nisi Deus generi humano aliter provideret.**

**116.** Nota.—Dicitur *moraliter necessaria,* ut physica necessitas excludatur. *Homines generatim,* quia non negamus unum vel alterum ad illam finis ultimi et mediorum convenientem notitiam sine revelatione posse pervenire, sed asserimus homines generatim, sine revelationis auxilio, non posse moraliter illam convenientem sibi notitiam comparare. Quocirca haec moralis necessitas respectu singulorum non ponitur stricta, sed lata dumtaxat. *Convenientem finis ultimi naturalis mediorumque ad eum conducentium notitiam habere possint;* imprimis hic sermo est de fine, qui homini juxta suam naturam respondet, ac proinde ab illius elevatione in altiorem finem praescinditur. Deinde non asseritur necessitas revelationis, ut homo finem suum ultimum aliquo modo cognoscere ac adipisci possit, sed *ut convenientem illius et mediorum notitiam* moraliter nancisci queat. Haec conveniens notitia non aderit, nisi haec cognoscantur, videlicet Deus ejusque praecipuae perfectiones, providentia, finis ultimus hominis determinatus, spiritalitas ac immortalitas animae, hominem resque omnes visibiles Deo subjici, ab eoque tanquam a conditore dependere, et denique obligationes legis naturalis, quibus homo respectu Dei, sui ipsius et aliorum constringitur; quia sine horum omnium notitia moraliter impossibile est, ut rem paululum consideranti liquidum erit, hominem vitam instituere, et in suum finem tendere prout naturae rationali congruit. Denique additur *nisi Deus generi humano aliter provideret,* quia non contendimus Deum alio medio defectum revelationis supplere non posse, v. gr., per extraordinariam illustrationem, vi cujus homo veritates morales ordinis naturalis facile ex rebus visibilibus erueret. Thesis secundum subjunctas declarationes accepta est moraliter certa et philosophice et theologice.

**117.** *Prob. 1.°* Conveniens finis ultimi naturalis et mediorum ad eum conducentium notitia ea est, vi cujus homines generatim, quum ad usum rationis perveniunt, obligationes legis naturalis respectu Dei, sui et aliorum cognoscere possint. Atqui ad hanc notitiam habendam moraliter necessaria est revelatio. Ergo.

*Prob. maj.* Etenim sine illa notitia homines non possent vitam instituere, et in finem ultimum tendere, prout natura rationalis postulat eique congruit; haec enim postulat et exigit, ut rite sit ordinata, homines servare obligationes, quibus erga Deum, seipsos et alios adstringuntur.

*Prob. min.* Ad illam notitiam habendam opus est cognoscere Deum ejusque perfectiones, providentiam, finem hominis ultimum concrete et determinate, animae spiritualitatem et immortalitatem, et res omnes a Deo, tamquam a suo conditore, pendere; nam, sine horum omnium cognitione, obligationes legis naturalis, quibus erga Deum, nos ipsos aliosque stringimur, erui non poterunt; si enim non agnoscitur Deus ejusque praecipuae perfectiones, coli non poterit prout ei debetur; si non agnoscitur animae spiritualitas et immortalitas, atque finis ultimus hominis determinatus, resque omnes a Deo tanquam a suo conditore pendere, non attingetur modus vitae praesentis recte instituendae, aut saltem non eo modo, quo sufficienter ad recte vivendum moveamur. Atqui ut haec omnia possint homines generatim cognoscere, quum ad usum rationis perveniunt, est revelatio moraliter necessaria. Ergo.

*Prob. Min.* Ut haec omnia per demonstrationem modo certo cognosci possint, requiritur bonum ingenium et diuturnum studium: quia illae veritates ex una parte sunt valde remotae a sensibus, et ideo postulant assiduam ratiocinationem et consuetudinem abstrahendi a rebus sensibilibus, ex altera vero sunt multae et plurimas habent relationes; et propterea sine multo labore comparari nequeunt. Atqui, eo ipso, pauci ad illa cognoscenda pervenire poterunt, et ii nonnisi post longum tempus, cum dubiis et errorum admixtione. Ergo revelatio est moraliter necessaria, ut illa omnia possint generatim ab hominibus cognosci, quum ad usum rationis perveniunt.

*Prob. Min. ultima.* Quia multi, ne illarum veritatum investigationi vacarent, defectu ingenii impedirentur; multi, quia rerum temporalium administratione variisque negotiis detinerentur; multi pigritiae ac mollitiei indulgerent, illarumque veritatum perscrutationem non curarent: ergo pauci essent ad illas veritates comparandas apti. Atque ii ipsi ad illas nanciscendas, nonnisi post longum tempus pervenirent: partim quia in juventute passionibus impedi-

rentur, partim quia diuturnum studium requireretur. Denique si qui illas veritates attingerent, id non esset sine dubiis et errorum admixtione; sic enim fert humanae mentis imbecillitas, ut in diuturnis ratiocinationibus semper aliquid dubii et falsi admisceatur, necnon ut diversi saepe diversa se invenire profiteantur, ex quo etiam efficitur ut alii fluctuent. Vide *S. Thom.* cont. Gent. lib. 1, c. 4; Summ. theol. 2, 2, q. 2, a. 4; qq. dd. de verit. q. 14, a. 10.

**118.** Apposite ad hanc rem *Origines,* lib. 1, contr. *Celsum,* n.° 9 (M., G., 11, 671), inquit: «Ad haec ego: si fieri posset, ut homines, relictis hujus vitae negotiis, in solam philosophiam incumberent, nulla sane via esset potior. Invenietur enim in Christianismo non minor (ne quid arrogantius dicam) tum eorum quae creduntur disquisitio, tum propheticorum aenigmatum evangelicarumque parabolarum et sexcentorum id genus, quae figurate gesta vel sancita sunt, explanatio. Si autem id ab hominibus impetrari nequit, sive propter hujus vitae necessitates, sive propter eorum infirmitatem, quae in causa sunt, cur perpauci huic se studio dedant: ecqua ratio majori hominum parti subveniendi excogitari potest ea commodior, quam Jesus gentibus tradidit? Nam sciscitemur ab eorum qui credunt multitudine, quique peccatorum sordes, in quibus antea volutabantur, eluerunt, utrum sit illis conducibilius sine examine credidisse, et credendo supplicium peccata praemiaque virtutem manere, correxisse mores; an spreta fide simplici, non ante illam morum emendationem aggredi, quam doctrinae principia penitus investigaverint? Manifestum est, perpaucis exceptis, reliquos ne id quidem assecuturos, quod alii simplici fide consecuti sunt, sed in corruptissima sua vita remansuros.»

**119.** Dices.—Pauci illi qui ad veritates, quibus vita recte institui posset, dignoscendas pervenirent, alios easdem veritates docere possent. Ergo necessitas moralis revelationis non probatur.

*Resp. N. Ant.* Nam, si pauci aliqui ad illa cognoscenda pervenirent, id, seclusa revelatione aut alio auxilio extraordinario, non esset sine multorum errorum dubiorumque admixtione; quia rem aliter se habere humani ingenii infirmitas, atque opinionum inter sapientes diversitas non sinerent. Tamen, quamvis ea omnia ab uno vel altero sine erroribus et dubiis solo suo ingenio et labore cognoscerentur, isti nihilominus alios docere non possent. Etenim id via aut demonstrationis, aut auctoritatis praestarent. Non primum, quia multi ejusmodi viae non sunt capaces, aut defectu ingenii, aut quia non possunt, aut nolunt adhibere studium necessarium ad illas demonstrationes capiendas; non secundum, quia illis non crederetur;

partim quia humana auctoritas est fallibilis, partim propter opinionum diversitatem inter illos, qui sapientes se profiterentur, partim quia sapientes populo frequenter sunt suspecti.

**120.** Apposite *Lactantius,* De div. instit. l. 3, c. 27 (M., L., 6,433) inquit de philosophorum praeceptis: «Sed nihil ponderis habent illa praecepta, quia sunt humana, et auctoritate majori, id est, divina illa carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse, qui audit, quam est ille qui praecipit. Praeterea nihil apud eos certi est, nihil quod a scientia veniat. Sed cum omnia conjecturis agantur, multa etiam diversa et varia proferantur, stultissimi est hominis, praeceptis eorum velle parere, quae utrum vera sint, an falsa, dubitatur; et ideo nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare.» Et eodem loco l. 7, c. 7, c. 759, ait: «Sed docemus nullam sectam fuisse tam deviam, nec philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Sed dum contradicendi studio insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subvertunt, non tantum elapsa illis veritas est, quam se quaerere simulabant; sed ipsi eam potissimum suo vitio perdiderunt.» Cum his concordat *Cicero.* Quaest. tuscul. l. 2, c. 1, inquiens: «Est enim philosophia paucis contenta judicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens, eique ipsi et suspecta et invisa: ut vel, si quis universam velit vituperare, secundo id populo facere possit; vel, si in eam, quam nos maxime sequimur, conetur invadere, magna habere potest auxilia a reliquorum philosophorum disciplinis.» Atque haec modernis quoque philosophis revelationis hostibus similiter applicari possunt, quia etiam ipsi maxime inter se dissentiunt, et auctoritate ad alios docendos necessaria destituuntur.

**121.** *Prob. 2.° ex historia.* Constat nullum populum, revelatione privatum, pervenisse ad rectam vivendi rationem inveniendam, seu summam obligationum legis naturalis, quibus homo respectu Dei, suimetipsius et aliorum constringitur. Atqui hoc factum constans et universale, quum agitur de re gravissima, et quae hominis maxime interest, utpote quae a se dependentem habeat veram vivendi rationem veramque beatitudinem, non explicari potest, nisi quia summam illarum obligationum cognoscere, seclusa revelatione, est homini moraliter impossibile. Atque hoc ipsum eo magis confirmatur, quod omnes philosophi, revelatione orbati, quum multum in vera sapientia et recta vivendi ratione elaborarint, nihilominus in errores innumeros circa Deum, rerum originem et finem, animae naturam ac circa mores inciderunt, et quamquam aliqua vera invenerunt, sed nullo modo summam hominis obligationum naturalium respectu Dei, sui-

metpsius et aliorum. Vide *Bossuet,* disc. sur l'hist. univ., 2 p. c. 16; *Leland,* la Revel. prouv. par le pagan. *(Migne,* demonst. evang. t. 7, p. 707 et seq.); *Cesar Cantu,* Hist. univ. l. 6, c. 5; *Hergenroether,* Hist. de la Iglesia, introd. c. 2; *G. Kurth,* Orig. de la civil. moder., introd. et c. 1. Id ipsum quoque comprobatur ex modernis philosophis, qui revelationem repudiarunt, ii enim in pantheismum, scepticismum, materialismum aliosque errores abierunt, atque fere omnes ethnicorum philosophorum errores renovarunt.

**122.** *3.°* Ex philosophorum testimonio revelationis necessitatem aliquo modo agnoscentium. Tribuuntur *Socrati* haec verba, in Alcibiade II, n.° 13, inter opera Platonis dubia (ed. Didot, t. 1, p. 501): «Quare necesse est expectare, donec didicerit quis erga Deos atque homines quo animo esse deceat.» Id autem, ut ex contextu evincitur, a Deo discendum est. Et *Plato,* in Epinomi (ed. Didot, t. 2, p. 513) inquit: «Sed vere virtutem colentes, id quod omnium maximum est universae civitati. Hanc igitur partem dicimus natura maximam auctoritatem habere et posse quam pulcherrime et optime discere, si doceat aliquis; sed ne poterit quidem docere, nisi praeeat Deus...» Item *Cicero,* De nat. deor., l. 2, c. 66: «Nemo igitur magnus vir sine aliquo afflatu divino unquam fuit.» Denique *Jamblichus,* De vita Pythagorae, c. 28 ait: «Haec enim (ea, quae Deo grata sint) scire difficile est, nisi quis vel eum, qui Deum audivit, vel Deum ipsum audiverit, vel divino artificio cognitionem hanc sibi comparaverit.»

**123.** Nonnulla testimonia in confirmationem eorum, quae n.° 121, traduntur, afferre juvat: atque in hoc numero testimonia ethnicorum adducentur.

*a*) *Quid de Deo senserint ethnici. Cicero,* De nat. deor., lib. 1, n.° 1, inquit: «Velut in hac quaestione, plerique (quod maxime verisimile est, et quo omnes duce natura vehimur) deos esse dixerunt: dubitare se *Protagoras:* nullos esse omnino *Diagoras Melius* et *Theodorus Cyrenaicus* putaverunt. Qui vero deos esse dixerunt, tanta suut in varietate ac dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias. Nam et de figuris deorum, et de locis atque sedibus, et actione vitae multa dicuntur; deque his summa philosophorum dissensione certatur.» Et eodem loco, l. 3, c. 15: «Piscem Syri venerantur. Omne fere genus bestiarum Aegyptii consecraverunt. Jam vero in Graecia multos habent ex hominibus deos... Romulum nostri aliosque complures.» Item *Varro* (apud *S. Aug.,* l. 4, De civ. Dei, c. 32 (M., L., 41, 139) dicit: «De generationibus deorum magis ad poetas quam ad physicos fuisse populos inclinatos; et ideo et sexum et generationes deorum majores suos (id est veteres credidisse romanos) et eorum constituisse conjugia.» Rursus *Seneca* (apud *S. Aug.,* l. 6, De civ. Dei, c. 10 (M., L., 41, 190) ait: «Sacros, immortales, inviolabiles in materia vilissima atque

immobili dedicant, habitus illis hominum ferarumque et piscium; quidam vero mixto sexu diversis corporibus induunt: numina vocant, quae si spiritu accepto subito ocurrerent, monstra haberentur.» Et *Horatius*, lib. 1, satir 8, canit:

«Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum;
Quum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum, Deum inde ego...»

Denique *Juvenalis*, sat. 15, v. 10, inquit:
«O sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis—Numina.»

*b*) *Quid de providentia atque rerum origine. Cicero,* De nat. deor., lib. 1, c. 1, dicit: «Quod vero maxime rem causamque continet, utrum nihil agant, nihil moliantur, omni curatione et administratione rerum vacent; an contra ab his et a principio omnia facta et constituta sint, et ad infinitum tempus regantur atque moveantur, imprimis magna dissensio est...» Et eodem loco, 1. 3, c. 33, per interrogationem vivide asseritur. «Videsne, igitur, deorum judicio, si vident res humanas discrimen esse sublatum?» Et *Diodorus Siculus* (apud *Wilmers*, De relig. rev., lib. 1, c. 2, a. 7, n.° 100) testatur: «De primo hominum ortu duae apud summae auctoritatis physiologos et historicos sententiae habentur. Alii enim horum, qui et ortus et interitus expertem mundum statuunt, hominum etiam genus ab aeterno, sine ullo generationis principio, extitisse affirmant. Alii contra, qui et genitum hunc mundum et corruptioni obnoxium esse censent, perinde atque illum, homines quoque certo tempore ortum consecutos asseverant.» Denique *Tacitus*, annal (apud *Leland*, La revel. prouv. per le pag. 1.er, p., c. 16, § 5 (Migne, demonst. evang., t. 7, p. 953): «Mihi haec et talia audienti in incerto judicium est, fatone res humanae ac necessitate immutabili, an sorte volvantur: quippe sapientissimos, quique eorum sectam aemulantur, diversos reperies, et multis insitam opinionem non initia nostra, non finem, non denique homines, diis curae.» Hinc *Cicero*, Tuscul. 1. 5, cc. 40 et 41, ut laudabile docet aliquem sibi ipsi certis in adjunctis vitam eripere.

*c*) *Quid de animae immortalitate. Cicero* de animae immortalitate agens, Tusc., lib. 1, n.° 9, ait: «Geram tibi morem, et ea quae vis, ut potero, explicabo; nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa quae dixero; sed ut homunculus unus e multis probabilia conjectura sequens. Ultra enim quo progrediar, quam ut veri videam similia non habeo.» Et eodem loco n.° 10 ad finem, postquam philosophorum sententias de natura animae exposuit, inquit: «Harum sententiarum quae vera sit, Deus aliquis viderit: quae verisimillima magna quaestio est.» *Plato Socratem* sic loquentem inducit, in Apologia, n.° 32 (ed. Didot, t. 1, p. 32): «Mors enim est alterum e duobus: aut enim est tale, ut mortuus nihil sit neque sensum ullius rei habeat, aut, quemadmodum dicitur, in alium quemdam locum hinc animi est migratio. Et sive sensus absentia est istique somno similis, qui sine ullo somnio est, incredibile lucrum esset mors. Si vero migratio est mors hinc in alium locum, et vera sunt, quae dicuntur, omnes qui e vita excesserunt, ibi esse, quid beatius quam hoc esset, o viri judices? *Tacitus,* Vita Agricolae, c. 46, sic loquitur: «Si quis piorum manibus locus; si quis, ut

sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnae animae, placide quiescas, nosque domum tuam ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est...» Denique *Plinius*. Nat. hist., l. 7, c. 56, inquit: «Post sepulturam aliae manium ambages. Omnibus a suprema die eadem quae ante primum: nec magis a morte sensus ullus aut corpori aut animae quam ante natalem. Eadem enim vanitas in futurum etiam se propagat, et in mortis quoque tempora ipsa sibi vitam mentitur: alias immortalitatem animae, alias transfigurationem, alias sensus inferis dando, et manes colendo, Deumque faciendo, qui jam etiam homo esse desierit...»

*d) Quales ethnicorum mores fuerint.* Id evincitur eo quod passiones et vitia coluerint, ut indicat *Cicero*, De nat. deor., l. 2, c. 23, inquiens: «Quo ex genere, Cupidinis, et voluptatis, et Lubentinae Veneris vocabula consecrata sunt, vitiosarum rerum, neque naturalium...» Et eodem loco lib. 1, 28, morem paederastiae inter eos receptum esse innuit: «Deinde nobis, qui concedentibus philosophis antiquis, adolescentulis delectamur, etiam vitia saepe jucunda sunt.» Rursus in quaest. Tuscul., l. 3, cc. 1 et 2, inquit: «Nunc parvulos (natura) nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis sic restinguimus, ut nusquam naturae lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem, simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis, errorem suxisse videamur. Quum vero parentibus redditi, demum magistris traditi sumus, tum ita variis induimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmatae natura ipsa cedat... Quum vero accedit eodem, quasi maximus quidem magister, populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque desciscimus...» Idem *Cicero* de philosophis, Tuscul. l. 2, c. 4, dicit: «Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo et vita constitutus, ut ratio postulat? Qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? Qui obtemperet ipse sibi et decretis suis pareat? Videre licet alios tanta levitate et jactatione, iis ut fuerit non didicisse melius; alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio, quod quidem mihi videtur esse turpissimum.»

Ethnici, si quid virtutis exercebant, sibi tantum tribuebant, ut eruitur ex iis quae tradit ipse *Cicero*, De nat. deor., l. 3, c. 36: «Virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit... Propter virtutem enim jure laudamur et in virtute recte gloriamur... Num quis, modo bonus vir esset gratias diis egit unquam?... Ad rem autem ut redeam, judicium hoc omnium mortalium est, fortunam a Deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam.» Rursus ipse *Cicero*. De offic. l. 3, c. 19, inquit: «At vero si quis voluerit animi sui complicatam notionem evolvere, jam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit quibus possit, noceat nemini, nisi lacessitus injuria.» Vide *Lactantium*, Div. instit. l. 6, c. 18 (M., L., 6, 700). Denique qualia ethnicorum sacrificia fuerint, inter alios tradit *Seneca* apud *S. Aug.*, De civ. Dei, l. 6, c. 10 (M., L., 41, 190).

*e) Quid de alterius vitae poenis senserint ethnici.* *Cicero*, orat. pro

*A. Cluentio*, c. 61, ita loquitur: «Nam nunc quidem quid tandem illi mali mors attulit? nisi forte ineptiis ac fabulis ducimur, ut existimemus illum apud inferos impiorum supplicia perferre, ac plures illic offendisse inimicos, quam hic reliquisse; a socrus, ab uxorum, a fratris, a liberum poenis actum esse praecipitem in sceleratorum sedem atque regionem. Quae si falsa sunt, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem aliud mors eripuit praeter sensum doloris?» Item *Seneca*, Consol. ad Marc. c. 19, inquit: «Cogita nullis defunctum malis affici; illa quae nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse; nullas imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia et reos, et in illa libertate tam laxa ullos iterum tyrannos. Mors omnium dolorum et solutio est et finis.» Denique *Juvenalis*, Sat. 2, v. 149 et 152, canit:

«Esse aliquos manes et subterranea regna
Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.»

**124.** Ut magis appareat quam infirmum sit humanum ingenium revelatione destitutum, aliquos gravissimos subjiciam errores *Platonis* et *Aristotelis*, qui maximi inter Philosopos ethnicos habentur.

Nonnulli *Platonis* errores:

Docet, De civ. l. 3, n.° 406 et seq. (ed. Didot, t. 2, p. 54 et seq.) infirmos incurabiles esse relinquendos ut moriantur; item docet, eodem loco, l. 5, n.° 457 et seq. (D., 2, 88 et seq.) tanquam quid melius communitatem mulierum, et filios, suos ignorare parentes, necnon infantes ineptos relinquendos ut pereant: denique inter alia docet etiam, eodem loco, n.° 466 (D., 2, 94 et seq.) communitatem bonorum, et approbat pueris in praemium rei laudabiliter actae permitti ut inter se et cum aliis turpia exerceant.

Nonnulli *Aristotelis* errores:

Asserit aliquos, ex sua constitutione, esse servos Polit. lib. 1, c. 2 (ed. Didot, t. 1, p. 485 et seq.); fetus mancos aut debiles esse extinguendos, numerum prolium definiendum, et si quid ulterius gignatur, abortum faciendum; permittit proponi juvenibus picturas deorum obscenas, eodem loco, c. 15, p. 623; tum hoc loco, tum alibi ea quae circa filiorum nutritionem et educationem ad solos parentes spectant, magistratui omnino subjicit; denique, ut alia omittam, in Magn. Moral., quod opus *Aristoteli* tribui solet, lib. 2, c. 11 (D., 2, 175) haec habentur: «At erga Deum, amicitia nequaquam mutua, et ne amare quidem recipit. Alienum namque fuerit, si quisquam dixerit se amare Jovem.»

**125.** Patres scriptoresque eclesiastici etiam copiose tradunt ethnicorum errores morumque corruptionem, revelationisque ad remedium his malis afferendum necessitatem. Videri de hac re possunt ex PP. scriptoribusque ecclesiasticis graecis Auctor Orat. ad graecos; item Auctor Cohortat. ad graecos (M., 6, 229 et sep.); item S. Justinus, Apol. 1, n.° 27, c. 370; item Apol. 2, n.° 12 et 13, c. 463 et seq.; *Tatianus*, Orat. adv. graec.; *Theophilus*, ad Antolyc. lib. 1, n.° 9 et seq. (M., 6, 1038); itidem, l. 2, n.° 2 et seq. c. 1047; *Hermias*, Irris. philos. gent. (M., 6, 1169); *Clemens Alex.*, Cohort. ad gent. c. 1 et seq. (M., 8, 50 et seq.); rursus Stromat. lib. 1, c. 13

et seq., eodem loco, c. 754 et seq.; denique *Theodoretus*, Graec. affect. curatio, serm. I (M., 83, 790). Ex latinis pariter *Tertullianus*, Apolog. adv. gent. c. 9 et seq. (M., L., 336 et seq.); *Minutius Felix*, Octav. c. 16 et seq. (M., 3, 290 et seq.); *Cyprianus*, De idolor. vanit. (M., 4, 563 et seq.); *Arnobius*, Adv. gent. l. 3 et seq. (M., 5, 941 et seq.); *Lactantius*, Divin. instit. lib. 1, 2 et 3 (M., 6, 111 et seq.); *Hilarius*, In psal. 64, n.° 3 (M., 9, 414); et denique *Augustinus*, De Civ. Dei, a lib. 1 ad 10 (M., 41, 13 et seq.).

Sit in specimen Auctor Orat. ad graec. n.° 3, inquiens: «Vestri igitur dii, o graeci, prae libidine tales esse convicti sunt; vestri autem heroes, effeminati, ut declararunt vestrae historiae, quae tragoediis argumenta suppeditarunt...» Et in Cohort. ad graec. n.° 8, col. 252: «Igitur cum veri nihil ex magistris vestris de religione disci possit, ut qui vobis idonea suae rerum ignorationis documenta suis dissensionibus praebuerint; sequi mihi videtur, ut ad majores nostros recurramus, qui et multo antiquiores vestris fuere, nec quidquam proprio marte excogitatum nos docuerunt; nec inter se digladiati, aut suas invicem opiniones evertere conati sunt, sed sine ullo contentionis et partium studio scientiam a Deo acceperunt eamque nos docuerunt.» Item *Theophilus*, loco laudato, l. 2, n.° 12, col. 1070, dicens: «Videntur autem quae a philosophis et scriptoribus et poetis dicta sunt, fide digna esse, quia sermonis splendore illustrantur; inanis tamen et insulsa eorum oratio ex eo declaratur, quod luxurient apud eos nugae, ac veritatis ne ulla quidem particula inveniatur. Nam si quid veri ab iis praedicatum videtur, permistum est errore. At quemadmodum pharmacum aliquod mortiferum, si melle aut vino aut alia re hujusmodi permisceatur, totum inutile et pestiferum efficit, ita eorum dicendi copia nihil aliud esse invenitur quam laboriosae nugae, magisque pernicies esse eorum qui ei assentiuntur.»

Denique *Lactantius*, Div. instit. l. 5, c. 10 (M., L., 6, 583): «Nec est difficile docere, cur deorum cultores boni et justi esse non possint. Quomodo enim sanguine abstinebunt, qui colunt cruentos deos, Martem atque Bellonam? quomodo aut parentibus parcent, qui expulsorem patris sui Jovem: aut natis ex se infantibus, qui Saturnum? quomodo pudicitiam tuebuntur, qui colunt deam nudam et adulteram, et quasi apud deos prostitutam? Quomodo se rapinis et fraudibus abstinebunt, qui Mercurii furta noverunt, docentis non fraudis esse decipere, sed astutiae? quomodo libidines coercebunt, qui Jovem, Herculem, Liberum, Apollinem caeterosque venerantur, quorum adulteria et stupra in mares et foeminas, non tantum doctis nota sunt, sed exprimuntur etiam in theatris, atque cantantur, ut sint omnibus notiora? Possunt ne inter haec justi esse homines, qui etiamsi natura sint boni, ab ipsis tamen diis erudiantur ad injustitiam?»

**126.** Dices. — 1.° Si revelatio fuisset necessaria, Deus non satis ethnicis providisset, utpote qui ea omnino fuerint destituti. Atqui Deum non satis hominibus providisse nullatenus est asserendum. Ergo.

*Resp. N. Maj.* Deus enim Adamo aliisque Patriarchis necessaria et convenientia ad recte vivendum, finemque ultimum adipiscendum

revelavit, prout in ultima hujus tractatus disputatione exponetur; ex illa autem primitiva revelatione omnes homines ad convenientem harum rerum notitiam pervenire potuissent, nisi viam a Deo monstratam reliquissent, idololatriae, voluptatibus atque vitiis omnibus se tradidissent. Praeterea revelatio non absolute necessaria asseritur, sed cum duplici limitatione, prout in ipsis verbis theseos et in *notandis* dicitur. Una limitatio est, nisi Deus revelationis necessitatem per aliud medium suppleat; altera vero revelationem non esse necessariam, ut aliqua Dei notitia habeatur, et finis ultimus simpliciter obtineri possit, sed dumtaxat ut modo convenienti. Unde *Apostolus,* ad Rom. I, 18 et seq., tradit ethnicos aliquam Dei notitiam habuisse, aut saltem potuisse etiam moraliter sibi comparare.

**127.** Dices.—2.° Si in praesenti hominum statu revelatio necessaria est, ut conveniens finis ultimi mediorumque ad eum conducentium notitia habeatur, simili modo in quolibet hominis statu naturali esset necessaria, quia juxta dicta in superioribus ea necessitas in ipsa hominis natura fundatur. Atqui hoc nullatenus asserendum est, quia revelatio est supernaturalis quoad modum, et statui hominis naturali non potest esse necessarium et debitum aliquid supernaturale. Ergo.

*Resp. trans. maj.* et *dist. min.:* hoc nullatenus asserendum est absolute, *C.;* hypothetice, *N.* Probationem *Min.* etiam sic *Dist.:* statui hominis naturali non potest esse necessarium et debitum absolute aliquid supernaturale, *C.;* hypothetice, *N.* Est quidem contra rationem entis supernaturalis esse determinate necessarium et debitum alicui naturae; nam eo ipso quod sit debitum et simpliciter necessarium, exigitur a natura, et desinit esse aliquid supernaturale. Attamen non est contra rationem entis supernaturalis esse necessarium et debitum hypothetice, eo quod sic potest non esse necessarium et debitum ratione ipsius naturae, sed propter aliud, v. g. propter Dei voluntatem. *Trans.* vero *Maj.;* etenim potest esse in praesenti statu propter aliquam circumstantiam extrinsecam, v. g. propter peccatum, quo natura inficiatur, majorem revelationis, aut alterius adjutorii necessitatem haberi, quam in eo statu haberetur, in quo homo omnia naturalia sibi debita possideret, et peccato careret. Verum quidquid de hoc sit, theologi fere communiter consentiunt hominem, in praesenti statu, non esse intrinsece debiliorem, quam in statu in quo haberet omnia naturalia sine peccato. Quocirca homo possidens omnia naturalia sibi debita et carens peccato et omni dono supernaturali non potest, saltem generatim, pervenire sine revelatione aut alio speciali Dei adjutorio ad congruentem finis ultimi

mediorumque ad eum conducentium notitiam; atque hoc, re ipsa, ostendit ratio allata supra.

**128.** Dices 3.°—Ex dictis hoc inferri videtur, nempe naturam humanam, ratione sui, postulare hypothetice revelationem. Atqui quod a natura aliquo modo ratione ipsius postulatur, jam non est supernaturale. Ergo.

*Resp. N. Maj.* Ex dictis solummodo colligitur revelationem esse hypothetice necessariam humanae naturae, ut haec possit habere convenientem finis ultimi ac mediorum notitiam; minime autem infertur hanc revelationis hypotheticam necessitatem esse satisfaciendam, quia natura humana, ratione sui, hoc exigit, sed aliunde derivari potest, quod illa necessitas per revelationem sit implenda. Revera si homo, in statu mere naturali, sine peccato conditus esset, non exigeret revelationem neque hypothetice, sed ad summum in ordine cognitionis exigeret juvari specialiter a Deo ad finem ultimum et media ex ipsis rebus naturalibus cognoscenda; etenim hic cognoscendi modus est unicus homini naturalis, et consequenter si homo exigeret juvari ad cognoscendum, hoc exigeret juxta modum sibi naturalem, non autem eo modo, qui nullatenus intra ejus vires naturales continetur. Dixi *ad summum*, quia nonnulli thelogi negant naturam humanam exigere, ut specialiter a Deo juvetur, quamvis ponatur sine peccato. Deinde dixi *in ordine cognitionis*, quia si humana natura postularet a Deo specialiter juvari ad cognoscendum, similiter postularet speciale adjutorium ad recte appetendum.

**129.** Dices 4.°—Si humana natura cum omni perfectione, quae illi naturaliter debetur, non potest moraliter pervenire ad sibi comparandam convenientem finis ultimi et mediorum cognitionem, id Deo imputandum esset, eo quod naturam adeo imperfectam condere ret. Ergo Deus, ne illi imputaretur, naturam ejusmodi condere non posset; et nihilominus theologi fere omnes oppositum docent.

*Resp. N. Ant.* Si natura humana, propriis viribus relicta, est adeo imperfecta, id non ex Deo, sed ex ipsa originem ducit, propterea quod constat elementis tam distantibus, ut sunt materia et spiritus; et inde exsurgit difficultas res abstractas et invisibiles cognoscendi, pugna inter appetitum inferiorem et superiorem aliaque incommoda, quae efficiunt, ut humana natura sibi relicta non possit moraliter pervenire ad convenientem finis ultimi et mediorum cognitionem, neque vincere graves tentationes, neque universam legem naturalem diu et sine gravi lapsu implere. Tamen theologi, sicut fere communiter tenent hominem a Deo condi posse in statu, qui *naturae purae* vocatur; similiter docent Deum ita homini in illo statu condito esse

subventurum, ut non modo physice, quod jam ex se cum solo Dei concursu generali potest, sed etiam moraliter posset pervenire ad convenientem finis ultimi et mediorum cognitionem, et graves vincere tentationes, et universam legem naturalem constanter servare. Unde vero proveniret, quod Deus humanae naturae tali modo subveniret, non liquet: alii repetunt ex eo, quod illi naturae id simpliciter debitum sit, aut saltem quatenus homo per preces et bona opera, quae per proprias vires elicere potest, mereretur ut auxilia, ad ea quae non posset, ei tribuerentur; alii autem ex eo, quod ita se gerere divinam sapientiam, bonitatem et misericordiam decet, ac modo aliquo ab eis exigitur.

Verumtamen hoc auxilium quod, sive in ordine cognitionis, sive in ordine appetitionis, Deus homini impertiret ultra ea quae ipsi, juxta naturalem causarum cursum responderet, non extraheret hominem a statu mere naturali, seu naturae purae; tum quia illud auxilium esset entitative naturale, et ad summum quoad modum supernaturale, tum quia ordinaretur ad finem mere naturalem sive intrinsece sive extrinsece, tum quia esset transiens, et per illud nihil permanens communicaretur, qua natura in statu superiori constitueretur. Atque eaedem rationes ostendunt hominem non elatum iri supra statum naturae purae, eo quod Deus illi aliqua ad finem naturalem attinentia revelaret. Unde *Card. de Lugo*, de fide, d. 13, s. 1, n. 7, inquit: «Quare in natura etiam pura, et licet homo non esset ad finem supernaturalem elevatus, Deus sicut posset hominibus aliqua praecipere, ita posset mediate vel immediate cum iis loqui, sine qua locutione nec praecipere eis posset, atque adeo tunc etiam ipso naturae lumine constaret obligatio credendi Deo in iis, quae diceret; unde tota obligatio credendi lumine naturae cognosci potest.» De his videri possunt *Suarez*, De grat., proleg. 4, c. 2, n. 15, et lib. 1, c. 28; *Ripalda*, Contra Bajanos, lib. 1, d. 9, s. 2, n. 31 et seq.; *Salmanticenses*, De gratia, d. 1, c. 2, § 3; *Billuart,* De grat., dissert. 2, a. 2; *Franzelin*, De div. tradit. et Script., appendix, c. 3, § 4; *Mazzella*, De grat., d. 2, a. 6, n. 396; aliique.

**130.** Dices 5.°—Genus humanum, continuo progressu, ad eum statum devenire potest, in quo ea omnia ad naturalem ordinem spectantia sine revelatione cognoscat, quae per revelationem cognosci possent. Ergo revelatio generi humano necessaria non est, ut ad convenientem finis ultimi et mediorum notitiam pervenire possit.

*Resp. N. Ant.* Quum enim philosophi, qui revelationem repudiarunt, post tot saeculorum millia ad id non pervenerint, neque deinceps hoc adipiscentur, praesertim quum appareat philosophos

recentiores a revelatione aversos in eosdem antiquorum errores, quamvis novo apparatu novaque forma, incidisse. Atque ut res haec magis declaretur, nonnulla hic adjungam.

1.° Homo, natura sua, est perfectibilis, ut in philosophia exponi solet, et sic potest magis magisque progredi in cognitione et in aliis perfectionibus. Similiter nationes in artibus, scientiis, potentia aliisque bonis progredi possunt, atque ita multis gentibus contigisse historia testatur.

2.° Non quilibet homo in perfectione intellectuali, de qua potissimum hic agitur, constanter progreditur, sed vel propter desidiam, vel aegritudinem, vel negotia aliasque causas saepe in scientiis vel artibus non ulterius proficit, immo non infrequenter ea quae didicerat, obliviscitur. Nationes vero, prout ex historia constat, postquam scientiis, artibus, potentia aliisque bonis floruerunt, ab illo splendore decidere, et in statum multo minoris gloriae devenire, aut etiam penitus interire solent. Quocirca progressus continuus a rationalistis jactatus est contra historiam et experientiam. Nec dicant rationalistae revera genus humanum continuo progredi, sed aliquando ejusmodi progressum latere ad eum modum, quo flumen nonnumquam sub terra se occultat, ut deinde copiosius affluat. Non hoc dicant, quia ex historia liquet aliquas aetates praecedentibus multo imperitiores fuisse; imperitiam autem et ignorantiam nemo progressum latentem dixerit, nisi quis scientiae defectum esse ipsius augmentum et progressum autumet.

3.° In rebus ad Deum, finem hominis ultimum, et media ad eum conducentia attinentibus difficilior est progressus; ut elucet ex dictis n. 116 et 59. Nec philosophi recentiores, revelationis adversarii, oppositum evincunt, quum eorum scripta prodant eos vix aliud fecisse nisi pantheismum, materialismum aliosque antiquorum errores instaurare. Quare philosophiam, revelatione destitutam, esse impotentem ad ita detegenda officia erga Deum, se ipsum aliosque, ut homo recte vivere possit prout ab ejus natura postulatur, omnino concludendum est.

4.° Quamvis philosophi completam recte vivendi normam invenissent, tamen revelationis necessitas non vitaretur, quia ipsi ad alios docendos non essent idonei, ut constat ex dictis n.° 119. Accedit quod philosophi ea sui abnegatione ac veritatis propagandae studio carerent, quae quidem prorsus necessaria sunt, ut rudes barbaraeque gentes praeceptis legis naturalis erudiantur. Neque his adversatur errorem maximo ardore saepe esse propagatum, nam erroris propagationi passiones frequenter favent, quod quidem in veritate traden-

da non evenit. Vide plura apud *Ottiger*, Theol. fundam. p. 1, s. 1, c. 2, § 14 revel. necessitas.

### Thesis II.

**Homini ad finem supernaturalem evecto revelatio absolute necessaria est, ut ipse suis actibus liberis in eum finem tendere possit.**

**131.** Nota.—In hac thesi non asseritur absolute hominem ad finem supernaturalem extolli posse, neque ad eum finem jam re ipsa esse elevatum; sed res ponitur hypothetice dumtaxat, sc. tamquam si diceretur, si homo ad finem supernaturalem elevari posset, ad eumque re ipsa elevetur, revelatio illi absolute necessaria est ad libere tendendum in illum finem. Ratio est, quia possibilitas et existentia ordinis supernaturalis hic adhuc probata non supponitur, et, prout in superioribus dictum est, ex sola revelatione, saltem modo certo, demonstrari potest. Revelatio asseritur *absolute necessaria,* propterea quod viribus physicis, ut ordinem finemque supernaturalem cum certitudine et citra revelationem attingat, homo careat. Additur *suis actibus liberis,* quia si Deus voluisset communicare homini finem supernaturalem sine cooperatione ipsius proportionata, tum non esset necessaria revelatio, nam homo non teneretur in eum finem per suas operationes se referre. Verum sicut homo recte agere tenetur, sic etiam se referre in illum finem, quem Deus ipsi constituit, obligatur; etenim Deo tanquam suo creatori et domino prorsus subjicitur, unde si Deus statuat, prout ipsa postulat natura hominis, ut hic suis actibus liberis in finem ultimum feratur, obligatione id faciendi obstringitur. Quod si infantes ad hoc non tenentur, ideo est, quod actionum liberarum non sunt capaces. Thesis, theologice, est de fide, prout constat ex *Conc. Vatic.* allato in n.° 115.

**132.** *Prob.* Homo in finem supernaturalem, suis actibus liberis, tendere nequit, nisi illum cognoscat. Atqui ejusmodi finis sine revelatione, saltem modo certo et cum certitudine obligationis in eum tendendi, ab homine cognosci non potest; secus enim, contra id quod supponitur, simpliciter supra illius vires non esset. Ergo. Item sicut homo Deum tanquam auctorem ordinis naturalis colere tenetur, similiter in statu elevationis illum colere debet tanquam auctorem bonorum supernaturalium. Atqui, sine revelatione, non potest eum sic colere; etenim illum tamquam auctorem ordinis supernaturalis

cognoscere nequit, et cultus propter bona accepta exhiberi non potest, si ea bona ignorantur. Ergo.

**133.** Dices.—Homo naturaliter desiderat Dei visionem, in qua consistit finis supernaturalis. Ergo ut homo finen supernaturalem cognoscat, non est necessaria revelatio.

*Resp. Dist. Ant.:* homo naturaliter desiderat Dei visionem supposita per revelationem cognitione elevationis hominis in visionem Dei tanquam finem ultimum, *C.*; hac cognitione non supposita, *Subdist.;* desiderat Dei visionem absolute et efficaciter, *N.;* conditionate et inefficaciter, *Trans.* Si homo per revelationem semel cognoscat visionem Dei esse possibilem, eamque esse finem ejus ultimum, etiam naturaliter appetitu elicito bonum illud supremum desiderare poterit; quia in hoc nulla ostenditur repugnamtia, et est homini naturale appetere, quae valde bona esse cognoscit. Dixi *appetitu elicito,* nam appetitus innatus solum in ea tendit, quae naturae proportionata sunt; visio autem Dei non est homini proportionata, sed supra ejus exigentiam, et sola cognitio Dei abstractiva esset finis hominis naturalis. Seclusa vero divina revelatione, homo non haberet medium cognoscendi cum certitudine visionem Dei esse illi possibilem, multo minus eum ad illam tanquam finem destinari; quocirca si eam appeteret, esset dumtaxat sub conditione, si hoc fieri posset, et ideo conditionate et inefficaciter. Hoc vero ipsum transmisi, quod forte homo in illa hypothesi non cogitaret de Dei visione, aut illam sibi impossibilem existimaret, et sic nullatenus eam exoptaret. Unde *S. Thom.* Qq. dd., de verit. q. 14, a. 10, ad 3, iniquit: «Et ideo ad perveniendum ad finem supernaturalem in statu viae indigemus fide, qua ipsum finem cognoscamus, ad quem cognitio naturalis non attingit.» Quare ea omnia, quae in contrarium *S. Doctor* pluribus in locis asserere videtur, interpretanda sunt aut de appetitu revelationem consequente, aut de conditionato et inefficaci.

*Observa.* Divina revelatio est quoque absolute necessaria, ut ea cognoscantur, quae ita a libera Dei voluntate pendent, ut ex rebus creatis existentibus nullo pacto intelligi possint; nam, seclusa revelatione, illi qui Deum non vident, nullum habent medium, unde in eorum notitiam devenire possint.

## ARTICULUS VI

### De revelationis inquirendae ejusdemque amplectendae obligatione

**134.** *Praemitt. 1.º* Obligatio revelationis inquirendae nihil aliud est, nisi officium seu debitum, quo adstringitur homo ad ea media adhibenda, quibus convenientem revelationis notitiam nanciscatur. Quaenam sint haec media, inferius declarabitur. Obligatio autem revelationis amplectendae est officium revelationi sufficienter cognitae assentiendi, et juxta eamdem agendi. Haec obligatio ex ipso revelationis facto innotescit, neque opus est aliunde constare, dummodo de ipsa revelatione pro omnibus hominibus facta certo constet, quemadmodum ex dicendis colligetur. Similiter facta pro omnibus hominibus revelatione et sufficiente ejusdem promulgatione, jam per se evincitur ipsius inquirendae obligatio quoad illos, qui adhuc in ipsius possessione non sunt, prout etiam ex dicendis eruetur. Vide *P. Suarez*, De fide, d. 13, s. 1, et *Card. de Lugo*, De fide, d. 13, s. 1.

**135.** *Praemitt. 2.º* Obligationem inquirendi, et ideo etiam amplectendi revelationen negant *indifferentistae*. *Indifferentismus* est sistema illud, quod docet religionem aliquo modo rem esse indifferentem, hominesque non obligare. Dixi *aliquo modo*, quia varii sunt indifferentismi gradus; nam imprimis alius est indifferentismus *absolutus* (1), alius *relativus*. Prior tenet religionem esse absolute indifferentem, ac proinde homines, prout ipsis placuerit, bene agere sive nullam, sive aliquam religionem sectentur; posterior admittit quidem aliquam religionem esse sectandam, sed liberum relinquit unam vel alteram profiteri. Indifferentismus relativus iterum in *universalem* et *particularem* dividitur. *Universalis* tradit omnes prorsus religiones esse aeque bonas et utiles, et ideo quamlibet earum profiteri, prout locus, vel tempus, vel proprium placitum

(1) Rationalistae omnes, quum statuant absolutam autonomiam rationis et conscientiae, aut indifferentismum absolutum debent consectari, aut illum saltem non improbare, si consequentes sint.

postularit, satis esse; *particularis* vult quidem religionem christianam esse tenendam, verum unam vel alteram ejusdem formam profiteri liberum existimat. Indifferentismus particularis in tractatu de Ecclesia rejicietur, et etiam inferius d. 2, c. 3, a. 6; hic, saltem indirecte, impugnabitur indifferentismus relativus universalis. Indifferentismus absolutus in Philosophia refutari solet, et statim apparet quanta est ejus absurditas, quum Deum esse colendum neget, Deum, inquam, infinite excellentem et bonum, cui homines tamquam auctori et primo principio, absoluto domino, supremo legislatori ac fini ultimo adstringuntur. Ab indifferentismo non secernitur tolerantismus dogmaticus, nisi quatenus iste specialiter respicit jus quod cuicumque religioni concedit ut permittatur. De tolerantismo politico seu de facultate, quae a potestate politica detur hanc, vel illam, vel etiam quamlibet religionem profitendi, in tractatu de Ecclesia sermo erit.

### Thesis I.

**Homines, qui ad revelationem pro omnibus factam cognoscendam adhuc non pervenerunt, eidem inquirendae per se adstringuntur.**

**136.** Nota.—Dicitur *pro omnibus factam*, nam si fieret dumtaxat pro aliqua communitate vel populo, qui ad illam communitatem vel populum non pertinerent, illa revelatione per se non adstringerentur, ac proinde neque eamdem inquirere deberent. Dicitur quoque *per se* adstringuntur, quia si aliqui ignorantia hujus obligationis invincibili laborant, dum in ea versantur, ratione hujus ignorantiae, per accidens, ad inquirendum non obligantur. Haec inquirendi obligatio certe est gravissima, quum de re gravissima agatur, ut ex probationibus liquidum erit. Thesis sive theologice, sive philosophice certa est, et quatenus doctrina ipsi opposita indifferentismo nitatur, damnata fuit in Syllabo *Pii IX*, prop. 15 et 16; XV ita se habet: «Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.» Et XVI: «Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt.» Praeterea in *Pii IX* Encyclica, data 9 nov. 1846 (*Denzinger*, n. 1498) legitur: «Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet, Deum esse locutum...»

**137.** *Prob.* 1.° Homo Deum sibi loquentem, quamvis tantum

mediate, audire, eique credere tenetur; quia ex una parte Deus potest nobis loqui seu revelare mediate tantum, ut supra ostensum est; ex altera vero, si nobis loquitur, vult et potest nos obligare ad eum audiendum, sibique credendum; vult, quia summa reverentia et subjectio debita infinitae ipsius sapientiae et veracitati id postulat; potest etiam, quia omnium hominum est conditor et supremus dominus. Atqui eo ipso, qui ignoret revelationem pro omnibus factam, obligatur etiam, per se, ejusdem inquisitione; etenim unum officium affert quoque alterum, nempe obligationem adhibendi media ad illud implendum necessaria; ac proinde qui debet revelationem cognoscere, eique credere, debet etiam inquirere, si eam ignorat, quum hoc ad illud sit necessarium. Sic si princeps legem omnes ejus subditos obligantem tulit ac promulgavit, qui illam ignorent, debent mediis convenientibus eam inquirere, nec princeps adstringitur singulis subditis speciatim suam legem intimare.

**138.** 2.° Homo habet officium tendendi in suum ultimum finem mediis a Deo praeceptis; quia ex una parte sine consecutione finis ultimi non potest esse beatus, ex altera vero obligatur divinis praeceptis. Atqui ad hoc officium implendum debet inquirere revelationem pro omnibus factam, si illam ignorat; aliter namque non potest in finem ultimum mediis a Deo praeceptis se referre, saltem sine prudenti timore oppositi; etenim prudenter timere potest, ne revelatio finem ultimum ac media ad eum nanciscendum necessaria decernat, immo de iis agere, si revelatio detur, censendum est, quum Deus omnia in suam gloriam dirigat; haec autem, quoad homines, in fine ultimo diligenter procurando consistit. Ergo.

**139.** 3.° Homo non modo praeceptis legis naturalis, verum etiam omnibus quae Deus superaddat, obedire tenetur; id enim requirit perfecta subjectio, quam homo debet Deo tanquam suo conditori, absoluto domino et legislatori supremo. Atqui divinis praeceptis, quae revelatione denuntientur, homo obedire non potest, si eam ignoret, et non inquirat. Ergo obligatur revelationis inquisitione, ut in notitiam veniat praeceptorum quae per illam denuntientur. Nec prodest dicere ea praecepta, si dentur, non esse sufficienter promulgata, et sic nec per se obligare; etenim sicut revelatio christiana, quae, prout infra demonstrabitur, est unica vera, est per totum orbem sufficienter promulgata, similiter praecepta quae in ea continentur.

**140.** 4.° Ideo homo revelationem pro omnibus factam inquirere non deberet, quia in dubium prudens de ejus existentia non veniret; nam si de ejus existentia prudenter dubitat, nequit veritati investi-

gandae non adstringi, quum de re gravissima, et a qua suprema ejus felicitas aut infelicitas dependet, agatur. Atqui homo, qui in verae religionis possessione non est, in dubium prudens de revelationis existentia per se veniet. Ergo. *Prob. Min.* 1.° Quia revelatio christiana per totum orbem diffusa est, et ubique ejus excellentia et necessitas praedicatur: unde omnes, per se, aliquid de illa audient, et ideo in dubium, an sit vera, necne, venient. 2.° Qui religionem christianam non profitetur, aut nullam revelatam sequitur religionem, aut paganismum, vel buddhismum, vel mohammedismum, aut judaismum; omnes enim religiones ad aliquod ex his membris revocari possunt. Atqui ejusmodi homo non christianus quamcumque profiteatur religionem, in dubium de existentia revelationis veniet. Ergo. *Prob. Min.* Si nullam profiteatur religionem revelatam, quum apud omnes gentes reperiantur notiones revelationis seu communicationis Dei vel deorum cum hominibus, necessario in ejus animo dubia de hac re exsurgent, quae quidem deponi non poterunt, nisi diligenter revelationis veritas quaeratur et inveniatur. Si paganismum, vel buddhismum, vel mohammedismum sectetur, quum quaelibet ex his religionibus plura absurda contineat, et solidis fundamentis non nitatur, in prudentia dubia de ejus veritate incidet, quocirca veram religionem et revelationem investigaturus est. Denique si judaismum sequatur, etiam de veritate illius prudenter non poterit non dubitare, quod multa Deum eam religionem dereliquisse, ac christianae favere suadent, et aliqua ex his in ejus notitiam certe venient.

**141.** Dices 1.°—Eo ipso quod quis inter alicujus religionis cultores natus sit, eamque ab infantia didicerit, potest existimare Deum velle illum in eadem religione perseverare. Ergo ejusmodi homo haud tenetur revelationis inquirendae obligatione.

*Resp. N. Ant. et Cons.* Namque si argumentum aliquid concluderet, eadem vi probaret Deum velle illum, qui inter Dei contemptores natus esset, idque ab infantia didicisset, in Dei contemptu perseverare, quod sane absurdissimum est. Quare non omnia, quae eveniunt, Deus probat, sed plura dumtaxat permittit, et non impedit, quia hominibus liberas exercere actiones sinit, nec quae ex his consequuntur, miraculis mediisque extraordinariis ab eo auferenda sunt. Deus colendus est eo modo quo ipse praecepit, et manifestavit, non praecise eo cultu, in quo quis natus et educatus sit; nisi hic revera sit idem cum illo, quem Deus praecepit. Quocirca in re tam gravi sufficit hominem de veritate suae religionis prudenter dubitare, aut non leves rationes in contrarium habere, ut veram religionem quaerere debeat.

**142.** Dices 2.°—In veram religionem revelatam, si detur, inquisitione pervenire impossibile est. Atqui rei impossibili obligari nemo potest. Ergo. *Prob. Maj.* Ad veram religionem inveniendam opus est fundamenta uniuscujusque religionis accurate perscrutari et ponderare, necnon unamquamque religionem cum singulis aliis conferre, et tandem quae religio sit praeferenda concludere. Atqui nemo potest haec omnia facere, quia religiones sunt fere innumerae, et ad singulas poenitus cognoscendas essent addiscendae fere omnes linguae. Ergo. Ita quoad rem *Rousseau.*

*Resp. N. Maj.* et ad hujus *Prob. N.* etiam *Maj.* Ut vera religio revelata inveniatur, non opus est ea omnia praestare, quae in difficultate indicantur; sed sufficit investigare, ubi reperiantur notae et signa, quibus certo constet Deum esse locutum; atque hoc modo veram invenire religionem nullo modo est impossibile, praesertim quia religio christiana, quae unica vera est, prout infra probabitur, ita propagata est per totum orbem, ut fere ubique inter omnes religiones emineat et splendeat fama sanctitatis, miraculorum aliarumque notarum, quae divinam ipsius originem ostendunt. Ratio hujusce rei est, quia sicut sapiens legislator, si ferat legem, ita eam promulgat, ut omnes qui sincere obedire velint, in illius notitiam certam devenire possint; similiter Deus, si pro omnibus hominibus aliquid revelat, suam revelationem sufficienter promulgat, ac talibus notis atque signis eam distinguit, ut omnes qui sincere illam quaerant, eamdem modo certo invenire queant.

Atque semel cognita aliqua religione tanquam divina, eo ipso ceterae omnes illi contradicentes rejiciendae sunt, quia Deus sibi contradicere non potest, immo omnes illi oppositae et contrariae, quia nulla est ratio cur Deus modis oppositis aut diversis a diversis hominibus coli velit; ac si hoc voluisset, certe faceret ut hoc certo constaret, quod quidem non fecit. Praeterea si quis voluerit omnes religiones examinare, non est necesse singillatim illas perpendere, sed sufficit modo generali id facere secundum dicta n. 140.

Denique, si quod in objectione asseritur staret, multa consequerentur absurda, ut recte dicit *Liebermann*, L. 1, p. 1, c. 2, s. 1, n. 67, his verbis: «Sequeretur enim neminem Deum unicum colere, justum ab injusto secernere, neminem mentem humanam immortalem credere posse, nisi omnes philosophos inter se dissidentes legerit et argumenta in utramque partem pugnantia perpenderit, aut novos humani generis praeceptores ipse audierit. Sequeretur opifices et agricolas totam vitam legendo, meditando, discurrendo, transigere debere. Quod sane ridiculum est. Jam vero si absurdae

consecutiones principii falsitatem evidenter probent, quilibet intelligere potest, quid censendum sit de ridicula illa *Rousseau* argumentatione.»

### Thesis II.

**Inquisitio verae revelationis non est facienda examine philosophico, aut interna experientia, sed perscrutatione signorum externorum, quibus factum revelationis directe demonstratur.**

**143.** Nota. — *Examen philosophicum* est perscrutari, utrum revelatio aliquo modo intrinsece vera perspiciatur; quocirca haec methodus revelationem rationi humanae subjicit, contenditque veritatem revelationis ex motivis intrinsecis esse cognoscendam, nempe, quatenus ratio, ex his quae in doctrina revelata perspicit, illam esse veram sibi persuadeat. *Interna experientia* hic sumitur pro quibusdam animi motionibus, quae ad aliquam doctrinam amplectendam vel ad aliquid faciendum inclinant; et generatim pro eo omni, quod homo interne experitur. Vide inferius c. 2, aa. 6 et 7, ubi haec magis declarantur. In thesi non excluditur posse juvare ad veram revelationem dignoscendam, perspicere illam recte rationi congruere, nihilque absurdi continere; verum haec via non necessaria est ad discernendam amplectendamque veram revelationem, quamvis ad eam repudiandam sufficere possit, nimirum, si in illa aliquid manifeste aut falsum, aut bonis moribus repugnans invenitur. Similiter animi motiones non sunt necessariae ad revelationem detegendam, quamquam ad id juvare possunt. Signa externa sumuntur pro miraculis et prophetiis, de quibus in capite proximo sermo erit. Prior pars theseos est contra rationalistas; altera, de interna experientia, contra plures protestantes, tertia demum est communior inter catholicos, eidemque congruit *Vatic.* in Const. *Dei Filius*, c. 3, et can. 3, dicens: «Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; A. S.»

**144.** 1.ª p. *Prob.* 1.° Inquisitio revelationis facienda debet esse omnibus possibilis; quia omnes revelationis ignari per se illam facere debent, et ad revelationis cognitionem pervenire, ut ex dictis in proxima thesi constat. Atqui inquisitio examine philosophico maximae hominum parti non est possibilis; nam ad recte judicandum motivis intrinsecis de iis, quae ad Deum, mundum, hominem moresque spe-

ctant, requiritur intellectus iisce rebus valde excultus, qui certe a perpaucis habetur. Ergo.

**145.** 2.° Inquisitio examine philosophico ad revelationem inveniendam nec sufficit, nec necessaria est. Ergo non est facienda. *Prob. Ant.* per partes. Imprimis non sufficit: nam si revelatio contineat mysteria, quum haec humanam rationem superent, philosophice aestimari non possunt. Deinde non requiritur: etenim, ut infra probabitur, adsunt argumenta omnino distincta ab examine philosophico, quibus factum revelationis certo probatur; atqui facto revelationis semel demonstrato examen philosophicum non requiritur; quia eo ipso de rerum revelatarum veritate certo constat, quum Deus nonnisi verum possit revelare; aliter enim non esset infinite et sapiens et verax simul. Ergo.

**146.** 3.° In rebus ad Deum, finem ultimum atque ad morum honestatem spectantibus homo in errorem facile incidit: tum quod res istae a sensibus valde remotae sunt, tum quod, propter rerum visibilium voluptatumque amorem, judicium facile perturbatur, prout ex a. 5 liquet. Ergo ratio humana sibi relicta, seu solo examine philosophico, de revelatione difficulter judicare potest.

**147.** 4.° Inquisitione per examen philosophicum aut veritates revelatae detegerentur positive, i. e. motivis intrinsecis, quae illas demonstrarent, aut tantum negative, i. e. demonstratione solummodo non repugnantiae. Atqui nullo ex his modis sive seorsim, sive simul sumptis detegitur, saltem directe, factum revelationis. Ergo. *Prob. Min.* Imprimis si adsint mysteria, non possunt demonstrari positive, quum rationem omnino superent; immo nec negative, quia ex dictis in art. 3 sola ratio humana, quoad mysteria, neque eorum repugnantiam, neque oppositum ostendit. Praeterea, quamvis ratio humana aut negative, aut positive, aut utroque modo veritatem rerum revelatarum patefaceret, non inde factum revelationis directe colligeretur; quia illarum intima veritas et non repugnantia a revelatione non dependet.

**148.** *Prob.* 2.ª p. — 1.° Interna experientia nec sufficit, nec est necessaria ut revelatio dignoscatur. Ergo inquisitio per internam experientiam non necessario est facienda. *Prob. Ant.* quoad priorem partem, i. e., non sufficit. Nam si illa interna experientia in perspicientia veritatis revelationis aut non repugnantiae consistit, non datur, saltem in omnibus aut fere semper, prout multi viri omnino fide digni testantur. Si vero in quadam suavitate et delectatione, vel motione inducente ad revelationem admittendam, neque hoc sufficit; etenim illa motio neque est aliquid quod, per se, a divina revelatione

efficiatur; aliter enim semper ac de rebus revelatis, quatenus talibus, cogitaretur, excitaretur, quod certe ipsa experientia falsum esse constat; neque est aliquid, quod per se a Deo immediate aut mediate fiat in illis, qui prima vice divinam revelationem percipiunt, et quo veram revelationem a falsa discernant: nam hoc est etiam contra experientiam et nullo nititur solido fundamento. Ergo non est sufficiens. Deinde non est necessaria, quia independenter ab illa habentur miracula et prophetiae, quibus revelatio divina certo probatur, quemadmodum ex dicendis inferius apparebit.

**149.** 2.° Illa motio obnoxia est erroribus et deceptionibus: tum quia non facile discernitur, utrum a bono an a malo spiritu originem ducant; tum quia experientia constat plures, qui meris motionibus internis regebantur, in plura absurda incidisse. Ergo inquisitio revelationis, quae interna experientia fiat, non est aut sufficiens aut necessaria.

**150.** *Prob.* 3.ª p.—1.° Revelatio est factum Deo liberum, saltem quoad modum; nam, quamvis facta aliqua hypothesi, Deus revelationi faciendae adstringatur, adhuc tamen est illi prorsus liberum seligere hunc potius, quam illum hominem tanquam legatum ad revelationem immediate accipiendam aliisque communicandam; item revelare immediate per se ipsum, aut mediis angelis, hoc loco et tempore, aut alio, etc. Atqui factum liberum nullo convenientiori modo demonstratur, quam argumentis obviis et directe tendentibus ad ipsum factum testificandum, ut in praesenti materia sunt miracula et prophetiae. Ergo.

**151.** 2.° Ideo revelationis factum non esset probandum argumentis, quae ipsius facti existentiam prodant, aut quia id esset impossibile vel difficile, aut quia non sufficeret. Atqui neutrum dici potest. Ergo. *Prob. Min.* Non primum; quia quum Deus suam revelationem omnibus hominibus innotescere velit, eo ipso cum illa conjungit ea signa, quae omnium intellectui sunt accommodata, et certitudinem existentiae revelationis tribuunt; aliter enim Deus non satis provideret, ut homines ad revelationem attingendam pervenire possent. Non secundum; nam si de existentia revelationis certo constat, jam etiam constat esse vera omnia, quae in revelatione continentur, quum Deus nec falli nec fallere possit.

## Thesis III.

**Revelatione pro omnibus facta sufficienter cognita seu proposita, adest gravis ejusdem amplectendae obligatio.**

**152.** Nota.—Ea quae ad clariorem hujus enuntiationis intelligentiam desiderari possunt, jam allata sunt in superioribus. Ex ibidem dictis etiam constat adversarios hujus theseos esse eosdem, qui revelationis inquirendae obligationi contradicunt. Doctrina hujus assertionis est omnino certa tam philosophice, quam theologice, eaque traditur a *Vatic. Conc.* in Const. *Dei Filius*, c. 3, his verbis: «Quum homo a Deo, tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur.» Idem *Concil.*, eodem loco, can. 1, inquit: «Si quis dixerit rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; A. S.» Immo thesis est de fide, quum in Symbol. *Athanasiano* haec tradantur: «Quicumque vult salvus esse, ante omnia, opus est ut teneat catholicam fidem, quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit absque dubio in aeternum peribit.» Similia in aliis fidei formulis habentur. Huc praeter propositiones Syllabi allatas, n. 136, etiam facit propositio 17 ejusdem Syllabi, in qua asseritur: «Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.»

**153.** *Prob.* 1.° ex argumentis in superioribus allatis: nam revelatione pro omnibus facta sufficienter proposita, jam constat Deum nobis esse locutum per suum legatum vel legatos; Deo autem nobis, etsi tantum mediate loquenti, credendum est, quia propterea nobis loquitur, ut ei credamus, et vult nos stricte et graviter huic rei obligatos, quum hoc exigat infinita reverentia summae ipsius sapientiae et veracitati debita. Item debemus tendere in ultimum finem eo modo, quo Deus statuat, et servare omnia, quae praecipiat. Ergo est gravis obligatio revelationis amplectendae, in qua plura circa finem ultimum statuantur, et plura praecepta contineantur.

**154.** 2.° Ideo non adesset obligatio revelationis sufficienter propositae amplectendae, quia admitti posset indifferentismus, aut saltem in omni casu sufficeret colere Deum prout cognitum per solam rationem naturalem independenter a revelatione. Atqui neutrum dici potest. Ergo. *Major* constat: tum quia adversarii non alia

afferunt fundamenta, tum quia congruenter excogitari medium non potest. *Minor* autem per partes probanda est.

*Imprimis non potest admitti indifferentismus.* Hic, si ponatur absolutus, jam in philosophia refutatur, et ex dictis supra, n. 135, apparet quam sit absurdus, ac proinde de illo hic loqui non est necesse. Jam, indifferentismus relativus universalis non potest admitti, quia est falsus, divinis perfectionibus repugnans, naturae humanae non congruens atque in atheismum ducens. *Est falsus*: statuit enim, saltem exercite, Deum juxta hominis arbitrium esse colendum; hoc autem est falsum; tum quia homo prorsus dependet a Deo tanquam a suo Creatore, Domino et Legislatore, quocirca ad ipsum Deum spectat statuere modum, quo colendus est; tum quia unaquaeque res secundum propriam excellentiam colenda est, quare Deo secundum infinitam ipsius excellentiam cultus tribuendus est, non juxta hominis placitum. Ergo.

*Est divinis perfectionibus repugnans*: nam sanctitati, sapientiae, veracitati, summae Dei auctoritati aliisque ejusdem perfectionibus repugnat Deum aeque probare, eodemque modo respicere, sicut docet indifferentismus, cultum inhonestum et honestum, monotheismum et polytheismum, cultumque fundatum in veris Dei perfectionibus et in falsis. *Humanae naturae non congruit*: etenim hominis natura est talis, ut per intellectum in verum, per voluntatem in bonum tendat: ergo ejusmodi naturae non congruit similiter approbare et exercere cultum verum et falsum, bonum et malum, sicuti juxta indifferentismi doctrinam habetur. Denique in *atheismum ducit*: quia tribuere Deo perfectiones invicem repugnantes, prout, saltem exercite, facit indifferentismus, eumque modis contradictoriis, inhonestis et cum aequali virtutis et vitii approbatione colere, revera est Deum destruere, et atheismum stabilire.

*Deinde non sufficit Deum colere independenter a revelatione.* Quia, sicuti dictum est, homo a Deo tanquam a suo Creatore, Domino et Legislatore prorsus dependet: ergo si Deus per revelationem statuit cultum aliquem, iste servandus est. Neque hic cultus debet esse oppositus cultui qui Deo, juxta rationem naturalem, debetur; nam Deus, per revelationem, potest docere cultum perfectiorem et excellentiorem, ut revera fecit, atque ideo cultus naturalis per alium meliorem compensari potest.

## Thesis IV.

**Tum revelatio est sufficienter proposita, quum de ea certo constat.**

**155.** Nota 1.°—Certitudo varie accipitur: aliquando pro firma mentis adhaesione, quamvis rei falsae sit praestita; verum in sensu proprio et formali dicit actum mentis connexum cum veritate, et definiri potest: *firma mentis adhaesio alicui objecto propter motivum cum veritate infallibiliter connexum.* Ponitur *firma mentis adhaesio*, quia proprium est certitudinis ita adhaerere objecto, ut omnis titubatio et formido oppositi excludatur, atque ideo cum illa judicium sive explicitum sive implicitum, quo periculum falsitatis vel aliud aequivalens asseratur, non adsit. *Propter motivum*, per hoc enim certitudo proprie talis ab illa, quae a voluntatis pertinacia originem duceret, secernitur, nempe, quatenus fundamentum firmae adhaesionis est motivum, quod illam exigit. *Cum veritate infallibiliter connexum*, quia motivum certitudinis, stricte et absolute talis, necessario debet secum ferre veritatem assensus, atque ita quidem, ut motivum sit hoc modo cognitum, secus enim non esset causa firmae adhaesionis sine timore oppositi. Dixi certitudinis *stricte et absolute talis*, quia haec est illa, cujus definitio tradita est; nam illa quae solum est firma adhaesio, et excludit timorem ob capacitatis defectum in subjecto, quia istud, nempe, infirmitatem motivorum non videt, solummodo veluti per accidens vocari potest certitudo, et ideo a theologis non dicitur *absolute* et *simpliciter* certitudo, sed *respectiva*.

Ex posita explicatione jam elucet distinctio inter certitudinem *proprie* et *absolute* talem, qualis est definita, et illam quae solum est *respectiva* et *secundum quid*. Faciliori autem modo distinguitur certitudo ab opinione et dubio: nam opinio est assensus cum oppositi formidine; dubium vero assensus suspensio ob motivorum defectum, vel ob eorum aequalitatem et oppositionem. Denique certitudo ab evidentia quoque distinguitur; haec enim est propositio objecti tam clara et aperta, ut rem aliter se habere non posse manifeste appareat, et ideo mens in assensum necessario rapiatur, saltem quoad specificationem, seu, si detur assensus, necessario praestetur uni parti prae altera.

**156.** Nota 2.°—Sive certitudo, sive evidentia in *metaphysicam, physicam et moralem dividitur*. Certitudo est *metaphysica*, quum

ejus motivum ita est infallibiter connexum cum veritate, ut rem aliter se habere absolutam repugnantiam involvat; est *physica,* quum ejus motivum est ita infallibiliter connexum cum veritate, ut rem aliter se habere repugnet, si res creatae juxta suas vires et exigentiam agere sinantur, non autem si hae per potentiam superiorem impediantur, aut supra earum vires determinentur; denique est *moralis*, si ejus motivum est cum veritate infallibiliter connexum juxta communem operandi modum agentium rationalium, quamvis res aliter se habere posset, si solae illorum vires physicae considerentur. Similiter evidentia est *metaphysica,* si manifeste apparet rem nullo modo posse aliter se habere; est *physica,* si manifeste apparet rem non posse aliter se habere, si res creatae juxta suas vires et exigentiam agant; denique est *moralis*, si manifeste apparet rem non posse aliter se habere juxta communem modum agendi hominum.

Nota 3.°—Ex dictis liquet certitudinem saltem tres gradus diversos admittere, verum etiam intra eumdem metaphysicae, physicae et moralis certitudinis gradum possunt haberi motiva potiora aliis, et ideo quaedam major certitudo. Tamen omnis certitudo stricte talis debet excludere omne dubium prudens, et in parte hac negativa, omnis certitudo est aequalis, quamvis deinde multum inter se discriminentur certitudines quoad partem positivam, seu quoad motiva quibus nituntur. Similiter proprium est evidentiae ita manifestare objectum, ut appareat metaphysice, physice vel moraliter non posse aliter se habere; attamen in hac ipsa manifestatione diversi claritatis gradus, etiam intra eamdem lineam metaphysicam, physicam vel moralem reperiri queunt, sicut lux materialis, quamvis sit satis ad clare detegendum aliquod corpus, potest illud ipsum augmento aut propinquitatis aut intensionis clarius illuminare.

**157.** Nota 4.°—Quaestio est, utrum extra actum fidei divinae reperiatur certitudo stricte talis sine evidentia, necne. Affirmant multi cum *Wilmers*, De relig. revel., lib. 1, c. 3, a. 2; et De fide, l. 2, c. 1, aa. 1 et 2; non desunt tamen qui id negent cum *P. Suarez,* De fide, d. 4, s. 2, n. 4. Priorum fundamentum est, quia de ratione evidentiae est ita objectum clare ostendere, ut omne dubium etiam imprudens prorsus expellatur; contra, juxta eosdem de ratione certitudinis etiam proprie talis non est, nisi excludere dubium prudens, non item imprudens et leve. Qui vero contrarium tenent, ad rationem evidentiae non requirunt nisi talem objecti manifestationem, quae omne dubium prudens expellat. Quidquid de hac re sit, juxta omnes, ut certitudo proprie talis habeatur, necesse est omne prudens dubium excludatur, atque hoc modo saltem habenda est certitudo existentiae

revelationis, ejusdemque credibilitatis, necnon obligationis credendi, ut revelatio dicatur sufficienter proposita ad credendum propter Dei revelantis auctoritatem, seu ad actum fidei divinae eliciendum. Atque is est sensus thesεos, videlicet, tum revelatio est sufficienter proposita ad credendum propter Dei revelantis auctoritatem, quum habetur certitudo proprie talis existentiae revelationis, ac proinde etiam credibilitatis ejusdem, ac obligationis credendi. Tamen, si certitudo respectiva aliquem certum faciat, eidem revelationem sufficienter propositam reddet. Thesis, sic accepta, est communis theologorum et certa.

**158.** *Prob.* Tum revelatio est sufficienter proposita, quum nullum est fundamentum dubii prudentis pro parte opposita. Atqui quum certo de revelatione constat, nullum est fundamentum dubii prudentis pro non existentia revelationis; id enim ex natura certitudinis proprie talis infertur. Ergo. *Prob. Maj.* Quia ubi nullum est fundamentum, ut de una parte prudenter dubitetur, eo ipso tantum imprudenter potest quis de ea parte dubitare. Ergo si quis prudenter agere velit, ut omnes debent velle, necesse est non dubitet de ea parte, sed illam amplectatur, habeatque tanquam sufficienter propositam. Item lex est sufficienter subditis proposita, quum nullum est fundamentum prudens dubitandi de existentia legis; secus enim omnes leges contemni et infringi possent. Ergo similiter revelatio est sufficienter proposita, quum non habetur dubium prudens contra ipsam, seu certo de illa constat; nam revelatio est quaedam lex credendi, quae a Deo hominibus imponitur. Denique revelatio est sufficienter proposita, quum nullus adest fundatus timor erroris vel falsitatis in ea admittenda; quia in hac hypothesi nonnisi ex timore imprudente et reprobabili potest quis eam non agnoscere, eidemque non se subjicere. Atqui, quoties de revelatione certo constat, nullus adest timor fundatus erroris vel falsitatis in ea admittenda; aliter enim non certo de ea constaret. Ergo revelatio est sufficienter proposita, quoties de ea certo constat.

## Thesis V.

**Ut quis revelationem amplectatur, opus est de illa certo constare.**

**159.** Nota.—In thesi proxima ostensum est revelationen esse sufficienter propositam seu cognitam, quum certitudo moralis existentiae ipsius habetur; in praesenti ponitur necessaria certitudo

haec, ut quis modo debito revelationem amplectatur, i. e., non potest quis prudenter credere divinam revelationem propter Dei revelantis auctoritatem, si antea non est moraliter certus existentiae revelationis. Thesis est communis theologorum et certa.

**160.** *Prob.* Veritates revelatae admittendae sunt summa adhaesione seu certitudine propter Dei revelantis auctoritatem; quia id postulat infinita Dei auctoritas in dicendo, seu infinita ejus sapientia et veracitas. Atqui ad credendum aliquid summa certitudine, opus est de illo constare certo; aliter enim esset dubium prudens, ne illud esset falsum, et aliunde est evidenter imprudens summa certitudine credere, quod non excludit periculum prudens falsitatis. Ergo, ut veritates revelatae credantur, opus est de illis certo constare. Praeterea Deus non potest nos obligare ad summe credendum, ubi adest periculum prudens falsitatis; quia hoc esset irrationale. Atqui res revelatae, ratione auctoritatis divinae, summe credendae sunt. Ergo Deus non potest nos obligare ad ea credenda, ubi adest periculum falsitatis, atque ideo dum non constat certo ea divina auctoritate niti, et esse revelata. Ergo opus est de revelatione certo constare, ut adsit obligatio credendi. Denique certum est hominem debere credere Deo, et facere ea quae per revelationem ei praecipiantur; sed aliunde etiam certum est hominem non recte haec facere, si ea faciat imprudenter: ergo quamvis homo Deo credere debeat, et praestare ea, quae ipsi per revelationem injunguntur, ut haec faciat, necesse est eum habere certitudinem existentiae revelationis; aliter enim haec faceret imprudenter, quia imprudens est summe credere, ubi adest prudens erroris periculum.

**161.** Dices 1.°—Ut quis honeste agat, non requiritur certitudo honestatis objectivae. Ergo similiter, ut quis honeste credat, neque opus est de revelatione certo constare.

*Resp. C. Ant.* et. *N. Cons.* Disparitas est, quia ad honeste agendum sufficit habere certitudinem honestatis actionis quatenus proponitur a mente, quamvis a parte rei aliter sit; nam ex una parte homines vix possent agere, si in singulis eorum actionibus expostularetur certitudo honestatis prout habetur in re ipsa, et non sufficeret persuasio subjectiva ejusdem; ex altera vero ratio est norma proxima actionum humanarum, atque ideo, si dictat aliquid esse honestum, licet a parte rei non sit, homo, si illud dictamen sequatur, recte agit. Contra, summe credere aliquid tanquam verum, quod prudenter potest timeri falsum, est evidenter imprudens et inordinatum; ac proinde non potest aliquid summe credi tanquam verum, nisi absit omne dubium prudens falsitatis, et ideo ejusdem certitudo habeatur.

**162.** Dices. 2.°—Rudes, pueri, aliique homines parum capaces non possunt sibi comparare certitudinem existentiae revelationis, quia ad motiva quibus nititur perspicienda non sunt idonei. Ergo ejusmodi homines, si ad credendum requireretur certitudo, non possent credere, quod certe falsum est.

*Resp. Dist. Ant.*: rudes, aliique similes non possunt sibi comparare certitudinem revelationis absolutam, *C.*; respectivam, *N.* et *N. Cons.* Dicitur certitudo *absoluta* illa, quae talibus motivis nititur, quae possunt gignere certitudinem in quolibet intellectu, quantumvis acuto et exculto; *respectiva* vero, quae iis nititur motivis, aut eo modo perspectis, quae non possunt gignere certitudinem nisi in intellectu rudi vel minus capaci. Motiva revelationis existentiam suadentia debent esse talia, ut gignant certitudinem absolutam in illis, qui rite ea perpendere et introspicere possunt; etenim quum Deus homines obligatos ad ei credendum voluerit, debuit ea ponere signa, quae certitudinem absolutam existentiae revelationis gignere possent; aliter enim vellet Deus homines obligare rei imprudenti, qualis esset firmissime credere ea, de quibus certo non constaret. Verum qui non sunt capaces certitudinis absolutae, respectivae acquiescere debent, quia haec, respectu illorum, jam omne dubium prudens excludit; et aliunde imperiti, judicio peritorum, etiam in rebus majoris momenti, regi debent.

**163.** *Observa.* Quum quis ad veram revelationem cognoscendam eamdemque amplectendam pervenerit, nunquam potest habere justam causam ejusdem respuendae; nam, ut ex dictis liquet, non potest quis revelationem prudenter amplecti, nisi habeatur certitudo existentiae ipsius. Jam vero haec certitudo aut est absoluta, aut respectiva dumtaxat: si primum, non potest dari justa causa revelationis rejiciendae, quia ea certitudo est talis, ut impossibile moraliter reddat oppositum, ac proinde nunquam eveniet, ut oppositum ostendatur verum et revelatio falsa, et ita hujus deserendae nulla aderit ratio sufficiens. Verum, quamvis certitudo tantum respectiva possideatur, neque erit causa revelationis vere divinae abjiciendae; etenim qui revelationi, tanquam divinae, semel adhaesit, si eam repudiet, aut de ea dubitet, dum de falsitate ipsius illi certo non constet, in periculo verae revelationis abjiciendae, aut dubiae existimandae manifeste se ponit, quod certe nunquam licitum esse potest, quum hoc modo viam finis ultimi adipiscendi sibi occludere possit. Aliunde nunquam de falsitate ipsius certo constare potest; quia si in contrarium occurrunt motiva, quae probabilitatis speciem habere videantur, ulterius investigandum est, et qui sincere et diligenter investiget, magis magisque

in revelatione jam accepta confirmabitur, eo quod reperiat argumenta in oppositum non esse firma et solida.

Quare merito *Vatic.* Conc. sess. 3, c. 3, statuit: «Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionibus sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi.» Et in can. 6 respondente eidem cap.: «Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; A. S.»

# CAPUT II

## De revelationis criteriis

In hoc capite, primus articulus aget de criteriis in genere, secundus de miraculi natura et divisione, tertius de ejusdem possibilitate et cognoscibilitate, quartus de ipsius efficacia, quintus de prophetia in genere, sextus de criteriis revelationis internis et insensibilibus, septimus de methodo verae revelationis religionisve demonstrandae.

### ARTICULUS I

### De criteriis in genere

**164.** *Criteriorum definitio.* Dicuntur *criteria* ea media, quibus revelatio divina dijudicatur et discernitur: vocantur quoque *notae* revelationis, quia hanc reddunt manifestam; item *motiva credibilitatis,* quia revelationem faciunt credibilem. Haec criteria, sive motiva credibilitatis, debent esse ejusmodi, ut omnia, saltem simul sumpta, certitudinem moralem existentiae revelationis stricte talem gignere possint; aliter enim non inservirent, ut revelatio sufficienter dignosceretur ad credendum; ad hoc namque, prout ex dictis in a. 6 cap. praecedentis elucet, opus est nobis de revelatione certo moraliter constare. Quare si Deus revelationem hominibus impertiat, debet quoque ponere criterium vel criteria, quibus de illa certo constet; nam aliter eidem homines modo firmissimo, prout divina revelatio exigit, prudenter credere non possent, et ideo Deus hominibus frustra loqueretur. Ea quae n. 143 et sq. dicta sunt, re ipsa ad reve-

lationis criteria spectant; sed ibi de illis actum est summatim ad viam verae religionis inveniendae indicandam.

**165.** *Criteria interna et externa.* Haec divisio non eodem modo ab omnibus explicatur, sed ea explicatio videtur praeferenda, quam sequitur *P. Wilmers*, De rel. rev. lib. 1, c. 3, a. 3, et sq. Ita *criteria interna* videntur dicenda illa, quae ab ipsa doctrina desumuntur, aut ab ipsius effectibus; *externa* vero, quae aliunde habentur, v. gr. ex modo proponendi revelationem, aut ex variis ejusdem signis. Criteria interna omnia revocantur aut ad veritatem doctrinae, aut ad ejus fructus, aut ad gustus interiores ortos ex congruitate doctrinae cum hominis natura, vel cum ejus indigentia; externa vero sunt plura, licet potissima habeantur miracula et prophetiae. Rursus criteria in *sensibilia* et *insensibilia* dividuntur. Vocantur *sensibilia*, quae sensibus externis aliquo modo percipi possunt, ut miracula; *insensibilia* autem, quae sensibus externis non attinguntur, ut motiones internae. Unde criterium internum non est idem ac insensibile, nec externum ac sensibile; nam internum vel externum dicitur per ordinem ad doctrinam. Sic, v. gr., illustrationes et motiones a Deo infusae in favorem alicujus doctrinae, ad criteria externa revocandae sunt, quia ex ipsa doctrina non oriuntur; sunt tamen prorsus insensibiles. Contra, nonnulli doctrinae effectus possunt aliqua ratione esse sensibiles, et nihilominus ad criteria interna pertinent.

**166.** *Criteria negativa* et *positiva.* Criteria in *negativa* quoque et *positiva* partiuntur. Dicuntur *negativa*, quae ostendunt quaenam non sit vera revelatio, non autem quaenam vera; et *positiva*, quae aut veritatem alicujus revelationis seu religionis revelatae demonstrant, aut saltem suadent. Ita, v. gr., si in aliqua religione, quae venditatur ut revelata, invenitur doctrina falsa vel inhonesta, eo ipso probatur non esse revelata; ex adverso, si in illa reperiantur nonnullae veritates, non ideo suadetur revelata. Verum si aliqua religio, quae proponitur ut revelata, tradit veritates ordinis naturalis conformes veritatibus naturaliter notis et rectae rationi, magnam morum puritatem, sublimitatem doctrinae aliaque id genus, eo ipso suadetur reapse revelata, ac pro hoc habetur criterium positivum. Criteria negativa possunt esse interna vel externa, sensibilia vel insensibilia; similiter positiva. Pravitas, v. gr., doctrinae est criterium negativum, internum et insensibile; item pravi mores praedicatoris sunt aliquo modo criterium negativum, sed externum, si non oriantur ex doctrina, et sensibile. Contra miraculum est criterium positivum, externum et sensibile, saltem frequenter; et motiones a Deo infusae pro aliqua doctrina sunt quoque criterium positivum, sed insensibile,

licet externum; denique veritas doctrinae cum aliis ejus adjunctis est criterium positivum, internum et insensibile.

### Thesis I.

**Criteria positiva sunt potiora negativis, et externa aliquo modo sensibilia internis et insensibilibus.**

**167.** Nota.—Secundae hujus theseos parti contradicunt rationalistae pluresque protestantes: rationalistae quidem, eo quod contendant revelationem esse judicandam ex sola ipsius veritate, perfectione intrinseca et conformitate cum ratione; protestantes vero pseudomystici volunt potissimum, vel unicum revelationis criterium esse quemdam sensum gustumque interiorem, quo vera revelatio percipiatur et discernatur. Vide *Wilmers,* De relig. revel. lib. 1, n. 63, et 133. Thesis est certa quoad utramque partem, eaque concordat cum Con. *Vatic.* sess. 3, c. 3, dicente: «Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta sc. divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata.»

**168.** *Prob.* 1 p. Criteria positiva manifestant quaenam sit vera revelatio, negativa vero tantum dicunt quid non adsit in vera revelatione, aut quaenam non sit vera revelatio, ut ex horum criteriorum natura elucet. Atqui ex se liquet potius esse manifestare quaenam sit res quaesita, quam solummodo dicere quid non sit, aut quid non debeat in illa reperiri. Ergo.

**169.** *Prob.* 2 p. Haec pars sufficienter constat ex dictis n. 148 et sq.: in praesenti sic breviter probatur: ea criteria sunt potiora, quibus vera revelatio ostenditur certius, facilius et breviore tempore, ut ex se patet. Atqui criteria externa aliquo modo sensibilia veram revelationem certius, facilius et breviore tempore ostendunt. Ergo sunt potiora internis. *Prob. Min.* 1.° ostendunt *certius:* quia criteria externa, quum sensibus externis aut per se ipsa, aut per aliorum testimonium percipiantur, minus obnoxia sunt errori et allucinationi, quam discriminatio veritatis in rebus a sensu remotis, et sensus gustusque interiores. Deinde *facilius:* quia, propter dicta, faciliori modo percipi possunt, quam intrinseca veritas in rebus abstractis; sensus vero gustusque interiores nec semper dantur, et quamvis den-

tur, non facile discernuntur quatenus in verum, aut in falsum ducant. Denique *breviore tempore:* quia criteria externa, quum sensibus externis et testimonio hominum nitantur, sine peculiari studio percipiuntur; contra intrinseca veritas nonnisi post longum studium discerni potest, et interna experientia nec semper datur, nec quum adest, tribuit certitudinem divinae revelationis. Ergo.

### Thesis II.

**Argumentis, quibus revelationis existentia certo probatur, convenienter alia tantum probabilia adduntur.**

**170.** Nota.—Dicitur argumentum probabile, quod habet suum pondus et quidem grave in favorem alicujus sententiae, non tamen omne fundamentum dubii prudentis in oppositum tollit. Haec argumenta seu motiva non sufficiunt, ut quis revelationem modo firmissimo amplectatur; ut ex dictis in cap. praec. constat; quare non proponenda sunt sola, sed cum aliis certis, nec tanquam certa, quia sic daretur occasio existimandi non adesse motiva alia certitudinem gignentia.

*Prob.* Argumenta probabilia certis addita pondus et inclinationem intellectus in favorem veritatis augent; nam ex una parte supponuntur argumenta non levia, ex altera vero tendunt in favorem veritatis jam aliunde certo notae. Atqui argumenta, quae pondus et inclinationem intellectus in favorem veritatis augent, convenienter adduntur; etenim est perfectio intellectus magis magisque inclinari et firmari in veritate magni momenti, ut est cognitio revelationis. Ergo. Accedit, quod argumenta probabilia rei convenientiam saepe ostendunt, et adversariorum obstaculis amovendis valde sunt utilia. Denique frequenter juvant et voluntatem, ut fidei assensum imperet, et intellectum, ut voluntatis imperium sequatur.

## ARTICULUS II

### De miraculi natura et divisione

**171.** Miraculum, a *miror,* juxta etymologiam est id quod admirationem affert, atque in genere id ipsum juxta rem significat.

*S. Th.* 1 p. q. 105, a. 7, ita etymon et vim miraculi declarat: «Dicendum quod nomen miraculi ab admiratione sumitur. Admiratio autem consurgit, cum effectus sunt manifesti, et causa occulta; sicut aliquis admiratur, cum videt eclipsim solis, et ignorat causam... Potest autem causa effectus alicujus apparentis alicui esse nota, quae tamen est alii incognita. Unde aliquid est mirum uni quod non est mirum alii; sicut eclipsim solis miratur rusticus, non autem astrologus. Miraculum autem dicitur quasi admiratione plenum, quod sc. habet causam simpliciter et omnibus occultam.» Miracula vocantur quoque *portenta, prodigia, opera, signa, virtutes.* Sic in 2 *Esdr.* IX, 10, legitur: *Et dedisti signa atque portenta in Pharaone...* Et in *Deut.* VI, 22: *Fecitque signa atque prodigia magna et pessima in Aegypto...* Et in *Act. Apost.* V, 12: *Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe.* Rursus in *Joann.* X, 25: *Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me.* Denique in *Act. Apost.* VIII, 13: *Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.* De variis miraculi nominibus haec dicit *S. Th.* 2. 2. q. 178, a. 1, ad 3: «Dicendum quod in miraculis duo possunt attendi: unum quidem est id quod fit, quod quidem est aliquid excedens facultatem naturae, et secundum hoc miracula dicuntur *virtutes.* Aliud est id propter quod miracula fiunt, sc. ad manifestandum aliquid supernaturale: et secundum hoc communiter dicuntur *signa;* propter excellentiam autem dicuntur *portenta*, vel *prodigia*, quasi procul aliquid ostendentia.»

**172.** Inter catholicos convenit miraculum esse aliquid insolitum viresque naturae saltem sensibilis excedens; verum est inter eos controversia, utrum de ratione miraculi sit excedere vires totius naturae creatae, necne. Affirmant communiter theologi usque ad saeculum XVIII, et sic hanc partem *P. Suarez,* De ang. l. 4, c. 39, n. 5, vocat *communem doctrinam theologorum,* et dicit veram esse, et *Estius,* In l. 2 sentent. dist. 7, §. 18, ita loquitur: «Daemones propria virtute miracula facere non posse certissimum est, quum nec boni angeli, nec sancti homines id possint. Est enim miraculum usu scholae christianae (nam latius utuntur ea voce latini auctores) omne opus quod totius naturae facultatem excedit, quodque fit praeter communem cursum rerum.» Verum *Bened. XIV,* De serv. Dei beatif. et canoniz. l. 4, c. 1, n. 14 et sq. et c. 6, n. 5, et sq., negativae sententiae patrocinatus est, eidemque postea suffragati sunt *Hooke,* De ver. relig. dissert. 2, c. 1,; *Jungmann,* De vera rel. p. 1, c. 2, a. 2, n. 132; *Egger,* Enchirid. Theol. gener. tr. 1, s. 2, c. 4, a. 3; *PP. Schouppe,* Elem. theol. dogmat. t. 1, tr. 2, c. 2, n. 137; *Casajoana,* De fundament. disq. 2, c. 2, a. 2; *Mendive,* De princip. theol. dissert. unic. c. 3, a. 1; *Ottiger,* Theol. fundam. p. 1, s. 1, c. 3, §. 19, *Tanquerey,* De ver. relig. c. 1, a. 3, n. 70, aliique. Verum etiam inter recentiores non desunt plures, qui defen-

dunt de ratione miraculi esse superare vires totius naturae creatae, ut Card. *Zigliara,* Propaedeut. ad sacr. theol. lib. 1, c. 2; Card. *Mazzella,* De rel. et Eccles. d. 1, a. 9; *Van Weddingen,* De mirac. p. 1, c. 4; *Casanova, O. F. M.,* Theol. fund. lib. 1, c. 4, a. 1; *Fernandez,* De rel. et Eccles. tr. 1, s. 1, c. 16; *Blanch,* Theol. gen. p. 2, c. 3, a. 1; *PP. Tepe,* De ver. rel. qst. 1, c. 3, a. 1; *Urraburu,* Cosmol. lib. 1, d. 4, c. 2; *Murillo,* Jesucristo y la Igles. Rom. p. 1, l. 3, s. 4, c. 1; *Wilmers,* De rel. revel. lib. 1, c. 3, a. 5, pluresque alii. Antequam miraculi definitionem tradam, de hac re, nempe, utrum sit de ratione miraculi superare vires totius naturae creatae, ac proinde a solo Deo fieri posse, thesis statuenda videtur, quum haec res sit controversa, et ab ea pendeat miraculi natura.

## Thesis.

**De ratione miraculi est superare vires totius naturae creatae.**

**173.** Nota.—Sensus theseos est nullam creaturam propriis viribus cum solo Dei concursu generali verum miraculum patrare posse; quocirca angelis et hominibus in miraculis patrandis non negatur concursus ministerialis et instrumentalis, sed dumtaxat vis physica ad miraculum efficiendum sufficiens. Atque ad hanc thesim confirmandam, quoniam res inter catholicos est controversa, non modo rationis argumenta, quae hujus tractatus sunt propria, verum S. Scripturae, Conciliorum et PP. adducam.

*Prob.* 1.° ex S Script. *a)* In Psalm. LXXI, 18, dicitur: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.* Et in Psalm. CXXXV, 4: *Qui facit mirabilia magna solus.* Sensus autem obvius horum verborum est proprium solius Dei esse facere vera miracula.

*b)* Apud *Joann.* V, 36, Christus dicit: *Ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me.* Et X, 37 et 38: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et XIV, 12: *Alioquin propter opera ipsa credite.* Denique XV, 24: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ex his liquet Christum judaeis suam divinam missionem probasse non *operum* seu miraculorum adjunctis, sed ex ipsis *operibus* seu miraculis. Atqui Christi *opera* seu miracula divinam ipsius missionem non probarent, si a daemone fieri possent, ut est manifestum. Ergo. Nec dicas miracula quidem Christi fuisse propria solius Dei, sed id non omni vero miraculo convenire; etenim quum Christus tot et tam diversa miracula fecerit, et non fecerit nisi ea, quae solius Dei sunt propria, eo ipso videtur innuisse se tantum haec, ut vera miracula, pro basse. Accedit quod vocando miracula *opera,* eo ipso indicavit vim miraculi in his, quae ex parte ipsius operis se tenent stare, non vero in adjunctis extrinsecis, a quibus tamen vis miraculi repetenda esset, si non esset opus solius Dei.

**174.** 2.° Ex *Conc. Vatic.* sess. 3, c. 3, dicente: «Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta sc. divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omni-

potentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intellectui accommodata.» Ex quibus sic arguitur: miracula *Dei omnipotentiam luculenter commonstrant;* atqui hoc miraculis non conveniret, si ea etiam a creatura fieri possent, ut manifestum videtur. Ergo. Item miracula eo modo Dei omnipotentiam luculenter commonstrant, quo prophetia infinitam Dei scientiam; quemadmodum ex modo loquendi Vaticani eruitur. Atqui prophetiae, quae infinitam Dei scientiam luculenter commonstrant, sunt de iis quae a solo Deo praevideri possunt: ergo similiter miracula a solo Deo fieri possunt. Denique miracula *divinae revelationis signa sunt certissima* quatenus Dei omnipotentiam commonstrant, prout ex Vaticani verbis colligitur: ergo non ex adjunctis extrinsecis personae, finis etc., prout fieri deberet, si miraculum a daemone patrari posset.

**175.** Dices.—Vaticanum tantum loquitur de miraculis primi ordinis, non autem de omnibus. Ergo ex Vaticano nihil infertur.

*Resp. N. Ant.* Vaticanum enim loquitur de miraculis in genere, quia sine ulla restrictione de illis loquitur, ac eodem modo, quo de prophetiis; quare si verba Vaticani miraculis, quae a solo Deo fieri possunt solummodo conveniunt, inde recte infertur haec sola miracula a Vaticano tamquam propria et vere talia agnosci.

**176.** 3.° ex PP. *a)* Ex PP. latinis, *Tertullianus,* Apolog. c. 21, (M, 1, 458) postquam varia Christi miracula retulit, prosequitur: «Ostendens se esse Λόγον Dei, id est Verbum... qui Verbo omnia et faceret et fecisset.» Et S. *Ambrosius,* Expos. in Lucam, l. 5, n. 100 (M, 15, 1748) inquit: «Ergo non humanae ista, sed divinae virtutis insignia sunt, caecis perpetuae noctis tenebras aperire, defessorumque oculorum vulnera infusa luce sanare, auditum in aures insinuare surdorum, laxatis soluta membra reformare compagibus.» *S. Aug.* De civ. Dei, l. 10, c. 12. (M, 41, 291): «Porro autem quaecumque miracula, sive per angelos, sive quocumque modo ita divinitus fiunt, ut Dei unius, in quo solo beata vita est cultum religionemque commendent, ea vere ab eis vel per eos, qui nos secundum veritatem pietatemque diligunt, fieri, *ipso Deo in illis operante;* credendum est.» Et idem *S. Doctor,* Enarr. in psalm. 43, n. 4 (M, 36, 484): «Sed effectu miraculi suam praesentiam insinuat hominibus.» Ipse etiam *S. Doctor,* Enarr. in psal. 76, n. 16 (M, 36, 979): «Tu vere magnus Deus faciens mirabilia in corpore, in anima, solus faciens.» Denique *S. Anselmus,* De concep. virg. c. 11, (M, 158, 445): «Solius quippe voluntatis Dei est opus, cum mare siccum iter intra se populo praebet, cum mortui resurgunt...»

*b)* Ex PP. graecis. *S. Joann. Chrysost.* Expos. in psal. 135, v. 4, (M, 55, 400) inquit: «Atque adeo tria et quatuor (ponuntur); nempe quod (Deus) faciat, quod miracula, quod magna miracula, et quod solus faciat...» Item *S. Cyrillus Alex.,* in Psal. 76, v. 15 (M, 69, 1191): «Ipse est mirabilium auctor, quia solus est suapte natura et vere Deus.» Denique *Theodoretus,* in Psal. 135, v. 4, (M, 80, 1922): «Miraculorum editiones sunt etiam benevolorum servorum ejus. Sed divina vocamus etiam Moysis, et Josuae, et Eliae mirabilia. Similiter autem et signa quae a sacris apostolis sunt facta. Jure igitur ipsum (Deum) Propheta solum dicit maximorum miraculorum opificem esse.»

**177.** 4.° ratione. *a)* Miraculum proprie tale est Dei sigillum, quo Deus

ostendit se aliquid probare; id enim omnes, qui miracula admittunt concedere videntur, atque id ipsum confirmatur verbis *S. August.* dicentis, Epist. 102, qst. 6, n. 33 (M, L, 33, 383): «Nam sicut humana consuetudo verbis, ita divina potentia etiam factis loquitur. Et sicut sermoni humano verba nova, vel minus usitata, moderate ac decenter aspersa, splendorem addunt, ita in factis mirabilibus congruenter aliquid significantibus, quodammodo luculentior est divina elocuentia.» Atqui miraculum non esset sigillum, quo Deus aliquid probaret, si a creatura fieri posset. Ergo. *Prob. Min.* Illud non est sigillum, quo Deus aliquid probat, quod a creatura contra Dei voluntatem apponi potest, ut patet. Atqui miraculum, si vires creaturae non excederet, a creatura contra Dei voluntatem apponi posset; quia in hac hypothesi ex una parte creatura vires physicas ad id faciendum haberet, ex altera vero Deus saepe non impedit et concurrit cum creaturis contra ejus voluntatem agentibus. Ergo miraculum, si a creatura fieri posset, non esset sigillum, quo Deus aliquid probaret.

*b)* Deus potest facere tum ea opera quae a creaturis fieri neqeunt, tum modo altiore et inimitabili ea, quae a creaturis fieri possunt; quia hoc postulat infinitas ipsius potentiae, et si peritissimi artifices ita artefacta perficiunt, ut artifices inferiores ad illud pervenire non possint, a fortiori id Deo respectu cujuslibet creaturae tribuendum est. Atqui miracula sunt Dei opera ejusmodi, quae aut a creaturis fieri nequeunt, aut non eo modo, quo a Deo perficiuntur. Ergo miracula vires cujuslibet creaturae excedunt. *Prob. Min.* Ad Dei magnificentiam spectat probare etiam operibus sibi peculiaribus, non tantum verbis aliisve signis vel indiciis, ea quae illi placent; id enim infinita Dei magnitudo et excellentia postulat. Atqui non alia opera Dei peculiaria, quibus Deus probet ea quae illi placent designari possunt praeter miracula, nec miracula essent Dei peculiaria, si a creaturis fieri possent. Ergo.

*c)* Ut tradit *D. Thomas*, 1 p, q. 105, a. 7, *miraculum dicitur quasi admiratione plenum, quod sc. habet causam simpliciter et omnibus occultam*. Atqui ea dumtaxat sunt simpliciter et omnibus occulta, quae a solo Deo fieri possunt; quia solus Deus est causa occulta et impervia omnibus creaturis quoad propriam suae essentiae et modi operandi rationem. Ergo. Item quae ab angelis fieri possunt in mundo visibili, jam continentur in rerum visibilium virtute; quia angeli effectus visibiles nonnisi per applicationem virtutum naturalium quae in corporibus habentur producere possunt. Atqui effectus, qui in virtute corporea jam continentur, et per convenientem ipsius applicationem producuntur, non sunt dicendi proprie mirabiles, quia jam sunt in eorum causis, aut in diversarum causarum concursu determinati, et expectari possunt. Ergo.

**178.** *Obj.* 1. Miracula, quae in S. Scriptura narrantur non superant vires angelicas; de nullo enim eorum ostendi potest ad ejus effectionem requiri virtutem infinitam. Ergo de ratione miraculi esse omnes superare vires creatas demonstrari non potest.

*Resp. N. Ant.*; plura enim in S. Scriptura narrantur miracula, de quibus constat superare omnes creaturarum vires aut ratione substantiae ipsius operis, aut ratione modi, quo effectum est. Hujusmodi sunt mortuorum suscitatio, infirmitatum sanatio sine remediorum applicatione, solo imperio sedare tempestatem, aliave similia. Hos effectus superare vires cujuslibet

creaturae, etiamsi non probetur argumentis metaphysice evidentibus, tamen sufficienter ostenditur, et ita quidem ut omnia argumenta id ostendentia, si simul sumantur, gignant certitudinem et omne dubium prudens de opposito expellant. Nam si aliqua virtus creata posset mortuos suscitare, sine remediorum applicatione mederi, solo imperio tempestatem sedare aliave similia facere, certe haec esset virtus angelica; quia nulla creatura est nec perfectior nec potentior angelis. Jam vero angelos non posse illos effectus patrare, argumentis hic subjiciendis ostenditur.

*a)* Nam imprimis theologi, qui de angelorum natura et potestate pertractarunt, docent angelos non posse mortuos suscitare, neque alios effectus visibles, si motus mere localis excipiatur, producere, nisi quatenus effectus in virtute naturali agentium corporalium contineantur, et per applicationem eorumdem efficiantur. Vide S. TH. 1. p. q. 110, a 3, et *P. Suarez*, De angelis, l. 4, c. 25. et sq. Quocirca, juxta communem theologorum consensum, angeli, propria virtute, excepto motu mere locali, effectus corporales producere nequeunt; huic autem communi sapientium consensui standum est, quum oppositum demonstrari, aut solide probari non possit. Apposite *S. August.*, de Trinit. l. 3, c. 8, n. 13 (M, L, 42, 876) inquit: «Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frugum, quamvis eorum extrinsecus adhibitis motibus ista creanda Dei virtus interius operetur: ita non solum malos, sed nec bonos angelos fas est putare creatores, si semina rerum istarum nobis occultiora noverunt, et ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt, atque ita gignendarum rerum et accelerandorum incrementorum praebent occasiones.» Et inferius n. 14: «Quapropter ita non possum dicere angelos malos magicis artibus evocatos, creatores fuisse ranarum atque serpentium; sicut non possum dicere homines malos creatores esse segetis, quam per eorum operam videro exortam.»

*b)* Manifestum est minimum angelorum non posse producere omnes effectus visibiles, qui dependenter a materia fiunt; ad hoc enim magna virtus et perfectio requiritur quae non congruit minimo angelorum. Ergo neque aliquem effectum corporalem praeter merum motum localem producere potest; nam quilibet angelus est omnino remotus a materia et spiritualis, et nulla est ratio, cur potius habeat affinitatem cum uno corporali effectu, quam cum altero, cur potius unum, quam alterum virtute contineat. Quare neque angelus maximus seu perfectissimus effectus corporales producere potest: nam aut omnes, aut aliquos dumtaxat producere posset; non hoc postremum, quia nulla est ratio specialis affinitatis et continentiae unius effectus potius quam aliorum: non illud primum; quia si supremus angelus omnes effectus corporales efficere posset, etiam alii, juxta suam perfectionem aliquos producere possent; incredibile enim est angelum supremum omnia posse in res corporales, alios vero nihil, quum omnes angeli sint similes et adaequate spirituales. Non est autem dicendum angelos non supremos posse producere aliquos solummodo effectus corporales, quia nulla est causa affinitatis et continentiae horum effectuum potius, quam aliorum, quum natura angelica, utpote quae sit adaequate spiritualis, simili modo est remota et separata ab omni re corporali: ergo nec dicendum est angelum supremum omnes effectus corporales producere posse.

*c)* Effectus corporales in virtute agentium corporalium continentur, et ab his producuntur: ergo in angelis non est ponenda virtus connaturalis ad ejusmodi effectus producendos, quia haec virtus esset superflua.

*d)* Si angeli omnes effectus corporales, qui dependenter a materia effici possunt, possent producere, eo ipso cum generali Dei concursu, qui illis esset debitus, possent omnes substantias corporeas destruere, aliasque inducere, et rursus novas dissolvere, antiquasque iterum gignere, et hoc modo perturbare totum rerum visibilium ordinem et harmoniam; hoc autem repugnat supremo et perfecto Dei dominio. Dicendum igitur est nullam creaturam pure spiritualem posse per virtutem sibi naturalem producere effectus corporales. Praeterea, si angeli possent producere formas corporales, non appareret, cur materiam creare non possent, quum angeli sint, et operentur independenter á materia corporali, et haec sit maxime finita. Si autem angeli possent et creare materiam, et producere formas, a fortiori possent perturbare ordinem naturalem et impedire perfectum Dei dominium.

**179.** Dices.—Hoc argumentum nihil evincit, nam secus angeli virtute movendi corpora et gignendi res corporeas per agentium naturalium applicationem essent quoque spoliandi, quia hac potestate etiam cursum rerum naturalem labefactare possent.

*Resp. N. Assert.;* nam potestas corporum movendorum et rerum gignendarum per virtutem agentium corporeorum non tribuit dominium in corpora, et ideo angeli hac potestate uti non possunt, nisi juxta placitum Dei; contra, si angeli varias corporum species producere possent, eo ipso acquirerent dominium in res productas, sicut artifex dominium suorum artefactorum acquirit, et ideo etiam possent acquirire jus perturbandi ordinem rerum visibilium: quia si sibi compararent dominium in res visibiles, prout in illa hypothesi possent, etiam haberent jus destruendi et immutandi illas res tanquam suas, et sic ordinem visibilem labefactandi. Neque hoc argumento humanum dominium debilitatur, quia in illo non affirmatur per motum et usum rerum nullo modo dominium acquiri posse, sed hoc tantummodo, videlicet motum et usum rerum per se, seclusis adjunctis, non tribuere dominium moventi et utenti.

*e)* Speciatim repugnat angelos posse mortuos suscitare; quia si id possent, essent domini occisionis et vivificationis hominum, ac proinde hi ab angelis possent timere occidi, et vitam expectare; hoc autem repuguat perfectae subjectioni, quam creatura rationalis quaelibet Deo debet, quatenus nempe est tota Dei, ac ipsa et sua omnia in ultimum finem referenda sunt; nam si angeli essent auctores occisionis et vivificationis hominum, etiam hi ad angelos aliquo modo se referre deberent.

**180.** *Obj. 2.°* Non potest constare, utrum miracula, quae in Sacris Litteris narrantur, facta sint eo modo, qui vires cujuslibet creaturae superet. Ergo inutile est ad rationem miraculi postulare aliquid, quod vires omnes creatas superet, quum de hac re constare non possit.

*Resp. D. Ant.:* non potest constare saltem saepe miracula vires cujuslibet creaturae excedere, N.; in omni casu C. Imprimis quaedam miracula, ut mortuorum suscitatio, vires cujuslibet creaturae excedunt ratione substantiae rei, atque in his, dummodo de facto constet, jam constat de miraculo proprie tali. Deinde in aliis mirabilibus, quae absolute por applicationem

virium naturalium fieri possent, saepe ex modo narrandi aliisque adjunctis prudenter affirmari potest nullas naturae vires in illo opere patrando intervenisse, atque ideo solius Dei fuisse opus. Demum si neque ex modo narrandi, neque ex aliis adjunctis probari potest opus esse factum sine virium naturalium applicatione, eo ipso non constabit de miraculo proprie tali.

**181.** *Obj. 3.° S. August.*, De Genes. ad litt. l. 6, c. 14, (M, L, 34, 349) inquit: «Restat ergo ut ad utrumque modum habiles creatae sint; sive ad istum quo usitatissime temporalia transcurrunt, sive ad illum quo rara et mirabilia fiunt, sicut Deo facere placuerit quod tempori congruat.» Ergo juxta *S. August.* vis faciendi rara et mirabilia seu miracula, in ipsis rebus creatis continetur, et idcirco juxta *S. Doctor.* non est de ratione miraculi vires naturae superare.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Sensus *S. Aug.*, quemadmodum ex contextu patet, est res ita esse conditas, ut in illis Deus miracula operari possit, quum illi placuerit, unde ibid. c. 13, Deo ut auctori tribuit conversionem aquae in vinum et virgae in serpentem. Similiter quum *S. Doctor.* De utilit. creden. c. 16 (M, L, 42, 90) dicit: «Miraculum voco, quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet», non significat quaecumque insolita esse miracula, prout ex his quae alibi docet, eruitur. Item, quamvis de Trinit. l. 3, c. 8, (M, L, 42, 875) asserat Deum posuisse in rebus semina, non affirmat tamen per has virtutes seminales fieri miracula proprie talia. Nec quum dicit portenta non esse contra naturam (De civ. Dei. 121, c. 8, M, L, 41, 721), significat miracula fieri per virtutem naturae creatae, sed omnem substantiam creatam perfecte Deo obediere, eique aliqua ratione naturale esse quidquid Deus in illa operatur. Sic, contra *Faustum*, l. 26, c. 3, (M, L, 42, 480) ait: «Deus autem creator et conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit: id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit...» Et, De civ. Dei, loco paulo antea cit., n. 3: «Non ergo de notitia naturarum caliginem sibi faciant infideles, quasi non possit in aliqua re divinitus fieri aliud, quam in ejus naturam per humanam suam experientiam cognoverunt.»

**182.** *Obj. 4.°* Ut tradit *Bened. XIV*, De serv. Dei beatif. et canoniz. l. 4, c. 7, n. 8, in causis beatificationis et canonizationis admittuntur tanquam miracula illa, quae a bonis angelis praeter naturae sensibilis ordinem fiunt. Ergo non est de ratione miraculi vires totius naturae creatae excedere.

*Resp. D. Ant.:* in causis beatificationis et canonizationis admittuntur tanquam miracula ea, quae a bonis angelis praeter ordinem virium sensibilium patrata sunt, quatenus haec sunt manifestationes sanctitatis, C.; quatenus sint miracula proprie talia, *N.* et *N. Cons.* In causis beatificationis et canonizationis quaeruntur testimonia sanctitatis alicujus; sunt autem testimonia idonea hujusce rei opera bonorum angelorum facta ad sanctitatem alicujus testificandam, quum boni angeli mentiri nequeant, et sanctitatem cujuscumque bene notam habeant; et ideo hujusmodi opera in testimonium sanctitatis admittuntur. Est vero omnino alienum a mente illorum, qui in causis beatificationis et canonizationis intersunt definire quaenam sit vera miraculi ratio. Et apposite ad hanc rem dicit *Bened. XIV*, loco antea cit., c. 6. n. 12. «Etenim si testimonium angeli boni de sanctitate alicujus hominis est firmissimum et certissimum... et si idem angelus bonus aliquod inso-

litum et ultra consuetum ordinem naturae visibilis faciens ad honorem alicujus servi Dei, cujus virtutes jam sunt approbatae, vel qui decessit cum vera sanctitatis fama, approbat et confirmat aut judicium latum de virtutibus, aut famam quae increbuit sanctitatis, nemo est, qui non videat, hujusmodi operationes esse in judicio beatificationis et canonizationis admittendas; cum in eo miracula requirantur et examinentur, ut certum de sanctitate ejus, de quo quaeritur, testimonium habeatur.»

Simili modo explicandum est, quod dicund Rotae auditores in causa miraculorum *S. Franc. XAV*, apud eumdem *Bened. XIV*, loco proxime citato; aut etiam responderi potest illos loqui de miraculis re ipsa a Deo patratis, sed in quorum effectione angeli tanquam ministri et causae instrumentales adhibiti sint. Atque haec responsio etiam congruit his, quae ibidem dicit *Bened. XIV* his verbis: «Cumque operationes praedictae extraordinariae sint arduae, difficiles, insolitae, et praeter ordinarias Providentiae divinae leges, et a Deo procedant tanquam causa principali, et ab angelis tanquam spiritibus administratoriis; omnia haec ostendunt, eas operationes, licet in se et *in abstracto*, ut loquuntur, naturales vires et facultatem angeli non excederent, *in concreto* tamen admittendas esse in judicio beatificationis et canonizationis.»

Denique fatendum est miracula proprie talia, seu vires totius naturae creatae superantia habere specialem efficaciam ad aliquit probandum. Unde *S. Th.* in comp. theol. ad *F. Reginaldum*, c. 136, inquit: «Quia igitur hujusmodi miracula solum divinitus fiunt, convenienter in argumentum fidei assumuntur, quae soli Deo innititur. Quod enim aliquod prolatum ab homine auctoritate divina dicatur, numquam convenientius ostenditur quam per opera quae solus Deus facere potest.»

**183.** *Obj 5.° S. Th.* l. p. q. 110, a. 4, ad 2, haec dicit: «Sed quia non omnis virtus naturae creatae est nota nobis, ideo cum aliquid fit praeter ordinem naturae creatae nobis notae per virtutem creatam nobis ignotam, est *miraculum quoad nos*. Sic igitur cum daemones aliquid faciunt sua virtute naturali, miracula dicuntur non simpliciter, sed quoad nos.» Ergo juxta *S. Thom.* admittenda sunt etiam miracula quoad nos, quae vires totius naturae creatae non superant.

*Resp. C. Ant.* et *D. Cons.*: juxta *S. Th.* admittenda sunt etiam miracula quoad nos, quae non sint proprie miracula, *C.*; quae sint proprie miracula, *N.* Ratio responsionis est:

1.° Quia ubicumque *S. Th.* definit et explicat miraculum, ut L. 3 contr. gent. c. 101; Q. 6 de potent. a. 2; l. p. q. 105, a. 7, etc., illud ita definit et explicat, ut ponat tanquam proprium illius superare vires totius naturae creatae. Sic in eodem loco, ex quo desumitur objectio, in corpore articuli dicit: «Ex hoc ergo aliquid dicitur esse miraculum, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae.» Et in eadem, l. p. q. 114, a. 4, inquit: «Miraculum proprie dicitur quod fit praeter ordinem totius naturae, sub quo ordine continetur omnis virtus creata.»

2.° Ubicumque *S. Doctor* dividit miraculum seu hujus species designat; inter membra divisa solum ponit ea opera, quae vires cujuslibet agentis creati excedunt, aut ratione substantiae operis, aut ratione modi quo fit, ut videre est in Q. 6, De potent. a. 2, ad 3; L. 3, contr. gent. c. 101; 1 p. q. 105, a. 8, etc.; hujusmodi autem miraculorum divisiones essent incom-

pletae, si darentur miracula propria, quae vires agentium creatorum non superarent.

3.° Multoties asserit *S. Doctor* solius Dei esse miracula facere. Sic docet in L. 3, contr. gent. c. 102; in I. p., q. 110, a. 4, q. 114, a. 4; 1, 2, q. 111, a. 4, q. 113, a. 10; 2, 2, q. 178, a. 1, ad 2, et a. 2; 3. p. q. 43, a. 2, a. 4, ad 3, q. 78, a. 4, ad 2, etc. Ex duobus postremis locis memoratis in priore dicit: «Et similiter cum propria virtute miracula facere sit solius Dei, sufficienter ostensum est Christum esse Deum, ex quocumque miraculo quod propria virtute fecit.» Et in altero: «Dicendum quod opera miraculosa nulla creatura potest facere quasi agens principale; potest tamen ea facere instrumentaliter, sicut ipse tactus manus Christi sanavit leprosum.»

4.° Denique saepe negat angelos propria virtute miracula efficere posse, ut L. 3, contr. G, c. 103; q. 6, de potent. a. 3, et in eodem loco ex quo desumpta est objectio ad 4, dicit: «Quod, liced angeli possint aliquid facere praeter ordinem naturae corporalis, non tamen possunt aliquid facere praeter ordinem totius creaturae; quod exigitur ad rationem miraculi.»

**184. Miraculi definitio.**—Miraculum proprie tale sic definiri potest: *Opus insolitum ac omnes vires creatas excedens.* Singula verba declarantur.

Opus.—Hoc ponitur ad indicandum de ratione miraculi esse effici aliquid, et tale, quod aut ratione sui, aut ratione subjecti, aut ratione modi admirationem afferat, vel saltem sit aliquid aptum ad admirationem inducendam. Hoc opus non necessario debet esse sensibile; nam si Deus faceret in anima vel in angelo aliquid superans vires naturae et insolitum, revera daretur miraculum, licet sensibiliter nullatenus perciperetur. Sic, v. gr., infusio repentina scientiarum in mente humana, licet exterius non manifestaretur, verum esset miraculum. Tamen ut miracula sint apta ad aliquid probandum, debent esse sensibilia externis sensibus vel per se, sed saltem per aliud; secus possent quidem demonstrare pro illo, intra quem fieret miraculum; pro aliis autem minime, sed ad summum conjectura et probabilitas solummodo de ipsa miraculi existentia haberetur per testimonium illius, in quo effectum fuerit. Ratio hujus rei est, quia facta concreta et determinata ut actu existentia, nisi ex legibus naturalibus necessario consequantur, a pluribus solum cognosci possunt aut ope sensuum externorum, aut per aliorum testimonium. Vide *S. Th.* 1 p., q. 105, a. 7, ad 3. Et idem *S. Doctor,* in 3 p., q. 29, a. 1, ad 2 ait: «Sciendum tamen quod miraculorum Dei quaedam sunt de quibus est fides, sicut miraculorum virginei partus et resurrectionis Domini et etiam sacramenti altaris: et ideo Dominus voluit ista occultiora esse, ut fides eorum magis meritoria esset: quaedam vero miracula sunt ad fidei comprobationem, et ista debent esse manifesta.»

Insolitum.—In hujus vocis declaratione non omnes consentiunt,

sed ea explicatio tenenda videtur, juxta quam per illam vocem significatur id quod fit aliter, ac natum est fieri; quare ea omnia, quae fiunt juxta ordinarium rerum cursum, sive naturalem sive supernaturalem, non sunt miracula. Sic in ordine naturali non est miraculum creatio et conservatio mundi, nec jugis animarum creatio; neque in ordine supernaturali justificatio impii, quum haec fit juxta dispositiones subjecti modo ordinario habitas. Contra, miraculum est mortui suscitatio et sine remediorum applicatione sanatio morbi, quia etiamsi juxta cursum naturalem tribuatur vita, et aegritudines sanentur, tamen non datur vita mortuo nec sanitas repentina et sine ullis remediis. Non est autem de ratione miraculi non fieri frequenter, et ideo conversio panis in Corpus Christi est verum miraculum, quamvis quotidie eveniat, quia ea conversio non fit juxta cursum ordinarium, quo faciendae sunt conversiones; immo in illa continentur plura miracula, ut ostendit *P. Suarez,* De Eucharistia, d. 46, s. 5, n.° 2. Apposite *S. Thom.* 2 sent. d. 18, q. 1, a. 3, ad 2, inquit: «Nec tamen sequitur ex vi rationis inductae: quia *insolitum* quod in definitione miraculi ponitur, non dicit raritatem facti, sed excludit solitum cursum naturae; unde si quotidie caeci illuminarentur, nihilominus miraculum esset; quid praeter cursum naturalem, qui nobis est consuetus, contingeret.» Et in 1 p., q. 105, a. 7, ad 2: «Similiter etiam *insolitum* dicitur, non quia frequenter non eveniat, sed quia est praeter naturalem consuetudinem.» Vide *S. Th.* 1, 2, q. 113, a. 10, *P. Suarez,* De gratia, l. 7, c. 25, n.° 6 et sq.; *Salmanticenses,* Tr. 15, disp. 4, dub. 4.

**185.** Dices.—De ratione miraculi est inducere admirationem. Atqui si miracula frequenter fierent, non inducerent admirationem. Ergo de ratione miraculi est non fieri frequenter.

*Resp. D. Maj.:* de ratione miraculi est inducere per se admirationem, *C.*; ita ut hic effectus nullatemus impediri posset, *N.* et *D.* etiam *Min.:* miracula si frequenter fierent, non inducerent per se admirationem, *N.*; per accidens, *Tr.* et *N. Cons.* Admiratio non intrinsece constituit miraculum, sed est ejus effectus, et ideo si hic effectus impediretur, non propterea opus desineret esse miraculum, dummodo aliunde quidquid ad miraculum requiritur, haberet. Praeterea quamvis miracula fiant frequenter, non ideo vim admirationis inducendae amittunt; quia frequentia non impedit rem fieri praeter cursum naturalem et modo prorsus occulto; unde si propter frequentiam miraculum non afferret admirationem, ideo hoc esset, quia illud non attenderetur. Et hac de causa transmisi miraculum non inducere admirationem per accidens.

**186.** *Omnes vires creatas excedens.* Id constat ex dictis n. 173 et sq. Quare non quodlibet *insolitum* est miraculum proprie tale, sed illud dumtaxat quod a solo Deo, saltem tanquam causa principali, fieri potest. Creaturae vero miraculi effectioni cooperari possunt tanquam ministri et instrumenta. Rem hanc sic explicat *S. Thom.* quaest. 6, de pot. a. 4: «Et potest dici, quod ad miracula facienda angeli tripliciter operantur. Uno modo precibus impetrando; qui modus et hominibus et angelis potest esse communis. Alius modus est secundum quod angeli materiam disponunt sua naturali virtute ad hoc quod miraculum fiat; sicut dicitur quod in resurrectione colligent pulveres mortuorum, qui divina virtute reducentur ad vitam. Sed hic modus proprius est angelorum... Tertius modus est quod operentur etiam aliquid coagendo; quem quidem modum Augustinus sub dubio relinquit (De civ. Dei, l. 22, c. 9)... Sed Gregorius... hanc quaestionem determinare videtur, dicens, quod sancti homines etiam in carne viventes non solum orando et impetrando, sed etiam potestative, ac per hoc, cooperando miracula faciunt...» Et idem *S. Doctor,* 2. 2. q. 178, a. 1, ad 1, ait: «Sed tamen hoc potest contingere quod sicut mens prophetae movetur ex inspiratione divina ad aliquid supernaturaliter cognoscendum, ita etiam mens miracula facientis moveatur ad faciendum aliquid ad quod sequitur effectus miraculi, quod Deus sua virtute facit. Quod quandoque quidem fit praecedente oratione... Quandoque etiam non praecedente manifesta oratione, sed Deo ad nutum hominis operante...» Utrum vero cooperatio creaturae instrumentalis in miraculis patrandis sit tantum moralis, an aliquando etiam physica, disputant theologi; verum probabilius est non haberi nisi concursum moralem, prout docui in tract. de Incarnat. d. 14 de potent. Christi, a. 2, de humanit. Christi, et idem de aliis censendum est.

**187. Falsae miraculi notiones.**—Inter acatholicos, qui miraculum aliquo modo retinere voluerunt, multae de ipsius natura exortae sunt opiniones, ut videre est apud *Van Weddingen,* De mirac. p. 1, c. 2 et 3, § 5; *Ottiger,* Theol. fundam. p. 1, s. 1, c. 3, § 19; *Wilmers,* De rel. revel. lib. 1, c. 3, a. 5, n.° 142 et sq.; *Jungmann,* Tr. de vera relig. p. 1, c. 2, a. 3, aliosque. Verum omnes istae opiniones si penitus perpenduntur, et rei substantia consideratur, non sunt nisi tres: nempe, una eorum qui miracula per solas vires naturae corporeae declarant, altera eorum, qui cum *Clarkio* (Samuele) in miraculorum effectione interventum spirituum admittunt; tertia denique eorum, qui tanquam miracula statuunt ea omnia, quae liberae Dei actionis sunt effectus. Verum, ut ab hac postrema incipiam, apparet quam

falsa sit, quum ex ea sequatur contra omnium sensum esse miracula creationem et conservationem mundi, jugem animarum creationem, immo omnia corpora, quum omnia libera Dei actione conserventur. Neque altera sententia, quae miracula interventui spirituum tribuit, admittenda est; nam si quaecumque a spiritibus sensibiliter fiunt, admittit ut miracula, tunc etiam daemones ut tales miracula patrare possent, quod nemo dixerit, nisi qui scopum miraculi omnino auferat; sin autem solum admittit ut miracula facta sensibilia et insolita, quae a spiritibus juxta Dei voluntatem efficiantur, tunc tolerabilis quidem est haec sententia, dummodo admittat etiam alia miracula, quae a solo Deo effici possunt; attamen videtur quoque improbanda propter dicta n.° 173 et seq. Prima denique sententia omnino repudianda est; tum quia non explicat miracula quae in Sacris Litteris narrantur, quae certe per solas naturae corporeae vires non sunt patrata, tum quia aut constantiam et uniformitatem legum naturae, aut miraculi rationem et scopum tollit.

**188.** Rationalistae omnia miracula proprie talia non possunt non rejicere, eaque ignorantiae, fictioni et similibus causis tribuunt. Nonnulli asserunt scientiam modernam nec admittere, nec respuere miraculum; verum haec non de vero miraculo dicunt, sed de phaenomeno naturali, quod miraculum videretur, et adhuc non posset explicari. Immo eorum audacia adeo progressa est, ut asseveranter affirment, si quod ut miraculum habetur; fieret, et iterum iterumque repeteretur, nihilominus non esse accipiendum ut miraculum, sed expectandam explicationem ex legibus naturalibus. Haec ideo affirmant, quia aut profitentur pantheismum, aut admittunt solam experientiam ut fontem verae scientiae, aut unum et alterum tenent, ut saepe evenit.

Isti errores non sunt hic refutandi, nam in philosophia solet ostendi et absurditas pantheismi, et non solam experientiam, sed alia quoque exercitia facultatum cognoscitivarum esse fontes veritatis. Vide dicta n.° 67.

Ex pantheismo, et experientia ut unico veritatis fonte deducunt rationalistae *evolutionismum* universalem, i. e., omnes res transformari alias in alias, imperfectiores in perfectiores, atque ideo, aetatum decursu, ex elementis inanimis deventum esse ad animalia perfectiora (1). Systema hoc etiam in philosophia refutatur. Hic solum

(1) Sabatier *(Esquiss. d'une philos. de la relig.* l. 1, pág. 90) dicit: «Le plus ne peut sortir du moins, dit l'école... Mais la réalité se moque de la logique... L'évolution cosmique va toujours de ce qui est plus pauvre à ce qui est plus riche, du simple au composé, de l'homogène à l'hétérogène, de la matière brute à la matière vivante, et de la vie physique à la vie de l'esprit.»

adverto, rationalistas memorati systematis defensores non esse consequentes; ponunt enim experientiam ut unicum veritatis fontem, et nihilominus statuunt *evolutionismum* universalem, quem nunquam experti sunt, sed quotidiana experientia testatur contrarium: experimur enim singulas viventium species gignere individua ejusdem speciei, non autem aliarum. Nec evolutionismus potest probari a priori, quia recta ratio dicit res inferiores non continere superiores, et ideo haec, ex illis, oriri non posse.

Rationalistis, in miraculis recusandis, accedunt modernistae, qui saltem inficiantur de miraculis historice et critice constare. Verum, quum testimonium humanum certis adjunctis vestitum sit veridicum, et haec adjuncta in miraculis concurrere possunt, ut ostenditur n. 201 et sq., imo re ipsa concurrunt ex dicendis nn. 328, 348 et sq., immerito modernistae affirmant de miraculis, historice et critice non constare. At suum assertum non solidis rationibus objectivis fundant, sed suis male conceptis opinionibus, quibus *agnosticismum, immanentismum* et *evolutionismum* profitentur. Vide litt. encycl. *Pascendi* de modernista historico et critico.

**189. Miraculi divisio.**—*S. Th.* 1. p., q. 105, a. 8, et Contr. gent. l. 3, c. 101, miracula per comparationem ad naturae facultatem seu virtutem dividit, et triplicem miraculi speciem seu gradum designat. 1.ª species habetur, quum miraculum facultatem naturae, ratione ipsius substantiae rei factae, excedit, quatenus, nempe, facultas naturae nullo modo rem illam efficere potest: sic, v. gr., se habet mutua corporum penetratio. Altera est, quum miraculum facultatem naturae, ratione subjecti in quo efficitur, excedit; v. gr., mortui suscitatio, nam virtus naturae vitam largiri potest, sed non mortuo. Tertia denique est, quum facultatem naturae, ratione tantum modi quo res fit, excedit; v. gr., sanatio morbi sine ulla remediorum applicatione, si natura illum per remediorum applicationem sanare potuisset; quia si neque id potuisset, tunc ad secundum gradum pertinet.

**Altera miraculi divisio.** — Aliter *S. Thom.* dividit miracula, Quaest. 6 de potent. a. 2, ad 3, et In 2 sent. d. 18, q. 1, a. 3, ubi divisio fit non praecise per comparationem effectus miraculosi cum facultate naturae, sed per comparationem effectus miraculosi cum ipsa natura quatenus habente talem virtutem talemque exigentiam. Juvat divisionem proponere verbis ipsius *S. Doctoris,* qui, loco paulo antea laudato *De potent.,* sic loquitur: «Dicendum quod circa ea quae Deus miraculose facit, talis solet adhiberi distinctio, quod quaedam dicantur fieri supra naturam, quaedam contra naturam, quaedam praeter naturam. Supra naturam quidem, in quantum in illum

effectum quem Deus facit, natura nullo modo potest: quod quidem contingit dupliciter; vel quia ipsa forma inducta a Deo, omnino a natura induci non potest, sicut forma gloriae, quam inducet Deus corporibus electorum, et sicut etiam Incarnatio Verbi: vel quia, etsi talem formam possit in aliquam materiam inducere, non tamen in istam: sicut ad causandum vitam natura potens est; sed quod in hoc mortuo natura vitam causet, hoc facere non potest. Contra naturam esse dicitur quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum quem Deus facit; sicut quando conservavit pueros illaesos in camino, remanente virtute comburendi in igne, et quando aqua Jordanis stetit, remanente gravitate in ea; et simile est quod virgo peperit. Praeter naturam autem dicitur Deus facere, quando producit effectum quem natura producere potest, illo tamen modo quo natura producere non potest, vel quia deficiunt instrumenta quibus natura operatur... vel quia est in divino opere major multitudo quam natura facere consuevit, sicut patet de ranis quae sunt productae in Aegypto; vel quantum ad tempus, sicut cum statim, ad invocationem alicujus sancti, aliquis curatur, quem natura non statim, sed successive, et in alio tempore, non in isto, curare posset; et sic accidit in miraculo inducto de socru Petri.»

**190. Aliae miraculi divisiones.**—Possunt quoque miracula dividi in ea quae consistunt in inductione alicujus formae, sicut mortui suscitatio; et in ea quae potissimum in aliqua virtute et exigentia impedienda habentur, ut ignem debite applicatum non comburere, unum corpus permittere alterum secum penetratum, etc. Item dividi possunt in *physica* et *moralia*. Dicuntur *physica* ea omnia quae efficiuntur in materia: *moralia* vero quae in hominibus, quatenus sunt entia intellectualia et libera. Hujus postremi generis sunt repentina scientiae infusio, extraordinaria conversio, propagatio religionis modo valde extraordinario, atque his similia. Omitto divisionem in miracula *absoluta* et *respectiva*, seu, quod in idem recidit, in miracula *simpliciter* talia, et *quoad nos*; nam haec divisio supponit angelos posse miracula patrare, quod supra rejectum est.

Ad finem placet adducere verba Ferrariensis, In l. 3, Contr. gent. c. 101, ita dicentis: «Circa magnitudinem miraculorum, considerandum est, quod non est idem dicere, aliquid esse majus opus Dei, altero ejus opere, et illud esse majus miraculum; potest enim esse majus opus Dei, et tamen erit minus miraculum: nam dicitur majus opus Dei, quod est nobilius et excellentius, et magis divinam virtutem manifestat: dicitur autem majus miraculum, quod magis rationem miraculi participat, quae consistit in hoc: quod aliquid a Deo

fiat, et quod in re sit aliquid ex quo videatur, quod aliter fieri debeat. Non inconvenit autem quod aliquid sit excellentius altero, et magis divinam virtutem manifestet, et tamen minus habeat de ratione miraculi; ut puta, quia non est in natura creata, unde debeat aliter evenire, cum ad illud nullum ordinem habeat natura activa creata; sed ipsum sit supra ordinem omnium producibilium a natura; sic dicimus, creationem universi et justificationem impii, esse majora opera divina, quam sit sanatio subita alicujus a febre, licet ista sanatio sit majus miraculum, utpote magis de ratione miraculi habens.» Ex quibus verbis etiam elucet ea nonnunquam numerari inter miracula, quae aliquam miraculi rationem participant, quamvis non sint proprie miracula, quia totam non habent.

## ARTICULUS III

### De miraculi possibilitate et cognoscibilitate

**191.** Quid sit possibilitas ejusque divisio declaratum est d. 1, a. 2, n. 68. Agitur hic de miraculi possibilitate tum intrinseca, tum extrinseca, i. e. de eo quod miraculum neque in se continet aliquid repugnans vel contradictorium, neque deest causa a qua effici potest, atque ita quidem ut neque repugnet absolute, nec de facto et omnibus consideratis. Quaestio non instituitur contra atheos et pantheistas, nam adversus istos agitur in philosophia, quum Dei existentia ejusque a mundo distinctio demonstratur; sed contra illos qui, Dei existentiam admittentes, miraculi possibilitatem negent. Miracula esse possibilia philosophice est omnino certum, et theologice est de fide, quum *Con. Vatic.* sess. 3, c. 3, can. 4, dicat: «Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse: aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; A. S.»

#### Thesis I.

#### Miracula sunt vere possibilia.

**192.** *Prob.* 1.° Miracula nec repugnant ex parte Dei, neque ex parte operis faciendi, seu ipsius miraculi. Ergo sunt vere possibilia,

quia ex nullo alio capite repugnantia oriri potest, quum opus faciendum sumatur hic cum omnibus adjunctis et circumstantiis, quae operis effectioni obstare possent.

*Prob. Ant. a).* Non repugnat ex parte Dei. Imprimis non repugnat ex defectu potentiae, quia Deus, sicut in caeteris perfectionibus est infinitus, similiter in potentia, et nihil est in se non repugnans, ad quod non se extendat. Neque cum aliis Dei attributis pugnat.

Non cum *immutabilitate*: quia sicut Deus ab aeterno omnia perfectissime cognovit, sic etiam a tota aeternitate statuit omnia quae ab illo, in tempore, facienda erant, ac in eadem voluntate semper perseveravit; quare si in tempore operatur miracula, ab aeterno cognovit et statuit illa patrare, et ab aeterno in eadem voluntate, sine ulla variatione, permansit, et ideo miraculum in Deo mutationem non inducit. Nec Deus mutatur eo quod in tempore miraculum patrat, et antea illud non patrarat: tota enim variatio et mutatio se tenet ex parte effectus et nullatenus ex parte Dei, qui, quum sit infinite perfectus, nihil in se debet recipere aut amittere, ut ad extra operetur, et ideo per operationes ad extra non mutatur. Praeterquam quod, si ex hac parte miraculum divinae immutabilitati opponeretur, similiter de creatione, conservatione, concursu omnique actione Dei ad extra dicendum esset.

Non cum *divina sapientia.* Etenim miracula non efficiuntur eo quod Deus aliquid ignoraverit, aut quod arbitrarie leges statutas immutare velit, sed quod vult, factis extraordinariis, suum dominium et interventum in rebus mundanis ostendere, hominibus suam locutionem et voluntatem significare, eisdemque modo miro benefacere aut etiam eos punire.

Non cum *sanctitate.* Miracula enim modo peculiari hominibus in Deum ordinandis, divinis attributis manifestandis ac Dei gloriae procurandae inserviunt, ut cuilibet naturam miraculi consideranti liquidum erit.

Non denique cum *divina providentia.* Quia, ratione miraculi, non desinit Deus dirigere res omnes in fines suos per media convenientia, quod proprium providentiae est; nec miracula constantiam et uniformitatem legum naturalium tollunt, sed dumtaxat afferunt veluti quasdam earum exceptiones, quibus peculiariter divina attributa manifestantur. Praeterea finis mundi est gloria Dei, quae quidem per creaturas rationales obtinenda est; porro miracula maxime conducunt et ut Deus hominibus benefaciat, et ut hi in Deum tendant, eumque magis cognoscant et ament.

*b)* Neque repugnat ex parte ipsius operis faciendi seu ex se

ipso. Quia, ex hoc capite, ideo miraculum repugnaret, quia mundus visibilis, ejus leges et operationes essent omnino et absolute necessaria; nam si haec omnia variari, immutari impedirique possunt, eo ipso non adest causa repugnantiae miraculi. Atqui mundus visibilis, ejusque operationes et leges non sunt necessaria, sed contingentia et capacia variationis et impedimenti. Ergo. *Prob. Min.* Mundus non est necessarius antecedenter, seu non necessario existit; Deus enim, qui est sibi sufficientissimus et ab omni creatura independens, non potuit non libere illum creare, et idcirco mundus est contingens, quia potuit existere et non existere. Deinde, posita ejus existentia, non desinit esse contingens; quia naturam non mutat, et libere a Deo conservatur. Denique mundi operationes et leges sunt capaces variationis et impedimenti; sunt enim finitae et limitatae, et quod est ejusmodi variari et impediri potest ab ente sub omni ratione infinito, quemadmodum est Deus; et praeterea mundi et rerum mundanarum leges et operationes sunt realiter distinctae a rerum essentia; et ideo, quamvis Deus rerum essentias mutare nequeat, nihilominus tanquam omnipotens, et supremus et absolutus dominus illi respondet posse res in nihilum redigere, aut, servata earum existentia, leges et operationes posse augere, minuere, immutare, variare aut tollere.

**193.** 2.° Omnia miracula proprie talia sunt aut supra naturam, aut contra naturam, aut praeter naturam; nullum enim miraculum proprie tale afferri potest, quod ad aliquam horum speciem revocari non possit. Atqui nulla horum miraculorum species repugnat. Ergo. *Prob. Min.* per partes.

Sunt possibilia miracula *supra naturam*. Quum mundus et omnia quae in eo continentur sint finita, eorum virtus erit quoque finita; virtus enim est proportionata essentiae seu naturae; at virtus Dei est simpliciter infinita. Atqui virtus infinita potest agere supra id quod potest virtus finita, ut est manifestum. Ergo Deus potest facere supra virtutem naturae seu mundi, ac proinde patrare miracula supra naturam. Praeterea virtus infinita simpliciter potest facere quidquid contradictionem non includit. Atqui innumera sunt, in quibus nulla ostendi potest contradictio, et nihilominus sunt supra naturam: cujusmodi sunt suscitare mortuum, tribuere corpori humano claritatem et agilitatem, etc. Ergo.

Item *contra naturam*: Nulla virtus creata in actum prodire potest, nisi Deus cum illa operetur, eo quod omne creatum ab increato, in esse et in operari, dependet. Ergo Deus, si negat suum concursum agenti creato, obtinebit id, quod est contra ipsius exigentiam, v. gr.

ut ignis non comburat, ac proinde potest facere miraculum contra naturam. Similiter poterit facere, ut duo corpora sint simul, si non sinit exigentiam, vi cujus unum ab eodem loco alterum excludit, in actum reduci. Atque hi effectus contra naturae exigentiam dupliciter a Deo obtineri possunt, nempe per negationem concursus agenti, aut ita roborando passum, ut hoc influxum agentis frustret.

Similiter *praeter naturam*. Miracula haec consistunt in hoc, quod Deus, sine causarum creatarum interventu, id faciat quod a causis creatis fieri potest. Atqui hoc evidenter est possibile; quia quum virtus Dei sit simpliciter infinita, et ab ea sit omnis creaturarum virtus, potest sola quidquid cum virtute creata efficere quit. Ergo.

**194.** 3.° Homines, usu machinarum, ope electricitatis, vaporis aliorumque virium naturalium consequuntur miros effectus, qui per solam naturam irrationalem nullatenus haberentur; item agentia potentiora aut elidunt, aut sibi subjiciunt effectum debiliorum; itidem corpora organica mire extollunt materiam inorganicam, novasque proprietates ei tribuunt. Ergo si agentia creata possunt producere effectus supra virtutem agentium particularium, a fortiori id poterit Deus supra omnem virtutem creatam; quia multo magis Deus omnem virtutem creatam superat, quam unum agens creatum aliud. Possunt etiam agentia creata propensionem aliorum agentium impedire; sic homines, diversis instrumentis, dividunt ingentia saxa, magnas arbores resque alias separant, contra eorum inclinationem ad conjunctionem, impediunt vim diversorum agentium, tribuunt lapidi impulsum contrarium gravitati, atque sexcenta alia faciunt similia; item agentia irrationalia fortiora saepe impediunt debiliora; sic, v. gr. magnes effectum gravitatis impedit in corporibus quae attrahit. Quare igitur Deus non poterit multo magis effectus agentium naturalium impedire, ac miracula contra naturam patrare? Denique, per diversa variarum causarum temperationem, diversimode obtinentur similes effectus, ut apparet in agricultura, in praeparatione et productione rerum modo artificiali. Cur igitur Deus non poterit effectus praeter cursum ordinarium producere?

**195.** 4.° denique probatur ex *D. Thoma*, De potent. q. 6, a. 1, dicente: «His ergo tribus habitis, sc. quod Deus sit rebus naturalibus causa essendi, et quod propriam cognitionem et providentiam habeat de unoquoque, et quod non agat ex necessitate naturae; sequitur quod potest, praeter cursum naturae, aliquid agere in particularibus effectibus, vel quantum ad esse, in quantum aliquam novam formam inducit rebus naturalibus quam natura inducere non potest, sicut formam gloriae; aut huic materiae, sicut visum in caeco; vel quantum ad ope-

rationem; in quantum retinet operationes rerum naturalium ne agant quod natae sunt agere, sicut quod ignis non comburat...»

**196.** *Obj.* 1.° Leges naturae sunt ipsa Dei decreta. Atqui decreta Dei sunt prorsus immutabilia. Ergo similiter leges naturae; atque ideo, repugnant miracula quibus leges naturae immutentur. Accedit, quod virtus et potentia naturae est ipsa Dei virtus et potentia; quare nullo modo superari, aut impediri potest, quum sit infinita, et ideo miracula supra aut contra naturam dari nequeant.

*Resp. N. Maj.:* leges enim naturae non sunt ipsa Dei decreta, sed sunt illorum objecta, termini et effectus; et quum ubique, inter causam et affectum, realis intersit distinctio, decreta Dei a legibus naturae realiter distinguuntur. Similiter virtus et potentia naturae non est ipsa Dei virtus et potentia, sed effectus illius et res creata; quare virtus et potentia naturae non modo cum divina virtute et potentia non identificantur, sed ab illa infinite distant; prior enim est res limitata et contingens, posterior vero infinita et necessaria. Tota haec objectio, ex *Spinoza* desumpta, nititur absurda pantheismi doctrina; unde quum ejus fundamentum sit prorsus ruinosum, ipsam quoque labilem esse, nec posse subsistere necesse est. Ex hoc autem quod divina decreta sint prorsus immutabilia, non deducitur eorum objectum non posse mutari; ipsa enim decreta statuunt diversa facere in diversis temporibus et circumstantiis.

**197.** *Obj.* 2.° Miracula divinae sapientiae repugnant; ea enim ostendunt divinam sapientiam nesciisse se per cursum rerum ordinarium nancisci id quod per miracula nanciscitur. Ergo miracula non sunt admittenda.

*Resp. N. Ant.* et ejus *Prob.*: divina namque sapientia perfecte cognovit cursum naturalem et omnia quae ex illo obtineri possunt, sed nihilominus judicavit miracula esse patranda. Atque imprimis quia ordo naturalis solum declarat officia hominis erga Deum, quae necessario consequuntur posito praesenti rerum ordine, sed nullatenus manifestat ea, quae Deus libere potest velle addere iis, quae ex ordine naturali necessario consequuntur, et ideo debet posse patrare miracula tanquam medium convenientissimum ad manifestandam suam voluntatem hominibus, necnon ad confirmandam aliquam doctrinam tamquam suam; haec enim praestat miraculum ut Dei sigillum. Praeterea ordo naturalis, utpote qui uniformis, constans et necessario suum cursum sequatur, non ostendit peculiari modo omnia a Dei voluntate pendere, et cadere sub perfectissimum ipsius dominium; et ideo Deus miracula sapienter patrat, quia haec peculiariter manifestant omnia a Dei voluntate pendere et sub ipsius dominium

cadere. Denique sapientis Dei est ea facere, quae specialiter ejus perfectionem detegunt, ad ejusque gloriam conducunt; ac proinde ad Dei sapientiam spectat efficere miracula, quae divinam omnipotentiam, beneficentiam, justitiam vindicativam aliasque perfectiones specialiter patefaciunt.

Alia quoque objici possent ad probandum miracula cum divinis attributis pugnare; verum recolantur quae dicta sunt, n.° 192, ex quibus eorum solutio facile erui potest. Tantum hic addo verba *D. Thomae*, 1. p. q. 105, a 6, dicentis: «Unde et Augustinus dicit quod *Deus* contra solitum cursum naturae facit; sed contra summam legem nullo modo facit, quia contra seipsum non facit.» Et idem *S. Doctor*, Quaest. 6, de potent. a. 1, ad 6, inquit: «Deus non facit contra rationes naturales mutabili voluntate; nam Deus ab aeterno praevidit et voluit se facturum quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturae cursum, ut tamen praeordinaretur in aeterna sua voluntate quod praeter cursum istum quandoque facturus erat.»

**198.** *Obj.* 3.° Miracula tollunt constantiam et uniformitatem ordis naturalis necnon nostram rerum naturalium physicam certitudinem. Atqui, quod est hujusmodi, prorsus respuendum est. Ergo.

*Resp. N. Maj.*: nam constantia et uniformitas ordinis naturalis duo postulat; unum est, res ordini naturali subjectas et necessario agentes jugiter eodem modo operari, si sibi relinquantur; alterum, hunc ordinem non frequenter impediri aut immutari. Si haec duo habeantur, non tollitur constantia et uniformitas ordinis naturalis, quamvis in illo Deus, ob altiorem finen, nonnunquam faciat aliquas exceptiones, sicut non tollitur lex gravitatis eo quod corpora aliquando cogantur moveri modo contrario gravitati, nec lex civilis desinit esse constans eo quod suprema auctoritas in illa aliquando dispenset. Nec propter miracula amittimus certitudinem rerum naturalium, quia haec certitudo non secum fert res naturales et earum leges et operationes non posse aliter se haberi, sic enim esset certitudo metaphysica; sed solum postulat, ut res naturales per se et si propriis viribus relinquantur, servent eumdem ordinem eumdemque agendi modum. Et quum res naturales per se et ordinarie propriis viribus relinquantur, hinc illa certitudo in suo ordine est perfecta et sufficiens, ut homines de rebus naturalibus sint securi.

Apposite *S. Thomas*, Lib. 3, Contr. gent. c. 99, inquit: «Ordo enim inditus rebus a Deo secundum id est quod in rebus frequenter accidere solet, non autem ubique, vel secundum id quod est semper; multa enim naturalium causarum effectus suos producunt eodem modo ut frequenter, non autem ut semper; nam quandoque, licet ut

in paucioribus, aliter accidit, vel propter defectum virtutis agentis vel propter materiae indispositionem vel propter aliquid fortius agens, sicut cum natura, in homine, generat digitum sextum. Non tamen propter hoc deficit aut mutatur providentiae ordo; nam et hoc ipsum quod naturalis ordo institutus, secundum ea quae sunt frequenter, quandoque deficiat, providentiae subest divinae. Si ergo per aliquam virtutem creatam fieri potest ut ordo naturalis mutetur ab eo quod est frequenter ad id quod est raro, absque mutatione providentiae divinae, multo magis divina virtus quandoque aliquid facere potest, sine providentiae suae praejudicio, praeter ordinem naturalibus inditum rebus a Deo. Hoc enim ipsum ad suae virtutis manifestationem facit interdum; nullo enim modo melius manifestari potest quod tota natura divinae est subjecta voluntati quam ex hoc quod quandoque Ipse, praeter ordinem naturae, aliquid operatur; ex hoc enim apparet quod ordo rerum processit a Deo, non per necessitatem naturae, sed per liberam voluntatem.»

«Nec debet haec ratio frivola reputari, quod Deus aliquid facit in natura ad hoc quod Deus se mentibus hominum manifestet, cum supra ostensum sit quod omnes creaturae corporales ad naturam intellectualem ordinantur quodammodo sicut in finem. Ipsius autem intellectualis naturae finis est divina cognitio, ut in superioribus ostensum est. Non est ergo mirum si, ad cognitionem de Deo intellectuali naturae praebendam, sit aliqua mutatio in natura corporali.»

**199.** *Obj.* 4.° Miraculum est violatio legum, quibus natura corporalis regitur. Ergo ablegandum est: Deus enim leges a se conditas non violat.

*Resp. N. Ant.*: Deus enim nullam legem violare potest, quum nulli subjiciatur; verum nec per miraculum facit aliquid contra suam perfectionem, nec tollit leges ordinis corporalis, nec rerum virtutes aut exigentias; sed dumtaxat, justis de causis et tanquam omnipotens et supremus dominus, in casu particulari impedit aliquam operationem, vel alicui exigentiae non satisfacit, vel suspendit ad breve tempus aliquam legem, vel operationem aliquam vel legem immutat. Ad rem *S. Th.*, l. 3, contr. Gent. c. 100, inquit: «Omnes creaturae comparantur ad Deum sicut artificiata ad artificem. Unde tota natura est sicut quoddam artificiatum divinae artis. Nod est autem contra rationen artificii si artifex aliquid aliter operetur in suo artificio, etiam postquam ei primam formam dedit.» Et idem *S. Doctor*, Quaest. 6, de pot. a. 1 ad 12, ait: «Ars divina non totam se ipsam explicat in creaturarum productione: et ideo, secundum artem suam, potest alio modo aliquid operari quam habeat cursus naturae; unde

non sequitur quod si potest facere contra cursum naturae, possit facere contra suam artem: nam et homo artifex potest aliud artificiatum facere, per suam artem, contrario modo quam prius fecit.» Denique tanquam complementum eorum quae dicta sunt, juvat afferre quae dicit, idem *S. Doctor*, 1. p, q. 103, a. 6, his verbis: «Unde causa superior non continetur sub ordine causae inferioris, sed e converso. Cujus exemplum apparet in rebus humanis; nam ex patrefamilias dependet ordo domus, qui continetur sub ordine civitatis, qui procedit a civitatis rectore, cum et hic contineatur sub ordine regis, a quo totum regnum ordinatur. Si ergo ordo rerum consideretur prout dependet a prima causa, sic contra rerum ordinem Deus facere non potest; si enim sic faceret, faceret contra suam praescientiam, aut voluntatem, aut bonitatem. Si vero consideretur rerum ordo prout dependet a qualibet secundarum causarum, sic Deus potest facere praeter ordinem rerum; quia ordini causarum secundarum ipse non est subjectus: sed talis ordo ei subjicitur, quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturae, sed per arbitrium voluntatis. Potuisset enim et alium ordinem rerum instituere. Unde et potest praeter hunc ordinem institutum agere, cum voluerit.»

**200.** *Obj.* 5.° Deus non potest agere contra legem naturalem, qua homines reguntur tanquam rationales et liberi. Ergo nec potest agere contra leges physicas; quia et hae et illa a Deo sunt constitutae.

*Resp. C. Ant. N. Cons.*; disparitas enim habetur inter legem naturalem et leges alias physicas, quum, per illam, homines in Deum suum ultimum finem ordinentur, per has vero ipsae res corporales inter se ita ordinantur, ut, mutato hoc ordine, non desinant in Deum referri; contra si ordo legis naturalis tolleretur, homines in Deum modo debito non se referrent. Sic dicit *D. Th.*, Quaest. 6, de pot., a. 1 ad 3: «Licet Deus possit facere contra ordinem qui est unius creaturae ad aliam, quod est quasi naturae particularis respectu ipsius, non tamen potest facere contra ordinem creaturae ad se ipsum. Justitia autem hominis consistit principaliter in debito ordine hominis ad Deum; unde contra ordinem justitiae Deus facere non potest. Cursus autem naturae est secundum ordinem unius creaturae ad aliam; et ideo contra cursum naturae Deus facere potest.» Accedit quod lex naturalis fundatur in ipsa hominis essentia et in relationibus ejus essentialibus, et ideo, posita hominis existentia, non potest Deus illam tollere aut mutare. Et quoad hoc est aliqua paritas cum aliarum rerum essentiis et simul magna disparitas. Adest paritas, quatenus quaelibet essentia exigit determinatas operationes, atque haec exigentia, posita talis rei existentia, auferri non potest; adest vero

etiam magna disparitas, quia aliae res sive operentur juxta earum naturam et exigentiam, sive contra illam, semper in Deum ordinantur; homo vero, si operatur contra suam naturam, ut rationalem, in Deum ordinari desinit. Quare Deus creaturas irrationales potest inducere in quascumque operationes, creaturas vero rationales non potest inducere in operationes a lege naturali prohibitas, quia sic eas induceret ad operandum contra ipsum Deum.

### Thesis II.

**Miracula immediate vel mediate certo cognosci posunt.**

**201.** Nota 1.°—Asseritur *miracula certo cognosci posse,* non omnia, quia non contenditur omnia et singula certo cognosci posse, sed aliqua saltem. Tamen omnia et singula miracula de quibus hic agitur, per se sunt certo cognoscibilia etiam respectu hominum; nam ex una parte sunt entia vere realia, et quodlibet ens reale certo cognosci potest; ex altera vero, quum miracula, de quibus hic sermo est, fiant propter homines, per se debent certo esse cognoscibilia ab hominibus, ut eorum scopus obtineatur. Verum per accidens nonnunquam certo cognosci nequeunt, eo quod adsit impedimentum sive ex parte subjecti, sive ex adjunctis objecti. Dicitur *immediate* vel *mediate;* soli enim illi coram quibus miraculum patratur, quique illud propriis sensibus perceperunt, possunt illud immediate cognoscere; ceteri vero dumtaxat mediate, i. e., medio testimonio fide dignorum. Atque agitur hic de cognitione facti miraculosi quatenus talis, seu de cognitione miraculi philosophica, id est, non praecise de certa cognitione facti insoliti, sed de cognitione certa miraculi quatenus est proprie tale. *Certo* ponitur in thesi pro ea certitudine quae, saltem, omne dubium prudens expellat. Quid sit certitudo ejusque species declaratum d. 1, c. 1, a. 6, n.° 155 et seq.

**202.** Nota 2.°—Miraculi cognoscibilitatem negarunt etiam rationalistae illi, qui ejus possibilitatem admiserunt. Verum proposita thesis est certa philosophice, et theologice est de fide ex Vaticano allato n.° 166, si accipiatur, prout re ipsa accipitur, de aliquibus saltem miraculis.

**203.** *Prob.* 1.° Miraculum certo cognosci potest, si certo cognosci potest factum insolitum, factumque illud esse proprie miraculum. Atqui utrumque cognosci certo potest. Ergo. *Major* ex se manifesta est, ideoque solum minor probanda est.

*Prob. Min. quoad ipsum factum insolitum.* Nam miraculum,

de quo hic agitur, est factum aliquo modo sensibile: ergo sicut alia facta sensibilia certo percipi possunt, idem de miraculis asserendum est. Nec obstat facti supernaturalitas; quia miracula frequenter sunt facta simpliciter sensibilia, sicut restitutio visus, suscitatio mortui, expulsio febris, etc., et dicuntur supernaturalia non ratione ipsius rei, sed ratione virtutis, quae ad illa facta exsequenda necessaria est. Quod si miraculum non est simpliciter sensibile, etiam ex illa parte, qua sensibile est, sensibus certo percipi potest, et ex illo quod percipitur reliqua inferri queunt, si miraculum sit aptum ad probandam veram religionem; de miraculis vero, quae non sint ejusmodi, hic non agitur. Atque haec quidem probant de iis qui inmediate factum insolitum percipiunt; at etiam, respectu aliorum, est certo cognoscibile, quia illi qui inmediate factum illud perceperunt, possunt esse plures diversae aetatis, conditionis et cum omnibus requisitis ad fidem faciendam; quocirca horum testimonium veridicum in aliorum notitiam certo devenire potest.

*Prob. Min. quoad cognitionem certam miraculi quatenus talis.* *a)* Nam in aliquibus si constat de facto insolito, etiam constat de miraculo ut tali, quia nonnulla omnino superant vires totius naturae creatae, cujusmodi sunt mortui suscitatio, restitutio organi penitus amissi, corporum compenetratio et alia: ergo in his, si datur certitudo facti insoliti, eo ipso habetur etiam miraculi certitudo, propterea quod opus illud non potest esse nisi divinum.

*b)* Saepe moraliter certum esse potest opus insolitum ita esse patratum, ut, ratione modi saltem, excedat vires totius naturae creatae. Etenim potest cum certitudine morali constare morbum esse sanatum sine ulla remediorum applicatione, aut mediis omnino ineptis, ut restitutio visus per lutum; item, solo voluntatis imperio, morbos esse expulsos, sedatas tempestates aliaque similia esse facta; itidem, solo manus contactu, esse ejectam lepram aliasque infirmitates; denique modo prorsus repentino esse panem multiplicatum, aquam in vinum conversam, infirmos sanatos, etc. Atqui haec omnia sunt facta insolita, quae, saltem ratione modi, a solo Deo fieri possunt. Ergo cum certitudine morali illa omnia esse miracula constare potest. *Major* liquet, quia sive ex propria perceptione, sive ex testibus fide dignis, ita de illis omnibus constare potest, ut desit fundamentum prudens dubitandi, ac proinde saltem certitudine morali constet. *Minor* vero *Prob.* Quia facta illa nequeunt esse a viribus corporalibus, quum hae aut sine applicatione, aut modo inepto, aut imperio, aut solo manus contactu, aut repente omnino illa efficere non possint; neque a virtute angelica, ut liquet ex dictis, et a fortiori

neque a virtute animae humanae. Ergo tantum relinquitur ut ea a virtute divina efficiantur.

**204.** 2.° *Notitia miraculi, quatenus talis, magis confirmari potest ex sequentibus:* α) *Ex parte personae,* quae a Deo tanquam minister ad miraculum patrandum adhibetur. Si enim haec humilitate, modestia, caritate caeterisque virtutibus eluceat, si proprium commodum et lucrum non quaerat, si nihil indecens vel minus decorum in illo appareat, certe habebitur indicium solidum judicandi, quae ab illo tanquam Dei instrumento fiunt, revera esse sicuti apparent, et fallaciam vel fraudem aliquam non continere.

β) *Ex ipso opere et fine.* Sunt quoque firma veri miraculi indicia, si opus miraculosum sive in se, sive in adjunctis nihil minus honestum minusque decorum continet, si est permanens et constans, quia res fictae et simulatae facile evanescunt et dissipantur. Sic, v. gr. suscitatio mortui jam a pluribus diebus et ejusdem, postea, in vita recuperata constans permanentia est clarum indicium absentiae simulationis et fraudis. Itemque sunt certa veritatis indicia si opus miraculosum dirigitur ad cultum veri Dei fovendum, ad homines ab omni turpitudine et vitio avertendos, atque ad omnem honestatem et virtutem inducendos, necnon ad Deum magis cognoscendum et amandum, praesertim si opera miraculosa cum omnibus veritatis characteribus multiplicantur, atque homines, re ipsa, in omnem virtutem Deumque magis cognoscendum et amandum inducuntur.

γ) *Ex doctrina.* Similiter est veritatis indicium, si doctrina illius, qui miracula patrat, nihil continet aperte falsum vel contrarium bonis moribus; nam qui ficte, aut a malo spiritu seducti et decepti agunt, cum veritate solent miscere falsa et bonis moribus contraria. Doctrina vero et mores hic accipiuntur quatenus, independenter a revelatione et per criteria naturalia, illa possit judicari certo vera vel falsa, et hi certo boni vel mali.

δ) *Ex exclusione interventus mali spiritus.* Hoc ex ipso opere, sicuti jam supra dictum est, excluditur, quum est tale, quod non potest fieri per motum localem et virium naturae corporeae applicationem; nam mali spiritus illos effectus corporeos efficere dumtaxat valent, qui per motum localem et virium naturae corporeae applicationem obtinentur. Quum vero dubium est, utrum opus per daemonem fieri potuerit, ejus interventus excluditur illis indiciis, quae sub α), β) et γ) afferuntur. Denique, quamvis daemones, motu corporum celerrimo et per applicationem virium corporearum maxima dexteritate et sagacitate peractam, multa nobis valde mira efficere queant, ad divinam tamen sapientiam, bonitatem, sanctitatem et

providentiam spectat non sinere, ut homines inculpabiliter a daemonibus decipiantur; aliter enim sine ulla eorum culpa possent a vero Dei cultu et ab ultimo fine averti, et in cultum Dei falsum finemque inordinatum induci; hoc autem memoratis Dei attributis repugnat, quum vi illorum Deus hominibus media necessaria, quibus recte ipsum colant, ac in finem ultimum tendant, subministrare debeat. Nec dici potest omnes homines propter peccatum esse a Deo derelictos, et in statu damnationis reperiri; hoc enim sine sufficienti fundamento asseritur, et divinae bonitati et misericordiae repugnat, praesertim quum plures homines maxima sollicitudine et labore et totis viribus Deo servire et placere conentur. Profecto repugnat divinae bonitati, aequitati ac misericordiae absolute et sine ullo remedio damnasse totum genus humanum, et nihilominus illud conservare, et in numerosam ejusdem multiplicationem constanter concurrere; hoc enim esset procurare numerosam multiplicationem eorum, qui non possent esse nisi damnati et infelices.

ε) *Signa mali spiritus interventus*. Opera mira non sunt habenda ut vera miracula, si in approbationem pravorum thaumaturgi morum redundant, si doctrinam manifeste falsam aut honestati contrariam confirmant, si ad vanam gloriam vel lucrum captandum diriguntur, si denique indecore et inhoneste, vel non pacate et tranquille, sed iracunde et furiose patrantur. Si aliqua ex iis in opere miro habentur, non est existimandum verum miraculum, sed praestigia et portenta diabolica; quia verum miraculum est Dei sigillum, quod non sinit Deus, ut in erroris vel inhonestatis confirmationem adhibeatur, quod tamen ad id in memoratis adjunctis adhiberetur.

**205.** 3.° Quum Deus sit infinite sapiens et potens, non desunt ei media, quibus miraculum certo cognoscibile reddatur. Atqui Deus revera facit, ut haec media dentur; aliter namque miraculum scopo suo frustraretur, quia nihil speciale respectu Dei probaret. Ergo revera miracula sunt certo cognoscibilia.

**206.** *Observa*. Si opus mirum ostendi non potest superare vel ratione substantiae, vel ratione modi vires totius naturae creatae, sed tamen ex una parte manifeste requirit alicujus spiritus homine superioris interventum, ex altera vero ex characteribus moralibus, i. e. ex thaumaturgi sanctitate, ex cultu Dei bonisque moribus promotis aliisque similibus, certo apparet opus illud daemoni tribui non posse; tunc admitti potest tanquam si esset verum miraculum sive ad doctrinam aliquam probandam, sive in sanctitatis alicujus testimonium, sive ad divinam voluntatem cognoscendam. Ratio est, quia opus illud bono angelo vel ipsi Deo tribuendum est, bonus autem

angelus non potest facere opus aliquod in confirmationem falsitatis vel contra divinam voluntatem.

**207.** *Obj.* 1.° Ut aliquid tanquam verum miraculum certo cognosceretur, necesse foret certo constare illud a naturae viribus originem non ducere. Atqui hoc certo constare nequit; ignoramus enim usquequo naturae vires se protendant Ergo.

*Resp. C. Maj.* et *N. Min.* Ad *Min.* prob. *Dist.*: ignoramus usque quo naturae vires se protendant *negative*, saltem quoad aliqua, *N.; positive, C.* Cognoscere *negative* extensionem virium naturae est scire quid vires naturae efficere nequeant; *positive* vero, scire quid efficere valeant. Porro quid vires naturae non possunt, certo, saltem quoad aliqua, cognoscimus: sic, v. gr. non possunt mortuum suscitare, duo corpora perfecte penetrare, corpori tribuere dotes gloriosas etc.; similiter non possunt, solo imperio, sedare tempestatem, sola benedictione panem multiplicare, sine remediorum applicatione morbos sanare, etc. Quocirca si de his vel similibus certo constat, constabit certo etiam de miraculo. *Positive* tamen non cognoscimus omnia, quae per vires naturae fieri queunt; videmus enim a rerum physicarum peritis novas proprietates novasque corporum vires in dies detegi. Nihilominus vires corporum occultae non possunt esse causa miraculorum; quia vires corporeae necessario agunt; et ideo, si ad miraculum sufficerent, modo constanti et periodico ea patrarent, et in iisdem adjunctis semper haberentur; hoc autem est et contra experientiam, et contra ea, quae testes fide digni de miraculis narrant. Accedit, quod miracula precibus alicujus, vel invocatione, vel imperio, vel simplici contactu effici solent; quid autem haec praestent, si miracula solis naturae corporeae viribus efficiantur, explicari nequit. Nec dicatur vires naturae non efficere miraculum, nisi per agens intellectuale applicentur; nam si ita esset, thaumaturgi deberent esse legum physicarum peritissimi, ut cognoscerent eas vires, quibus miracula patrantur, easque convenienter accomodare scirent; thaumaturgi autem, si considerantur ut meri homines et sine divinitatis communicatione, non est unde eam eximiam rerum physicarum notitiam haberent. Quod si thaumaturgus, ex Dei revelatione vel motione, in illis adjunctis a viribus corporeis patrandum esse miraculum cognosceret, jam admitteretur aliquid supernaturale, quod vitare volunt adversarii, et tamen per illud non explicantur ea, quae de miraculis certo constant.

**208.** *Obj.* 2.° De miraculis nonnisi certitudine morali constat. Atqui haec certitudo, respectu miraculorum, nulla est; nam contra se habet certitudinem physicam de constantia legum natura-

lium et immediata ipsorum objectorum perceptione nixam. Ergo.

*Resp. D. Maj.*: de miraculis nonnisi certitudine morali constat iis, qui facta miraculosa immediate percipiunt, *N.*; aliis *C.* Deinde *N. Min.* ejusque *Prob.* et *Cons.* Primo qui propria experientia percipiunt, v. gr. aliquem revera fuisse mortuum et iterum vitam recuperasse, aliquem diu morbo laborantem subito sanatum esse aliaque similia, hi certe plusquam moralem certitudinem de miraculo nanciscuntur. Illi vero, qui solo aliorum testimonio miracula cognoscunt, non habent quidem nisi moralem certitudinem; verum haec iis dotibus potest esse ornata, quibus nunquam conjungatur falsum, et certitudo proprie talis gignatur, ut in philosophia explicari solet. Unde falsa est minor, neque ejus probatio aliquid evincit, quia constantia legum naturae nullo modo testatur leges illas exceptionem pati non posse, sed dumtaxat sequi norman constantem, si ab agenti potentiore non impediantur aut immutentur; huic autem constantiae legum naturae propriis viribus relictarum non opponitur moralis certitudo miraculi, sed requirit vires naturae quoad aliquid particulare esse impeditas vel immutatas. Quocirca certitudo physica et moralis, in re praesenti, non sunt oppositae, non enim versantur modo contrario circa idem et sub eodem respectu, prout ad veram oppositionem necessarium foret; sed certitudo physica pro objecto habet constantiam legum naturae agentium juxta proprias vires, et certitudo moralis interventum agentis potentioris, qui eas leges impedire et immutare valet. Accedit quod si argumentum aliquid evinceret, etiam concluderet incolas, v. gr. regionis valde septentrionalis non posse credere ea, quae de regione valde calida narrantur, nisi ad eam regionem se transferrent, eaque propriis sensibus perciperent, aut ex scientia cosmographica vel astronomica in eorum notitiam devenirent; nam testimonium alienum nullum esset, quia ipsi contrarium experiuntur. Similiter inferri posset neminem solo aliorum testimonio posse admittere phaenomena extraordinaria, quae propriis sensibus non sint percepta. Haec autem quam sint absurda, nemo non videt.

**209.** *Obj.* 3.° Ut de miraculo, juxta regulas criticae, constaret, opus esset illud coram scientiae physicae peritis patrari, atque in iis adjunctis, quae ab illis postularentur, necnon juxta eorum arbitrium miraculum iterari. Atqui haec de nullo miraculo habentur. Ergo de nullo miraculo juxta criticae regulas constat.

*Resp. N. Maj.;* non enim illae conditiones sunt necessariae, ut de miraculis certo constet, nam, sine illis, certum omnino esse potest aliquem revera fuisse mortuum, ac postea vitam recuperasse, caeco

a nativitate visum restitutum, claudo expeditam ambulationem communicatam atque alia iis similia. Accedit quod veritas miraculi praeter argumenta, quae ex ipso facto miraculoso desumuntur, potest quoque confirmari ex characteribus moralibus thaumaturgi, operis, finis, etc., qui n. 204 indicati sunt. Atque haec dicta sint respectu illorum, qui factum miraculosum immediate perceperunt; respectu vero aliorum, etiam per testes fide dignos de miraculo certo constare potest, nempe, si testes sint plures, quique diversae aetatis, conditionis existant, neque emolumentum aliquod temporale expectare possint, praesertim si in confirmationem veritatis sui testimonii dira tormenta patienter sustinuerint, ipsamque vitam cum heroicis virtutum actibus amiserint. Et testes possunt fideliter narrare factum, quamvis illius naturam explicare nesciant: sic, v. gr. nonnunquam evenit rudes narrare phaenomenon, quod ipsis est mirabile et inexplicabile, et ex illorum narratione sapientes et admittunt veritatem facti, et hujus explicationem tradunt. Denique intolerabilis superbia et audacia est a Deo exigere, ut ad sapientium arbitrium miracula patret, eaque iteret; Deus enim nullatenus creaturis subjicitur, et est earum plenissime dominus et nulla in re dependens; quare creaturae Deo prorsus se subjicere debent, utpote quae ab illo omnino dependeant, et adimplere divinam voluntatem cognitam iis mediis, quibus illi eam manifestare placuit. Aliud est in rebus corporalibus, in quibus, quum homines ex Dei concessione dominium habeant, possunt, juxta suum arbitrium, experimenta facere, eaque iterum iterumque repetere.

Nec verum est quod adversarii contendunt, sc. testimonium pro miraculis decursu temporis suam vim amittere, et certitudinem non gignere; nam si hoc de miraculis verum esset, similiter de ceteris factis historicis discurrendum esset, et nulla foret certitudo historica, quod nemo dicet. Et quamvis ea, quae a testibus, qui ipsa opera prodigiosa propriis sensibus perceperunt, narrare audimus, vividius nos afficiunt; nihilominus etiam testes mediatos debitis conditionibus non fallere certo cognoscimus. Atque hoc praesertim habetur, si testes immediati opera portentosa scriptis mandarunt, et quidem sine emolumento temporali, et quum multi facile contradicere possent.

**210.** *Obj.* 4.° Vera miracula ab iis, quae ope spiritismi, magnetismi et hypnotismi efficiuntur, distingui nequeunt. Ergo certo cognosci non possunt.

*Resp. N. Ant.* Imprimis multa de iis narrantur, quae sunt falsa et merae deceptiones. Deinde in iis, quae sint vera, nihil reperitur quod per res corporeas convenienter applicatas et tractatas, aut per

motum localem obtineri non possit, et ideo omnia, quae de spiritismo, magnetismo et hypnotismo narrantur, tribuenda sunt agentibus corporeis convenienter applicatis, aut motis per homines vel per malos angelos. Nunquam ope spiritismi, magnetismi et hypnotismi est suscitatus vere mortuus, membrum penitus amissum redintegratum, morbus sine ullis remediis expulsus, panis repente multiplicatus aliaque id genus. Porro magnetismum et hypnotismum media adhibere ad effectus adipiscendos manifestum est; speciatim hypnotismus utitur somno certi gradus et peculiarium qualitatum. Et hac in re nulla est paritas cum fidei excitatione, quam nonnunquam Christus postulabat ut miraculum patraret; illa enim fidei excitatio non erat vis proportionata ad perficienda miracula, nec Christus imaginationem excitabat eo modo, quo faciunt hypnotistae.

Praeterea effectus spiritismi, magnetismi et hypnotismi a veris miraculis secerni quoque possunt per characteres morales, de quibus n. 204 dictum est; per illos enim certo constat, si quae in illis supra naturae sensibilis vires habeantur, malo angelo esse tribuenda. Item vera miracula, aut ea portenta, quae a bonis angelis fiant, obtineri solent per excitationem fidei et pietatis in Deum, per preces ad illum fusas, per actus humilitatis aliarumque virtutum, et plerumque thaumaturgi sunt viri sanctitate eminentes; nihil vero hujusmodi in exercitio spiritismi, magnetismi et hypnotismi reperiri solet. Denique phaenomena memorata certo loco, certo tempore, determinatis adjunctis et praescripto modo efficiuntur; nihil autem simile in veris miraculis habetur.

*Observa.* Miracula moralia, quae n. 190 definita sunt, possunt quoque nonnunquam certo cognosci; quia ex modo, quo homines communiter agunt, necnon ex iis, quae omnium temporum historiis narrantur, potest certo apparere aliquid non posse tribui hominibus sibi relictis, sed Dei extraordinarium concursum postulare; sic, v. gr. potest certo cognosci tanquam miraculosa celerrima alicujus religionis propagatio.

## ARTICULUS IV

### De miraculorum ad aliquid probandum efficacia

**211.** *Praemitt.*—1.° *De miraculorum fine.* Primarius et ultimus miraculorum finis est gloria Dei; quia Deus, quum sit ens

omnino independens et sibi sufficientissimus, et a quo cetera omnia sub omni ratione dependent, non potest se vel sua in creaturas referre; aliter enim suam infinitam perfectionem aliquo modo creaturis subjiceret. Porro divina gloria miraculis peculiariter ostenditur eo, quod illis patefit Dei potentia, sapientia, beneficentia, perfectissimum in res omnes dominium aliaque attributa. Deinde quoad fines miraculorum secundarios et proximos dicendum est, primo, Deum miracula in bonum praecise naturae irrationalis vel inanimis non efficere: tum quia singulis rebus in earum creatione jam dedit quidquid ab illis exigebatur, tum quia, quum hujusmodi res miracula non cognoscant, non apparet scopus ea patrandi propter illas. Quocirca miracula fiunt pro creatura rationali, quatenus tali, atque in genere ut homines in Deum mentem attollant. Unde dicit *S. August.* Tr. 24, in Joann. n. 1 (M, L, 45, 1593): «Quia enim ille (Deus) non est talis substantia quae videri oculis possit, et miracula ejus quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano; secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum ordinemque naturae, ut non majora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant... Hoc ergo admotum est sensibus, quo erigeretur mens, et exhibitum oculis ubi exerceretur intellectus, ut invisibilem Deum per visibilia opera miraremur, et erecti ad fidem et purgati per fidem, etiam ipsum invisibiliter videre cuperemus, quem de rebus visibilibus invisibilem nosceremus.» Et *S. Th.* 2. 2. q. 178, a. 1, ad 4, ait: «Gratia sanitatum commemoratur seorsum, quia per eam confertur homini aliquod beneficium, sc. corporalis sanitatis, praeter beneficium commune quod exhibetur in omnibus miraculis, ut sc. homines adducantur in Dei notitiam.» Speciatim vero miracula ob fines hic subjiciendos fieri possunt.

*a*) Ad doctrinam aliquam probandam tanquam veram. Sic in *Marc.* XVI, 20, traditur: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.*

*b*) Ad testimonium sanctitatis alicujus praebendum. V. gr. in IV *Reg. I*, 12, dicitur: *Respondens Elias ait: Si homo Dei ego sum, descendat ignis de coelo, et devoret te, et quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de coelo, et devoravit illum, et quinquaginta ejus.* Atque Ecclesia nullum in censum sanctorum inscribit, nisi ejus sanctitas miraculis confirmetur.

*c*) Ad benefaciendum sive animae, sive corpori, sive utrique. Sic in Act. Apost. X, 38 scriptum est: *Jesum a Nazareth: quomodo*

*unxit eum Deus Spiritu Sancto, et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.*

*d*) Denique etiam miracula in delictorum punitionem patrari possunt, atque plura hujusce rei exempla in Sacris Litteris narrantur. V. gr. in Act. Apost. *XIII*, 8, et sq. scribitur: *Resistebat autem illis Elymas magus... Saulus autem, qui et Paulus... dixit: O plene omni dolo, et omni fallacia, fili diaboli, inimici omnis justitiae... Et nunc ecce manus Domini super te, et eris caecus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, et tenebrae, et circuiens quaerebat qui ei manum daret.*

**212.** *Praemitt.*—2.° Efficaciam miraculi ad originem divinam veritatemque alicujus doctrinae probandam negarunt rationalistae et plurimi protestantes, ut tradunt *Ottiger*, Theol. fund., p. 1, s. 1, c. 3, § 25; *Wilmers*. De rel. rev. L. 1, c. 3, a. 5, n. 164. Ex memoratis protestantibus plures aliquam miraculi vim admittunt, sed eam restringunt voluntque, ut sit valde secundaria, et solum pro illis qui fidem jam sunt amplexi. Verum philosophice certum est miracula habere vim rite probandi aliquam doctrinam religionemque ut veram, et theologice hoc ipsum est de fide, ex verbis *Vatic.* adductis n. 191. Huc etiam faciunt verba ejusdem *Vatic.* adducta n. 174.

### Thesis.

**Miracula ad doctrinam aliquam religionemve veram probandam effecta, id certo faciunt.**

**213.** Nota.—Non asseritur absolute miracula semper probare veritatem alicujus veritatis vel religionis, sed conditionate, videlicet si patrantur ad hunc scopum consequendum; Deum enim miracula efficere posse ad suas perfectiones manifestandas aliosve fines, quin aliquam veritatem confirmare intendat, non est negandum; quum, hac in re, nulla ostendatur repugnantia vel incongruentia. Praeterea necesse est nobis certo constare miracula fuisse patrata ad aliquam doctrinam probandam veram; secus namque, licet miracula eam doctrinam, a parte rei, veram ostenderent, nobis de illius veritate non certo constaret. Porro miracula in confirmationem alicujus doctrinae effici certo constare potest sive illis, qui propriis sensibus factum miraculosum percipiunt, sive etiam aliis: illis quidem si audiunt thaumaturgum asserentem expresse vel aequivalenter se efficere miraculum in confirmationem alicujus doctrinae, neque adest fundamentum

prudens aliud suspicandi; aliis vero, si testes cum omnibus requisitis ad fidem faciendam tradunt expresse vel aequivalenter miraculum ad aliquam doctrinam probandam fuisse patratum. Thesis sic declarata est philosophice certa, et theologice de fide, juxta dicta ad finem num. praecedentis.

**214.** *Prob.*—1.° Si Deus miraculum efficeret ad veram probandam aliquam doctrinam, et haec esset falsa, homines, per se, decideret; quia, in his adjunctis, Deus per miraculum aequivalenter diceret esse verum, quod, re ipsa, falsum esset; in hoc autem, per se, manifesta continetur deceptio. Atqui infinitae Dei sapientiae et veracitati repugnat eum, per se, auctorem deceptionis existere. Ergo. Atque hoc non solum probat Deum non posse referre miraculum ad errorem confirmandum, verum etiam nec posse miraculum efficere in iis adjunctis, quibus si fieret, prudenter dubitari non posset, quin illud in erroris confirmationem esset effectum; quia in iis adjunctis miraculum ab omnibus existimaretur tanquam divina confirmatio doctrinae falsae; sicut si rex suum sigillum apponeret alicui scripturae, hanc auctoritate regia probaret, et omnes ita intelligerent, quamvis haberet interius aliam intentionem, nisi haec externe prodiret et pateret.

**215.** 2.° Deum patrare miraculum in confirmationem doctrinae religionisve falsae repugnat sanctitati et bonitati ipsius; etenim haec attributa postulant, ne Deus homines a vero Dei cultu ac fine ultimo avertat, quod tamen manifeste faceret, si miracula in confirmationem falsae religionis perpetraret. Item divinae providentiae repugnat; quia hujus proprium est homines, mediis congruis, ad finem perducere, et contrarium fieret, si miracula in confirmationem erroris patrarentur. Item non congruit Deo ipsum se spoliare medio aptissimo et efficacissimo ad aliquam doctrinam probandam suamque voluntatem confirmandam, ut ex terminis liquet. Atqui hoc faceret, si miracula in comfirmationem erroris efficeret; quia ex una parte miracula sunt media aptissima et efficacissima ad aliquam doctrinam comprobandam divinamque voluntatem confirmandam, quum sint signum vel sigillum, quod a solo Deo apponi potest; ex altera vero eo ipso quod in confirmationem erroris fieri possent, illam aptitudinem et efficaciam amitterent, ut patet. Ergo.

**216.** 3.° Si aliquis miraculum, in confirmationem doctrinae religionisve falsae, efficeret, aut Deus perficeret hoc miraculum in confirmationem talis doctrinae, aut ex alia intentione. Atqui neutrum dici potest. Ergo. *Prob. Min.* Non primum; quia sic Deus vellet propagationem erroris et falsitatis, quod manifeste infinitae Dei perfe-

ctioni adversatur. Verum neque alterum dici potest; primo quidem, quia Deus annueret voluntati illius deceptoris, qui vult miraculum patrari in confirmationem suae doctrinae, quique hoc expresse vel aequivalenter dicit; repugnat autem Deo annuere pravae hominis deceptoris voluntati, eique patrocinari. Ergo. Nec dicas Deum non perpetrare miraculum ut deceptori patrocinium ferat, sed ex alio fine sancto; nam intentio Dei maneret occulta, aut saltem non adeo manifesta sicut scopus deceptoris; quocirca Deus non impediret, quominus opus ipsius solius proprium tenderet ad confirmandum errorem, ratione adjunctorum in quibus perficitur; hoc autem repugnat Deo, qui, ex se et per opera ipsius propria, nonnisi in verum et in bonum ducere potest. Deinde si deceptor expresse vel aequivalenter diceret se facturum esse miraculum in confirmationem suae falsae doctrinae, et revera illud patraretur, eo ipso, miracula aut omnino, aut maxima ex parte suam vim alicujus doctrinae ut verae confirmandae amitterent, possemus enim semper timere, ne miracula ob alium finem distinctum ab illo, qui apparet, fierent. Tertio, denique, quum Deus omnino libere et cum perfecta omnium adjunctorum cognitione miracula perpetret, eo ipso non potest ea perficere in illis adjunctis, in quibus deceptor expresse vel aequivalenter sibi tribuit miraculum in confirmationem erroris, et quum oppositum externe non appareat; in his enim adjunctis merito existimaretur Deum velle propagationem illius doctrinae falsae; quum revera per divinum sigillum illam confirmari appareret.

**217.** Ea quae nn. praeced. continentur, confirmari possunt auctoritate *D. Thom.* 3. p, q. 43, a. 1, dicentis: «Divinitus conceditur homini miracula facere propter duo. Primo quidem et principaliter ad confirmandam veritatem quam aliquis docet: quia enim ea quae sunt fidei, humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari, sed oportet quod probentur per argumentum divinae virtutis: ut dum aliquis facit opera quae solus Deus facere potest, credantur ea quae dicuntur esse a Deo; sicut cum aliquis defert litteras annulo regis signatas, creditur ex voluntate regis processisse quod in illis continetur.» Idem *S. Doctor*, Comm. in 2. *Thessalonic.* c. 2, lect. 2, ad finem, ait: «Nullus, contra fidem, facit vera miracula, quia Deus non est testis falsitatis. Unde aliquis praedicans falsam doctrinam non potest facere miracula, licet aliquis habens malam vitam posset.» Rursus idem *S. Doctor*, Quodlib. 2, q. 4, a. 6 ad 4, dicit: «Sed hoc contingere non potest quod aliquis, falsam doctrinam annuntians, vera miracula faciat quae, nisi virtute divina, fieri non possunt; sic enim Deus esset falsitatis testis, quod est im-

possibile.» Similia etiam habet in 2. 2. q. 178, a. 2. Ad rem praesentem etiam valde faciunt, quae dicit *Card. de Lugo*, De fide, d. 2, s. 2, n. 24, sc.: «Unde cum Deus non solum antecedenter, sed in ipsomet actu sigillandi et operandi miraculum, videat semper falsitatem doctrinae, ad quam confirmandam miraculi sigillum apponitur, non videtur tunc cooperari posse ad malitiam ministri, quin particeps sit deceptionis et falsitatis.» Et inferius n. 29, inquit: «Per opus illud naturale malum, ad quod Deus, ut auctor naturae, concurrit, non censetur Deus loqui, aut testificari aliquod falsum, ut per vera miracula quae, ex communi hominum sensu, a natura ipsa insito censentur specialia signa et sigilla, quibus Deus specialiter voluntatem et mentem suam manifestat.»

Probationes quae adductae sunt, ostendunt non modo Deum sive per se ipsum, sive per suos ministros non posse facere miraculum in confirmationem erroris, sed etiam illud effici non posse in iis adjunctis, in quibus prudenter colligitur miraculum patrari in confirmationem erroris, licet alia intentione fieret; nam eo ipso tale miraculum errori confirmando inserviret, et Deus esset causa per se inducens in errorem et deceptionem, atque contra suas perfectiones agens. Quod autem de veris miraculis dictum est, potest quoque applicari factis insolitis et naturam corpoream superantibus, quae, si non sint a Deo, saltem habeant auctores bonos angelos; etenim ii propter beatitudinis statum ea, quae ad falsitatem confirmandam inducant, facere non possunt, praeterquam quod boni angeli juxta Dei voluntatem semper operantur, atque ideo quod ipsi peragunt, ipsi Deo tribuendum est.

**218.** *Obj.* 1.° *In Deuteron, XIII*, 1, scribitur: *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus et sequamur deos alienos quos ignoras et serviamus eis...* Et in *Matth. XXIV*, 24: *Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae: et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Rursus 2.ª *Thessalon II*, 9: *Cujus est adventus secundum operationem satanae, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus et in omni seductione iniquitatis...* Similia dicuntur in *Apocalyp. XIII*, 13 et 14, et *XVI*, 14. Atqui in his textibus miracula factum iri in confirmationem erroris asseritur. Ergo, juxta ipsam S. Script., miracula in erroris confirmationem effici possunt.

*Resp. C. Maj.* et *N. Min.* et *Cons.;* etenim signa, prodigia et portenta, de quibus in praefatis textibus mentio fit, non possunt esse opera Dei, et ideo nec sunt vera miracula, juxta dicta in a. 2 hujus

capitis. Nam prodigia memorata in errorem et iniquitatem inducunt, Deus autem non potest, per se ipsum et per opera ei attribuenda, homines inerrorem et pravitatem inducere, quum hoc divinis attributis manifeste repugnet. Praeterea illa signa in errorem et iniquitatem inducentia, in *2. Thessal. II,* 9, dicuntur *secundum operationem satanae*, et in *Apocalyp. XVI,* 14, spiritibus daemoniorum tribuuntur; quare, eo ipso, negantur ea esse vere miracula. Denique daemonum prodigia et praestigiae, si ex eorum physica indole a veris miraculis non distinguantur, semper characteribus moralibus cognosci possunt. Vide n.° 204.

**219**. *Obj. 2.°* Deus est omnino independens, ac proinde miracula patrare potest, quum illi placeat. Ergo potest etiam ea patrare illis adjunctis quibus, ex hominum malitia, confirmetur doctrina falsa, praesertim quum plures theologi hoc doceant.

*Resp. D. Ant.:* Deus potest patrare miracula quum illi placeat, quamvis ex hoc sequatur aliquid incongruum divinis perfectionibus, *N.*; si nihil sequatur divinis perfectionibus incongruum, *C. Et N. Cons.*, saltem nisi accipiatur de iis adjunctis, quibus prudenter alius miraculi finis conjiciatur; aliter enim Deus homines per miraculum in errorem et pravitatem induceret, vim probandi a miraculis auferret, ac contra suas perfectiones ageret.

Quoad illud quod de theologis additur, imprimis nullus est theologus qui affirmet Deum posse efficere miraculum intendendo confirmationem erroris; hoc enim infinitae Dei veracitati et sanctitati manifeste adversatur. Deinde nonnulli quidem theologi cum *Durando*, Prolog. sent. q. 1, n.° 47 videntur existimasse repugnantiam non involvere Deum facere miraculum iis adjunctis, quibus homo aliquis illo ad falsam doctrinam comprobandam abutatur, atque huic sententiae multum favent *Salmanticenses,* De fide, d. 2, dub. 3. n.° 68. Verum haec opinio prorsus rejicienda est; nam si Deus, quamvis ex recta intentione, patraret miraculum, quum exterius finis illius videtur esse falsae doctrinae approbatio, revera hanc doctrinam per miraculum confirmaret, quod certe Deo repugnat. Praeterea ex theologis, qui pro hac opinione allegantur, aliqui, ut *Ripalda*, De fide, d. 4, s. 5, non sunt nobis contrarii, quia non loquuntur de praesenti rerum ordine et actuali providentia, de quibus hic loquimur, sed de eo quod in alio rerum ordine aliaque providentia evenire posset. Item aliqui proferuntur pro sententia opposita, qui nobis favent, ut *Valentia*, in 2. 2. q. 1. d. 1, punct, 4; *Cajetanus*, in 2. 2. q. 178, a. 2.

Postremo communis vel fere communis theologorum sententia cum *D. Th.* ll. cc. n.° 217; *Scoto*, Prolog. in ll. sent. q. 2. n. 10;

*Toleto*, In Joann. c. 3, annot. 2; *Suarez*, De myst. vit, Christi, d. 31, s. 2, n. 8; *Bellarmino*, De Ecclesia, l. 4, c. 14; *Lugo*, De fide, d. 2, s. 1, n, 22; *Gotti*, De fide, q. 1, disp. 6, § 6, docet Deum non posse facere miraculum iis adjunctis, quibus prudenter conjicitur, ut finis miraculi, falsae doctrinae confirmatio, ac proinde non posse concurrere cum aliqua creatura ad miraculum talibus circumstantiis efficiendum. Atque haec sententia omnino tenenda est, prout ex argumentis ad probandam thesim allatis eruitur.

**220.** *Obj. 3.°* Multa miracula in confirmationem falsae doctrinae ethnicorum effecta narrantur. Ergo miracula in falsae doctrinae confirmationem effici possunt.

*Resp. D. Ant.*: miracula in confirmationem falsae doctrinae ethnicorum effecta narrantur, quae probentur vera miracula. *N.;* quae non sint hujusmodi, *C.* et *N. Cons.* Neque unum verum miraculum probari potest patratum in falsae doctrinae confirmationem: ea omnia, quae in favorem gentilitatis narrantur, aut testimoniis fide dignis non nituntur, aut daemonis prodigia vel praestigiae apparent, aut si aliquod adsit verum miraculum, non est patratum in confirmationem doctrinae paganorum, sed rei honestae et laudabilis. Sic *S. Thom.* Quaest. 6 de pot. a. 5, ad 5, admittit tanquam possibile virginem vestalem, vase perforato, aquam ex Tiberi hausisse, per miraculum in approbationem castitatis factum. Atque ad majorem hujusce rei manifestationem nonnulla speciatim exponere juvat.

**221.** Plura miracula et vaticinia *Appollonio Tyanaeo* tribuuntur; verum ea a *Philostrato,* post saeculum integrum et amplius ab illius morte, scripta sunt, nec probabilibus documentis firmantur. *Eusebius Caesariensis*, Lib. contra Hieroclem (M, G, 22, 795), ostendit portenta et vaticinia *Appollonii* esse ficta et mendacia, aut si vera permittantur, daemoni esse tribuenda, ejusque doctrinam, inter alia, continere omnia necessario evenire, neque actiones humanas esse liberas. *Lactantius*, Div. instit. l. 5, c, 3, (M, L, 6, 559), de illo dicit: «Non potuit ergo post mortem Deus credi, quia et hominem et magum fuisse constabat; et ideo alieni nominis titulo affectavit divinitatem, quia suo nec poterat, nec audebat.» Et *S. Joannes Chrysost.* Advers. jud., orat. 5, n. 3. (M, G, 43, 886) inquit: «Quam multa fertur Apollonius ille Tyanaeus fecisse? Verum uti scires, illa omnia esse conficta, vana, nihil habentia veri, extincta sunt et finem acceperunt.» Sunt denique, ut *P. Mir,* El Milagro, l. 3, c. 5, qui existiment Apollonium nunquam extitisse, omnia ad eum pertinentia esse fabulam a Philostrato effictam.

*Tacitus*, Hist. l. 4, c. 81, et *Suetonius*, Vita Vespasiani, n. 7. re-

ferunt quidem Vespasianum sanasse caecum, manu aegrum vel claudum; verum ipse *Tacitus* fatetur illos morbos non fuisse medicorum judicio insanabiles. Praeterea neuter historicus ea facta refert ut testis oculatus, sed ex populi rumoribus; et *Tacitus* affirmat sanatum fuisse unum oculis laborantem, alterum manu; *Suetonius* vero unum caecum, alterum claudum. Etiam *Aelius Spartianus* narrat Hadrianum imperatorem caecos curasse; at, ex ipsa narratione, rem non esse compertam eruitur.

Ea quae leguntur 1. *Reg. XXVIII,* 12, de apparitione animae Samuelis, nullatenus ostendunt arte mulieris pythonissae apparere animas, et vera miracula fieri, talemque artem miraculis confirmari: nam si apparitio fuit vera, non est facta arte magica, sed virtute Dei volentis punire Saulem, eique, per Samuelem, completam cladem denuntiare. Atque revera videtur probabilius ipsam Samuelis animam virtute Dei apparuisse; quia hoc et magis sensui obvio textus congruit, et subitus pythonissae timor melius explicatur; et *Ecclesiast. XLVI,* 23 est conformius, et denique certa proximi exitii Saulis predictio et ejus eventus requirere videntur. Neque ex hac sententia sequitur Deum arte magica illius pythonissae esse usum ad miraculum patrandum; nam antequam mulier illa uteretur suis incantationibus, jam videtur Samuel apparuisse, ut satis indicat mulieris terror. Praeterea, quamvis pythonissa suam artem jam adhibuisset, Deus non usus est illius ministerio ad miraculum faciendum, sed ex sola sua voluntate in Saulis punitionem illud patravit. Neque illo miraculo ars magica confirmatur, quia ex adjunctis colligitur illud effectum esse in Saulis punitionem. Verumtamen multi PP. et plures interpretes oppositam sententiam consectantur, nempe illud non fuisse veram animae Samuelis apparitionem verumque miraculum, sed daemonis praestigias. Vide *S. Thom.* 1. p, q. 89, a. 8, ad 2; 2. 2. q. 95, a. 4, ad 2; q. 174, a. 5, ad 4; *P. Suarez*, De relig. tr. 3, l. 2, c. 16, n. 15; *Hummelauer*, Comment. in illum locum.

Miracula paganorum per se esse falsa, aut tribuenda esse daemoni confirmatur eo, quod plures graves auctores ut *M. Minutius Felix*, in Octav, c. 27; *S. August.* De civ. Dei. l. 10, c. 16, aliique tradunt daemones nonnulla mirabilia pluresque praestigias fecisse, ut tanquam dii colerentur, hominesque deciperentur. Sic *Minutius Felix*, loco laudato (M, L, 3, 336) inter alia dicit: «Isti igitur impuri spiritus, daemones, ut ostensum est a magis, a Philosophis et a Platone, sub statuis et imaginibus consecrati delitescunt, et afflatu suo auctoritatem, quasi praesentis numinis, consequuntur, dum inspirantur interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquam exto-

rum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta.»

**222.** Denique ea quae de paganorum miraculis et vaticiniis dicta sunt, similiter haereticorum miraculis et vaticiniis applicari possunt, siquidem ea, aut sunt falsa et mendacia, aut a daemonibus effecta, aut si aliquod verum miraculum apud haereticos evenerit, certe illud non in confirmationem haereseos, sed virtutis, vel dogmatis veri, vel alterius rei sanctae fuit patratum. Speciatim quae a *Socrate,* Hist. eccles. l. 7, c. 17 (M, G, 67, 774), et eodem libro, c. 39, c. 827, de Paulo Novatianorum Episcopo narrantur, tanquam suspecta propter hujus auctoris in Novatianos propensionem habenda sunt, aut si vera fuissent, alterum in confirmationem sanctitatis baptismi, alterum loci, perpetrata essent. Non minus suspecta sunt miracula, quae ab eodem auctore, Hist. eccles. L. 1, c. 13, c. 106, de Eutychiano monacho ex Novatianorum secta referuntur, nam ipse fatetur se ea ex Auxano quodam Novatianorum presbytero accepisse. Item non modo suspecta, verum etiam omnino falsa sunt miracula a jansenistis diacono *Paris* attributa. Vide *Rohrbacher,* Hist, de l'Eglis. l. 89, §. 4. Postremo de haereticorum miraculis juvat afferre *Tertulliani* verba ita dicentis, De praesc. c. 30 (M, L, 2, 51): «Volo igitur et virtutes eorum proferri; nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in perversum aemulantur; illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt.»

**223.** *Obj. 4.°* Donum miracula patrandi a Deo concedi etiam peccatoribus potest. Atqui isti illo dono in confirmationem erroris abuti possunt. Ergo.

*Resp. C. Maj.* cum *D. Th.* 2. 2. q. 178, a. 2; sed *N. Min.* et *Cons.* Etenim Deus, propter rationes in probatione theseos allatas, no potest annuere thaumaturgo, ut miraculum in confirmationem erroris efficiat; quod quidem omnino admittendum est in iis adjunctis, in quibus non alius finis miraculi prudenter conjicitur. Aliud vero dicendum esset, si alius manifestaretur finis miraculi, qui non esset erroris confirmatio, ut, v. gr. si constaret Deum decrevisse concurrere cum aliquo ad ejus nutum ad infirmitates sanandas; nam, in hac hypothesi, scopus illius concursus colligeretur esse non praecise doctrinae confirmatio, sed benefacere hominibus per aegritudinum curationem; quocirca si ille ea potestate in confirmationem doctrinae uteretur, non statim esset illi credendum, sed oporteret criteria moralia adhibere ad dignoscendum, utrum ea doctrina esset a Deo, necne. Vide sis *Suarez*, De myst. vitae Christi, d. 31, s. 2, n. 8 versus finem et *Car.* de *Lugo*, De fide, d. 2, n. 25.

Nec prodest dicere Deum in pravos hominum actus concurrere, atque ideo posse etiam annuere pravae hominis intentioni miraculi in erroris confirmationem patrandi; non, inquam, hoc prodest dicere, quia actus pravi hominibus imputantur, et Deus ad illos mere permissive et non impediendo concurrit; contra miracula sunt opera propria solius Dei, saltem ut causae principalis, et ipsi, ut principali auctori, imputantur, et ideo si per illa error confirmaretur, hoc Deo esset tribuendum. Nec iterum prodest dicere, Deum se habere tanquam regem tradentem suum sigillum ministro, qui illo extra regis praesentiam abuteretur; maxima enim adest disparitas, nam rex, in facta hypothesi, non uteretur suo sigillo, sed ejus minister; contra Deus semper est causa principalis physica in miraculorum patratione, seu in appositione sigilli, quod vocatur miraculum.

Itidem non adest paritas inter sacerdotem abutentem potestate conficiendi corpus et sanguinem Christi, et thaumaturgum facientem miraculum in erroris confirmationem; nam, in priori casu, Deus se obligavit concursui praestando per sacramenti institutionem, et ideo concurrit ut veritas sacramenti servetur; quare pravae sacerdotis intentioni nullatenus annuit; in altero vero casu Deus non est obligatus miraculo efficiendo, immo si illud patraret, evaderet deceptor et falsitatem suadens.

**224.** *Obj. 5.°* In veritate confirmanda per miracula demonstratur idem per idem, et committitur circulus; nam supernaturale per supernaturale demonstratur, i. e. doctrina supernaturalis per miraculum supernaturale; et committitur circulus, quia veritas doctrinae per miracula, et haec per doctrinae veritatem patefiunt. Sed is probandi modus est vitiosus et nullus. Ergo.

*Resp. N. Maj.* et ad ejus *Prob.* nego etiam probari idem per idem, aut circulum committi. Etenim primo miracula sunt prorsus distincta a doctrina, ideo non idem per idem manifestatur. Deinde nec patefit ignotum per aliud aeque ignotum; nam miracula, quae ad doctrinam confirmandam adhibentur, sunt res sensibiles et faciles cognitu, et idcirco sunt aliquid in se naturale, et solum supernaturale ratione modi, quo fit; contra doctrina, quae miraculis confirmatur potest esse omnino impervia intellectui humano ac supernaturalis in se et quoad substantiam. Postremo non committitur circulus, quia doctrina revelata miraculis probatur, sed non viceversa. Si vero contingit miracula non esse prorsus indubia, tum quidem potest adhiberi criterium doctrinae ad illa discernenda, sed non doctrinae revelatae et rationem superantis, sed cognitae per solam rationem naturalem et independenter a miraculis. Similiter si jam de veritate doctrinae

certo constat, tunc haec ad miracula vera a falsis discernenda usurpari potest.'

**225.** *Obj. 6.° S. August.* Lib. de unit. Eccles. c. 19, n. 50 (M, L, 43, 430) de miraculis haec dicit: «Quaecumque talia in Catholica fiunt; ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt; non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia haec in ea fiunt.» Et de ipso resurrectionis miraculo sic, eodem loco, prosequitur: «Ipse Domius Jesus cum resurrexisset a mortuis, et discipulorum oculis videndum, manibusque tangendum corpus suum offerret; ne quid tamen fallaciae se pati arbitrarentur, magis eos testimoniis Legis et Prophetarum et Psalmorum confirmandos esse judicavit, ostendens ea de se impleta, quae fuerant tanto ante praedicta.» Atqui ex his erui viedetur miracula, juxta *S. August.,* non habere vim doctrinae alicujus confirmandae. Ergo non est res certa miraculis doctrinam aliquam confirmari.

*Resp. C. Maj.* et *N. Min.* et *Cons.* Etenim falsum est S. August. in miraculis vim probandi non agnoscere, nam oppositum liquet ex pluribus *S. Doctoris* locis: sic De civ. Dei, l. 22, c. 9 (M, L, 41, 771) ait: «Cui, nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua praedicatur Christus resurrexisse in carne, et in coelum ascendisse cum carne?» Et De peccat. merit. et remiss. l. 2, c. 32 (M, L, 44, 182): «Quamvis itaque multa Dominus visibilia miracula fecerit, unde ipsa fides, velut quibusdam primordiis lactescentibus germinaret, et in suum robur ex illa teneritudine coalesceret (tanto est enim fortior, quanto magis jam ista non quaerit)...» Et Contra Epist. fundam. c. 4 (M, L, 42, 175): «Multa sunt alia quae in ejus (Ecclesiae catholicae) gremio me potissime teneant... Tenet auctoritas miraculis inchoata..» Hoc ipsum supponit Tr. 91, in Joann. (M, L, 35, 1860). Atque plura alia ex eodem *S. Doctore,* in eamdem sententiam, afferri possent. Quocirca ea, quae in objectione adducuntur, nullo modo significare possunt, juxta mentem Augustini, in miraculis nullam adesse vim probandi. Verum nec significant miracula carere ea vi in illa cum donatistis controversia, de qua agit ibi *S. Doctor*; nam in eodem loco, n. 47 vocat miracula donatistarum *signa et prodigia fallacia*, et n. 49 *figmenta mendacium hominum vel portenta fallacium spirituum*; quare, juxta Augustinum, miracula, quae a donatistis praetendebantur, erant falsa, et ideo ex veris Ecclesiae catholicae miraculis in favorem hujus, contra donatistas, decidi poterat controversia. Quod quidem confirmatur, quia *S. Doctor*, Tr. 13, in Joann. n. 17, (M, L, 35, 1501) miracula donatistarum speciatim et haereticorum generatim irridet. Quare testimonia S. Doctoris objecta sunt interpretanda, non quatenus illa controversia ex miraculis decidi

non posset, sed quatenus aderat via facilior et expeditior ad illam solvendam, videlicet ostendendo ex S. Script., quas donatistae admittebant, Ecclesiam donatistarum non insigniri illis characteribus, quibus vera Christi Ecclesia insignitur; atque hanc esse S. Augustini mentem ex contextu et ex toto libro elucet.

Similiter solvenda sunt nonnulla alia, quae ex PP. objici possent, nimirum dicendum est eos PP. aut falsa miracula repudiare, aut vera solum secundum quid, quia scilicet sit medium expeditius in aliqua hypothesi, aut etiam quia debeant conjungi cum prophetiis non ex defectu virtutis, sed quia ea res sit etiam prophetiis certis et ut talibus agnitis designata.

**226.** *Observa.*—Miracula moralia, quae definita sunt n. 190, et de quibus etiam actum est n. 210, sunt quoque argumentum efficax veritatis alicujus doctrinae religionisve. Ratio est, quia miracula haec moralia includunt auxilium Dei extraordinarium consistens in illustratione intellectus et motione voluntatis, quibus homines ad aliquam doctrinam amplectendam vel ad aliquid heroicum, sive faciendum, sive sustinendum incitantur; Deus autem infinite rectus, sapiens et verax nullatenus ad falsam doctrinam amplectendam incitare vel inducere potest; et ideo nequit non esse vera doctrina, ad quam amplectendam Deus auxilia extraordinaria largitur. Attamen quia haec Dei auxilia sunt in se ipsis insensibilia, miracula haec moralia per se sunt minus efficacia ad veritatem alicujus religionis patefaciendam, quam miracula physica, non quidem ex defectu efficaciae in se ipsis, sed quod non tam facile de miraculis moralibus, sicut de physicis, certo constare potest. Videsis *Wilmers*, De rel. rev. L. 1, c. 3, a. 5, § 2, n. 73; *Ottiger*, Theol. fundam. p. 1, s. 1, c. 2, § 26, schol. 3.

## ARTICULUS V

### De prophetia in genere

**227.** *Prophetia* a verbo graeco πρόφημι, praedico vel vice alterius loquor, juxta etymon idem est ac praedictio vel pro altero locutio; sed juxta realem significationem multiplices habet acceptiones, alias latas et impropias, strictas et proprias alias. Sensu lato sumitur: 1.° pro rerum divinarum cantu, ut I *Paralip. XXV*, 1, ubi dicitur: *Qui prophetarent in citharis, et psalteriis, et cymbalis.* 2.° pro

exhortatione sive locutione rerum divinarum: sic I *Cor. XIV*, 3, dicitur: *Nam qui prophetat hominibus loquitur ad aedificationem, et exhortationem, et consolationem.* 3.° pro miraculis patratis in confirmationem alicujus prophetiae vel sanctitatis prophetae, ut in *Ecclesiast. XLVIII*, 14, quum dicitur de corpore Elisei mortuo: *Et mortuum prophetavit corpus ejus.* 4.° videtur etiam aliquando sumi pro S. Scripturarum interpretatione, saltem quatenus hoc munus etiam contineatur sub verbo *prophetare.* 5.° pro qualibet locutione vel scriptione divinitus inspirata: sic II *Petri. I,* 19, scribitur: *Habemus firmiorem propheticum sermonem.*

Deinde stricte et proprie sumitur prophetia: 1.° pro cognitione habita ex divina revelatione de rebus occultis simul cum ipsius manifestatione aliis facta. Atque hoc modo potest versari circa praeterita, praesentia et futura, dummodo haec sint vere abscondita et ex divina revelatione cognoscantur. 2.° pro cognitione futurorum contingentium, ejusque manifestatione aliis communicata. Atque haec postrema prophetiae acceptio est strictissima et propriissima, ut communiter traditur. In duabus ultimis prophetiae significationibus consentiunt communiter theologi, ut *D. Th.* 2. 2. q. 171, a. 1, et a. 3; *Suarez*, Proleg. de grat. 3, c. 5, n. 21 et seq. necnon De fide, d. 8, s. 3; *Tanner*, De fide, d. 1, q. 7, dub. 6, n. 142 et seq.; *Sylvius*, in 2. 2. q. 171; *Salmanticens,* De virtut. arbor praedic. n. 169 et seq.; *Benedictus XIV*, De serv. Dei beatif et canoniz. L. 3, c. 45, aliique.

**228.** *Definitio prophetiae strictissime sumptae.* Quoniam in praesenti de prophetia agitur quatenus verae revelationis religionisve dignoscendae criterium est, et sub hac ratione fere unice adhibetur prophetia strictissime sumpta, ideo huic acceptioni illius definitionem explicationemque circumscribo. Prophetia, sic sumpta, definiri potest: *certa et determinata praedictio futuri contingentis facta ab eo, qui illam ut aliis communicandam per divinam revelationem accepit.* Declaranda sunt haec verba.

*a) Praedictio:* hoc vocabulo indicatur duplex elementum prorsus necessarium ad prophetiam, quatenus est revelationis criterium, sc. cognitio futuri contingentis et ejusdem cognitionis praenuntiatio seu externa manifestatio; non enim potest aliquis modo rationali aliquid praedicere, si illud ignorat; immo cognitio est elementum primarium prophetiae; quia externa manifestatio cognitionem consequitur, estque illius effectus. Ponitur autem *praedictio*, non mere *dictio*, quia est cognitio et externa manifestatio rei, antequam sit.

*b) Certa et determinata.* Debet esse *certa*: tum quia aliter non

esset criterium securum divinae revelationis, tum quia modo conjecturali et probabili daemones et etiam homines nonnulla futura contingentia praesagire possunt. Debet esse *determinata*; quia si est vaga et cuilibet eventui applicari potest, eo ipso non constat de prophetia, quum locutio hujusmodi humana industria componi possit. Quare praedictio prophetica debet esse talis, ut ab aliis eventibus certo discriminari possit.

*c) Futuri contingentis,* id est, decretorum Dei respectu eventus futuri, qui ex causis creatis cognosci non potest, necnon actionum hominis liberarum, quae in tempore futuro erunt; haec enim sunt propria futura contingentia, quia neque in causis creatis, neque in se ipsis habent actu aliquam determinationem, ex qua viribus creatis cognosci possint. Unde haec etiam propriissime ad prophetiam spectant, quod per se et universaliter sunt a qualibet cognitione hominis vel angeli naturali et certa maxime remota, quia non minus actuali entitate, quam cujuscumque generis connexione cum rebus creatis existentibus vel praeteritis carent.

*d) Futuri contingentis:* haec verba indicant quoque causam prophetiae strictissime talis non posse esse nisi Deum; nam solus Deus futura contingentia modo certo et determinato cognoscere potest. Utrum vero sit de ratione cujuslibet prophetiae proprie talis habere Deum ut auctorem principalem, videtur omnino affirmandum esse cum *D. Thoma*, 2. 2. q. 172, a. 5 et fere communi aliorum sententia; sunt enim pro hac sententia similes rationes illis, quae ad demonstrandum id ipsum de miraculis, a. 2, hujus capitis, allatae sunt. Quare angelis et daemonibus, viribus suis, solum videtur tribuenda potestas conficiendi prophetias improprie et secundum quid. Sunt tamen pauci aliqui ut *Ottiger*, Theol. fundam. p. 1, s. 1, c. 3, § 22, qui admittunt angelos bonos, suis viribus, posse facere prophetias proprie tales, sed respectivas tantum.

*e) Facta ab eo, qui illam ut aliis communicandam per divinam revelationem accepit*; etenim non solet vocari propheta, nec dicitur prophetiam facere quicumque rem contingentem futuram annuntiat, sed ille dumtaxat, qui a Deo immediate vel per ipsius angelos tanquam ministros praedictionem accepit.

Nonnulli prophetiam et generatim manifestationem rei occultae ut miraculum morale habent. Verum in prophetia triplex elementum considerari potest, scilicet, scientia rei praedictae, ipsa res predicta et hujus praedictio seu manifestatio. Iam vero scientia rei praedictae nullum est miraculum, quia connaturale est Deo habere scientiam omnium rerum; neque prophetia requirit ut res praedicta

sit miraculum; quia quaelibet actio libera futura, licet sit omnino naturalis, potest esse objectum prophetiae strictissime talis, ut bellum futurum post plura saecula cum variis ejūsdem circumstantiis. Accedit quod manifestatio miraculi non debet esse miraculum, et ideo, licet predicta res foret miraculum, non sequitur ejusdem manifestationem fore etiam miraculum. Denique nec praedictio seu manifestatio rei futurae liberae debet esse miraculum, quia potest fieri per signa sive externa sive interna, quae non superent vires humanas ratione signorum, sed tantum ratione rei significatae, sive ratione scientiae, quae supponitur. Quare prophetia, etiam strictissime talis, non videtur vocanda miraculum; quia hoc est sigillum Dei, quatenus opus physice vel moraliter superans vires naturae; prophetia vero est sigillum Dei non ratione operis seu signi, quod fit in manifestione rei futurae, sed ratione scientiae, quae supponitur.

**229.** *Lumen propheticum.*—Juxta *S. Th.* 2. 2. q. 173, a. 2, et quaest. 12 de verit. a. 7, Deus menti prophetae infundit quoddam lumen supernaturale, vi cujus, non modo potest cognosci res revelata, verum etiam evidenter ea a Deo revelari. Hoc lumen non est ipsa cognitio prophetica, sed principium cognitionis; neque est principium permanens, sed qualitas transiens, ut idem *S. Doctor*, eodem loco, q. 171, a. 2, et a. 1, q. 12 de verit., docet. Attamen, post actum prophetiae, manet certe aliquid in mente prophetae; aliter enim hic non posset iterum cogitare de iis, quae per propheticam revelationem cognovit; verum si in primo actu adfuit evidentia, haec postea per se non aderit; sed recordatio aliqua illius. Admittit idem *S. Doctor,* eadem memorata q. 173, a. 2, Deum nonnumquam infundere quoque prophetae species seu similitudines rerum revelandarum. *P. Suarez*, De fide, d. 8, s. 6, n. 4, concedit lumen propheticum, quum prophetia est evidens, secus quum est obscura; nam juxta ipsum, eodem loco ss. 4 et 5, est quidem de ratione prophetiae perfectae, ut gignat certitudinem perfectam tum revelationis ut divinae, tum rei revelatae, non autem evidentiam ipsius revelationis ut divinae, sed tantum evidentem credibilitatem; et quum prophetia est obscura ab ipso fidei habitu, juxta eumdem *P. Suarez,* elici potest. Quidquid de hac re sit, saltem omnino tenendum est: primum, quum Deus sit infinite potens, non deesse illi media, quibus futura contingentia ceterasque res occultas hominibus manifestare possit, juxta dicta, c. 1, aa. 2 et 3; secundum, prophetae accipienti propheticam revelationen saltem certo constare debet de revelatione ut divina et de re revelata, ut prophetiam cum certitudine aliis communicare possit.

**230.** *Prophetiae subjectum et causa efficiens.* — Ut tradunt

*S, Th.*, 2. 2. q. 172, a. 4; *Suarez*, De fide, d. 8, s. 7, n. 2 et theologi communiter, possunt esse subjectum prophetiae homines viatores, sive justi sive peccatores. *S. Thom.* 2. 2. q. 174, a. 5, negat beatos posse esse subjectum prophetiae seu prophetas; tamen ipse *S. Doctor*, eodem loco ad 3 et 3 p. q. 7, a. 8, admittit Christum fuisse prophetam; quare, hac in re, multum videtur esse de modo loquendi. Videsis *Suarez*, loco ultimo laudato. Deinde de causa efficienti prophetiae principali jam dictum est n. 228 sub *d*); causa vero instrumentalis sunt frequenter angeli, qui non immediate illuminant intellectum, sed juvant ad prophetiae intellectionem per phantasiae motionem. Vide *S. Th.* 2. 2. q. 172, a. 2, *Sylvium* in hunc locum; *Suarez*, De angelis, l. 6, c. 16.

**231.** *Prophetiae divisio.* — Prophetia dividi potest et ratione luminis, et ratione objecti, et ratione medii, et denique ratione modi, ut tradunt *Salmant.*, De virtut. arbor praedic. n. 173; *Bened. XIV*, De serv. Dei beat. et canoniz, l. 3, c. 45, aliique. *a*) Ratione luminis in *perfectam* et *imperfectam* dividitur. *Perfecta* dicitur, quum certo cognoscitur et res revelata et revelatio et Deum esse qui revelat; *imperfecta* vero, quum praecipitur quidem aliqua veritas, sed non potest certo judicari utrum ejus manifestatio originem ducat a Deo, an a spiritu creato bono aut malo, ac proinde nec de ipsa veritate. Illa prior est, quae unice vocatur absolute et simpliciter *prophetia*; posterior vero dicitur *instinctus propheticus*, qui in falsum ducere potest, quum a Deo vel bono angelo non oritur.

*b*) Ratione objecti dividitur in prophetiam *comminationis, praescientiae* et *praedestinationis*. Dicitur prophetia *comminationis*, si Deus revelat futurum contingens ut dependens ab ordine causarum et a decretis Dei conditionatis: unde talis prophetia non facit certum rem esse futuram, quamvis propheta absolute loqui videatur. Prophetia *praescientiae* est, quae praenuntiat futura contingentia homini libera, sed prout, ab aeterno, sunt a Deo praevisa; denique *praedestinationis* est praenuntiatio eorum, quae Deus in aliqua temporis differentia facere absolute decrevit.

*c*) Ratione medii in *corporalem*, *imaginariam* et *intellectualem*. Est *corporalis*, si fit per signa sensibus externis perceptibilia; *imaginaria*, si signa repraesentantur in imaginatione, et non percipiuntur sensibus externis; *intellectualis* denique, si Deus veritatem in intellectu immediate et independenter a sensibus repraesentat. Vide dicta d. 1, c. 1, a. 1, n. 63. Haec postrema est supremus prophetiae gradus, quia modo altiori res prophetica percipitur. Vide *S. Th.* q. 173, a. 2. Prophetia corporalis et imaginaria veram prophe-

tiae rationem non participarent, si intellectus non illuminaretur ad intelligenda signa sensibilia et eorum originem a Deo; aliter enim res praedicta non modo certo cognosceretur.

*d*) Denique ratione modi in eam, quae fit cum abstractione a sensibus, et vocatur *raptus*, et in eam, quae sine tali abstractione habetur, et retinet nomen *prophetia*. Sunt quoque aliae minoris momenti divisiones, quae indicantur a *S. Th.* 2. 2. q. 173, a. 3, et a *P. Suarez*, De fide, d. 8, s. 8.

### Thesis I.

**Possibilis est prophetia strictissime talis.**

**232.** Nota.—Ponitur in thesi possibilitas dumtaxat prophetiae strictissime talis; tum quia haec est praecipua, et ad praesentem scopum fere unice faciens, tum quia si haec possibilis est, nemo quodcumque aliud prophetiae genus inficiabitur possibile. Possibilitatem vaticiniorum negavit *Cicero*, De divin. l. 2, c. 7, eo quod praescientiam futurorum contingentium cum libero hominis arbitrio componi non posse existimaret: eamdemque sententiam amplexati sunt moderni rationalistae; unde prophetias S. Scripturae aequiparant prophetiis ethnicorum, et utrasque aequaliter tribuunt aut humanae praesensioni, aut concursui fortuito, aut eas esse vagas et generales, aut de factis prophetae coaevis, aut confictas autumant. Quam falsa sint haec, ex prophetiis Veteris et Novi Testamenti inferius exponendis elucebit, quum solus Deus possit praevidere et praedicare modo certo et determinato futura contingentia. Proposita thesis, philosophice, certa est, et theologice de fide, quum plura vaticinia in Sacris Litteris contineri manifestum sit.

**233.** *Prob.* Deus, ab aeterno, futura contingentia praevidet et suam praescientiam hominibus revelare potest. Ergo est possibilis prophetia strictissime talis; haec enim possibilitas in hoc consistit, quod futura contingentia praenuntiari possint; id autem fieri potest, quum Deus ea cognoscat, et suam cognitionem hominibus communicare possit. Antecedens vero probatur per partes.

*a*) Deus futura contingentia cognoscit; scientia enim Dei est infinite perfecta, quia hoc absoluta Dei infinitas postulat; scientia autem Dei non esset infinite perfecta, si non se porrigeret ad omnia sive praesentia, sive praeterita, sive futura, sive mere possibilia attingenda; nam aliter limitaretur, et non attingeret omne cognoscibile, seu quidquid aut jam est actu, aut erit in aliqua temporis diffe-

rentia, aut est in potentia. Neque hujusmodi cognitio liberum hominis arbitrium tollit, quia praescientia Dei id praevidet quod futurum est, et eo modo quo est futurum, et ideo non mutat rerum naturam, nec facit necessarium quod est liberum. Etenim sicut ad infinitam Dei perfectionem pertinet, jam ab aeterno praescire omnia futura, ita ad eam spectat ea praescire eo modo, quo sunt futura et immutatis eorum naturis. Unde *S. August.* De civ. Dei, l. 5, c. 10, n. 2 (M, L, 41, 153) inquit: «Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse praescivit: immo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cujus praescientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse praescivit. Qui si nolit, utique non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille praescivit.» Et *S. Hieronymus*, Comm. in Ezechiel, lib. 1, c. 2, v. 5 (M, L, 25, 33): «Non enim quia ille (Deus) ventura cognoscit, necesse est nos facere quod ille praescivit: sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum quasi Deus.»

*b*) Deus suam praescientiam hominibus revelare potest; hoc enim ex dictis d. 1, c. 1, aa. 2 et 3 liquet, et sufficienter constat ex hoc, quod Deus est infinite sapiens et potens, et intellectus humanus quodlibet verum percipere valet.

Confirmatur eo quod, apud omnes fere gentes, admissa sunt oracula, vaticinia, auguria resque similes; haec autem fere communis populorum persuasio ex humanis passionibus et praejudiciis derivari non satis explicatur: quare ex rei veritate ortum habuisse videtur, seu ex eo, quod revera Deus futura contingentia hominibus praedicere potest.

### Thesis II.

### Prophetia certo cognosci potest.

**234.** Nota.—Sensus theseos non est omnem prophetiam posse certo cognosci; sed prophetiam posse saepe cum certitudine cognosci. Deinde, quamvis ante prophetiae completionem jam de ipsius divina origine constare possit, tamen in praesenti agitur de prophetia post ejus expletionem; ejus enim vis tanquam criterium verae revelationis potissimum habetur post ipsius adimpletionem. Atque potissimum agitur de prophetia, cujus objectum est futurum contingens. Thesis, sic explicata, est philosophice certa et theologice de fide, quum apertum sit in Sacris Litteris plures contineri veras prophetias.

**235.** *Prob.*—1.° Ut de prophetia certo constet, sufficit ut compertum sit praedictionem certam de futuro contingente factam esse, eamque esse eventu completam. Atqui de his certo constare potest. Ergo. Major est clara, quia praedictio certa de futuro contingente a solo Deo fieri potest; nam creatura non potest ea futura in se ipsis cognoscere, quum, actu, in se ipsis sint nihil, et creatura ad tempus futurum non transcendat, sicut facit aeternitas; neque potest ea cognoscere in Deo, quia eum non videt, neque in causis creatis, quia hae non sunt necessario connexae cum futuro contingente, neque in alio medio connexo, quia nullum ejusmodi assignari potest: quare nullo modo cum certitudine futurum contingens a creatura cognosci potest. Unde si praedictio certa de futuro contingente impletur, certum omnino erit illam praedictionem a Deo originem duxisse, et ideo esse veram prophetiam. Quocirca sola minor probanda restat.

*Prob. Min.* per partes. *a*) Potest certo constare factam esse praedictionem certam de futuro contingente. Etenim, imprimis, praedictio est quaedam externa annuntiatio, quae a testibus fide dignis immediate et certo percipi potest, atque ab iis communicare aliis etiam cum certitudine. Quod si praedictio scripto mandata est, scriptum esse authenticum, et habere quidquid ad fidem faciendam requiratur, compertum esse potest. Deinde ex modo quo fit praedictio, et ex circumstantiis potest etiam indubitanter apparere eam esse factam ut indubiam et omnino certam. Quare indubie potest constare de praedictione, ut certa, de futuro contingenti.

*b*) Potest etiam certo constare praedictionem fuisse adimpletam. Nam possunt aliqui fide digni immediate percipere praedictionem, ipsique postea illius impletionem videre. Praeterea sicut certo constare potest de ipsa praedictione ut certa, similiter potest esse omnino comperta ejus impletio, eo quod testes immediati et fide digni eam certo percipiunt, iique aliis communicant.

**236.** 2.° Praedictio futuri contingentis, aut manifestatio rei occultae potest iis ornari characteribus, ut certum sit a Deo vel a bono spiritu originem ducere. Ergo de prophetia certo constare potest; nam si praedictio est futuri contingentis, et est a bono spiritu, eo ipso est a Deo, et est vera prophetia; quia ex una parte solus Deus, ex propria virtute, cognoscit certo futura contingentia, ex altera vero non decet sanctos angelos loqui per conjecturas, quum sic possent falli et fallere. Si vero prophetia est rei occultae, et est a bono spiritu, eo ipso, saltem aequivalenter, est prophetia, quia boni angeli non manifestant occulta, nisi juxta divinam voluntatem et modo conducente ad fines a Deo intentos. *Prob.* igitur *Ant.* Si prae-

dictio futuri contingentis complectitur multa adjuncta et circumstantias etiam contingentes, si est omnino clara et determinata, si res praedicta est contra omnem expectationem, si propheta est vir sanctus, si tum ipse, tum ejus praedictiones promovent divinam gloriam et omnem virtutem, et revera impletur; certe erit a bono spiritu ac proinde a Deo. Accedit quod, in iis adjunctis, Deus non potest permittere prophetiam esse a daemone; aliter enim homines non possent non falli in re gravissima; ad divinam autem bonitatem et providentiam id non sinere spectat. Similiter si manifestatio rei occultae habet omnes illos characteres, qui n. 204 assignati sunt, ut in miraculi effectione excluderetur interventus diabolicus, et res illa occulta non possit humana industria cognosci, eo ipso compertum erit illam manifestationem saltem a bono angelo procedere. Contra si praedictio futuri contingentis est vaga et indeterminata, si plura nomine Dei aequaliter proponit, et aliqua ex illis evadunt falsa, si fovet curiositatem, vitia, falsum Dei cultum, si veritatibus aliunde certis adversatur, si propheta est improbus; si aliqua ex his vel similia habentur, manifestum erit prophetiam esse a daemone, vel non esse nisi fraudem et fallaciam. Speciatim de non eventu rei, quae nomine Dei praenuntiata fuerat, traditur in *Deuter. XVIII*, 22: *Quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, et non evenerit: hoc Dominus non est locutus*... Daemonis interventus, in rei occultae patefactione, cognoscendus est juxta dicta n. 213.

**237.** Dices 1.°—Homines et a fortiori daemones futura contingentia nonnunquam praevident. Ergo praedictio futuri contingentis non est propria solius Dei.

*Resp. D. Ant.*: homines et a fortiori daemones futura contingentia nonnunquam praevident conjecturaliter, et ea ex indole et adjunctis causarum cognoscendo, *C.*; modo certo et determinando circumstantias temporis, loci similesve, *N.* Daemones et minus homines ea, quae nec conjectura attingi possunt, non praedicunt; quod si faciunt, edunt vaticinia vaga et indeterminata, aut quae omnino falsa reperiuntur. Unde *Cicero*, De divin. l. 2, c. 56, de oraculis Apollinis ita loquitur: «Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor; partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime; partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa ad sortes referenda sit; partim ambiguis, et quae ad dialecticum deferenda sint.» Similiter de ceteris ethnicorum oraculis, necnon de modernis spiritismi et hypnotismi vaticiniis discurrendum est, videlicet ea, aut esse falsa et fraudes, aut conjecturas, aut si aliquid certi invenitur, quod ab hominibus non

cognoscitur, id certe vires daemonis non superat, eique revera ex characteribus moralibus est tribuendum, secundum dicta n. 213.

**238.** Dices 2.°—Arioli seu prohetae daemonis aliquando moti a Deo prophetant, ut traditur de *Balaam*, Num. XXII et XXIII Ergo etiam prophetae daemonis possunt facere prophetias proprie tales.

*Resp. D. Ant.:* prophetae daemonis aliquando prophetant moti a Deo ita, ut possit ex adjunctis hoc constare, *C.*; aliter, *N.* Si Deus aliquando prophetis daemonis utitur ad faciendam veram prophetiam, hoc ita facit, ut possit de veritate constare, sicut fecit cum Balaam, qui, dum est propheta veri Dei, detestatus est idolum, benedixit Israeli, et laudavit verum Deum, prout habetur in Num. XXIII, 19 et seq. De hac re dicit *S. Th.* 2. 2. q. 172, a. 6, ad 1: «Dicendum, quod prophetae daemonum non semper loquuntur ex daemonum revelatione, sed interdum ex inspiratione divina; sicut manifeste legitur de Balaam, cui dicitur Dominus esse locutus, licet esset propheta daemonum; quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. Unde et per prophetas daemonum aliqua vera praenuntiat: tum ut credibilior fiat veritas, quae etiam ex adversariis testimonium habet: tum etiam quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur.»

## Thesis III.

**Prophetia impleta et facta in confirmationem alicujus doctrinae religionisve est argumentum certum illius veritatis.**

**239.** Nota.—Prophetia, in praesenti, sumitur praesertim pro ea, de qua certo constat esse a bono spiritu. Deinde ut vim probandi habeat, non modo de prophetia certo constare opus est, verum etiam de effectione et adimpletione ipsius in favorem illius doctrinae, ad quam probandam adhibetur. Thesis, sic exposita, est certa philosophice, et etiam theologice, quum dicat *Conc. Vatic.*, sess. 3, c. 3: «Imprimis miracula et prophetiae, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata.»

*Prob.* Quia si prophetia in iis adjunctis, in quibus prudenter dubitari non potest eam esse et factam et impletam in confirmationen alicujus doctrinae, si haec esset falsa, Deus, sua auctoritate, rem falsam confirmaret; prophetia enim est aliquid proprium Dei, eidemque ut auctori tribuitur. Atqui Deo repugnat sua auctoritate rem falsam approbare, utpote qui sit infinite sapiens, verax, bonus et sanctus. Ergo prophetia et facta et impleta in confirmationem alicu-

jus doctrinae, hujus veritatem probat. Idem tenendum est, si certo constat prophetiam saltem esse a bono spiritu; nam bonus angelus non potest suadere nisi bonum et verum. Atque huic rei confirmandae applicari quoque possunt ea omnia argumenta, quae n. 223 et seq. adducta sunt, ut vis miraculorum in confirmationem veritatis demonstraretur.

## ARTICULUS VI

### De ceteris criteriis

**240.** *Praemitt.* Ut indicatum est in art. I hujus capitis, praeter miracula et prophetias plura alia criteria assignari possunt, quae quidem omnia, sicuti ibi dictum est, sunt externa vel interna, sensibilia vel insensibilia, positiva vel negativa. Verum, in praesenti, summatim et breviter attingam ea quae non possunt, et ea quae possunt esse revelationis criterium, et postea, per theses, nonnulla amplius declarabuntur.

*a*) Ipse mundus visibilis, quatenus complectens causas omnes necessario agentes et earum effectus, atque ideo cursum rerum necessarium, prout a causis creatis oritur, non est signum aut criterium revelationis, quia de se daretur eodem modo sive Deus revelaret, sive non. Verum si Deus, ut potest, cursum rerum necessarium ita praeordinaverit, ut aliquis populus admittens et observans doctrinam propositam ut revelatam habeat felicitatem et copiam rerum temporalium, non admittens aut non observans infelicitatem et inopiam, in hac quidem hypothesi cursus ille, ut a Deo praeordinatus, esset signum divinae revelationis; nihilominus non esset unicum nec primarium, quia jam supponeret divinam revelationem admissam, et ideo jam cognitam per alia signa vel criteria. Praeterea esset criterium parum idoneum, quia non potest cognosci nisi post longam et continuatam experientiam prosperitatis et infortunii, et facile induceret ad amandam revelationem, ut prosperitas temporalis obtineretur, et infortunium vitaretur. Quod si tale criterium per divinam revelationem cognosceretur, tunc una revelatio per aliam cognosceretur, et deberet fieri processus in infinitum.

*b*) Cursus rerum complectens non modo causas necessarias et eorum effectus, verum etiam operationes humanas liberas et harum effectus, si haec omnia per vires proprias hominum et aliorum agentium cum solo generali Dei concursu evenire possunt, revelationem factam non demonstrant; quia hac seclusa, ut supponitur, omnes illi effectus explicari possent. Unde maxima potentia temporalis, divitiae, artes et scientiae natu-

rales florentes aliaque id genus, et similiter eorum opposita, ut servitus, inopia, etc., non sunt signum revelationis, eo quod ea omnia per vires naturales sine revelatione effici possunt. Verum cursus rerum, potentia, servitus, divitiae, inopia, scientia, ignorantia, etc., licet ex se mere naturaliter evenire possent, tamen, ex divina ordinatione, possent esse effectus revelationis admissae aut repudiatae, divini legati recepti aut contempti; haec autem divina ordinatio per solum cursum rerum mere naturalem non certo manifestaretur, et ideo argumentum efficax divinae revelationis esse nequiret; quocirca, ut argumentum efficax divinae revelationis habeatur, exhibenda sunt signa quae per solas vires agentium naturalium, et sine adjutorio aliunde impertito, explicari nequeant.

*c)* Signa hujusmodi sunt miracula et prophetiae; ea enim ex cursu naturali rerum non oriuntur, et ideo potest certo constare ea effecta esse ad probandam revelationem, ut supra ostensum est. Inter miracula computanda quoque sunt miracula moralia seu res mirae quae per immutationem intellectus vel voluntatis habentur, ut repentina scientiae infusio, vel repentina morum immutatio; atque hoc jam supra indicatum est n. 199. De miraculis moralibus eodem modo ac de physicis judicandum est, scilicet, si a solo Deo possunt fieri, ex se ipsis veritatem religionis, in cujus favorem fiant, probant, si certo constet, ut potest, de eorum existentia et effectione in favorem alicujus religionis; sin autem vires angelicas non superent, de eorum efficacia ex criteriis moralibus dijudicandum est, seu ex eorum causis, effectibus, adjunctis et circumstantiis, prout haec fuerint bona vel mala, in bonum vel malum induxerint. Vide dicta n. 205, et n. 236.

Ad prophetiam vero revocantur cognitiones secretorum cordis et quarumque rerum quae, ratione sive distantiae, sive occultationis, sive causae similis, non sunt cognoscibiles per humanas vires etiam modernis inventis adjutas; et istae cognitiones, si a Deo vel a bono angelo originem ducere ostenditur, doctrinam vel religionem, in cujus favorem fiunt, veram domonstrant. Atque iis cognitionibus accommodari possunt, quae de prophetiae possibilitate, cognoscibilitate, etc., disputata sunt.

*d)* Praeter ea quae ad miracula et prophetias pertinent, dari possunt effectus non mere naturales, qui rationem miraculi vel prophetiae non participent, eo quod modo ordinario et consueto fiant in suo ordine, ut conversiones et morum mutationes factae per aliquam religionem, sed juxta modum in ea ordinarium et consuetum. Hujusmodi conversiones et morum mutationes, quum per solas hominis vires naturales explicari nequeant, et auxilium supernaturale requirant, probant existentiam verae revelationis, si tales effectus in reli-

gione quae se revelatam dicit, habentur; nam Deus per auxilium supernaturale falsitatem confirmare nequit. Verum hujus argumenti efficacia expendetur, quum veritas religionis christianae ex ejus propagatione et fructibus demonstrabitur. Interea animadverto propagationem alicujus religionis et fructus per eam reportatos esse miraculum morale, si fiant modo insueto in ea religione et per charismata et dona extraordinaria; secus si fiant modo ordinario et solito.

*e)* Inter effectus supernaturales recenseri potest doctrinae veritas, non praecise quatenus haec consideratur mere objective et transcendentaliter, quia veritas sic considerata non aliter est criterium, ac ipsa res quae dicitur vera; sed quatenus sumitur pro veritate logica, pro professione et possessione veritatis. Sic sumpta veritas potest esse effectus supernaturalis et criterium revelationis, si homines per solas vires naturales ad eam veritatem attingendam pervenire nequeant; atque de veritate sic accepta et de ejus fructibus quid sit sentiendum in ordine ad revelationem, inferius in thes. II et IV declaratur. Si veritatis acquisitio fiat non modo per auxilium Dei supernaturale, verum etiam modo extrordinario et insueto, erit miraculum morale; secus si fiat per auxilium Dei supernaturale juxta legem et modum consuetum in suo ordine.

*f)* Inter effectus qui, aliquo modo, possunt esse revelationis criterium, computandi sunt quies, pax, gratus animi sensus ex aliqua doctrina enascentia; item illustrationes et motiones a Deo infusae in intellectu et in voluntate. Haec in thesi III et V infra explicantur. Quies et gratus animi sensus ex doctrina aliqua provenientia nunquam sunt miraculum, ut per se patet; illustrationes vero intellectus et motiones voluntatis, si fiant modo ordinario et consueto, non sunt miracula; sed erunt verum miraculum, si valde insuetae et extraordinariae sint, v. gr. si hominem ex maximo peccatore in sanctum et justum repente commutent. Itidem erit verum miraculum, si intellectus illustretur reddaturque intelligens independenter a phantasmate et a sensibus; hoc enim est in se vere insuetum, et vires naturae superans, et admirationem afferens. Verum hoc miraculum et alia similia minus sunt idonea ad revelationem demonstrandam, quia si sola existant, modo certo aliis probari non possunt.

*g)* Quidquid de mundo, de causis necessariis et liberis et earum effectibus sub *a)* et *b)* dicta sunt, possunt similiter applicari iis, quae intra hominem fiunt vel eveniunt; videlicet si haec per statum hominis naturalem et vires ejus proprias explicari possunt, divinam revelationem non probant, quia sine illa explicari possunt. Unde necessitas seu obligatio hominis bene agendi moraliter, existentiam revelationis proprie talis non ostendit; tali

enim necessitati aliter quam per revelationem satisfieri potest, ut ex dictis in d. l, c. 1, a. 5, elucet.

*h*) Denique testimonium hominum pro existentia revelationis, si nude sumatur, rem non demonstrat, quia falsum esse potest; verum tale testimonium iis vestitum adjunctis et circumstantiis sub quibus juxta regulas philosophiae et criticae non potest moraliter esse falsum, praebet argumentum efficax existentiae revelationis. Imo testimonium unius hominis iis adjunctis et characteribus ornari potest, ut valde suadeat, vel etiam demonstret veritatem revelationis. Haec, quum de Christi auctoritate et ejus moribus et doctrina sermo erit, elucescent.

His praemissis aliquas theses statuere juvat, ut nonnulla amplius elucidentur.

## Thesis I.

**Evidens doctrinae falsitas, vel ejusdem cum bonis moribus repugnantia est criterium negativum certum doctrinae a Deo non revelatae.**

**241.** Nota.—Dicitur *evidens doctrinae falsitas, vel cum bonis moribus repugnantia,* quia, juxta dicta d. l. c. 1, a. 6, n. 144 et seq., non sufficit, ut veritas vel honestas alicujus doctrinae non perspiciatur ut, eo ipso, tanquam non revelata repudiari possit. Accedit quod propter humani ingenii infirmitatem animique perturbationes, si res non est prorsus manifesta, homo facile judicare potest falsum, quod est verum, et inhonestum, quod non est hujusmodi, aut viceversa. Ponitur *criterium certum,* quia rationes statim afferendae hoc demonstrant, et *Conc. Vatic.* sess. 3, c. 4, inquit: «Verum etsi fides sit suppra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare se ipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere.»

**242.** *Prob. 1.°* Infinitae Dei sapientiae et veracitati repugnat falsum revelare; nam id facere scienter, repugnat veracitati, et inscienter, sapientiae. Ergo Deus falsum revelare nullatenus potest. Similiter infinitae Dei sanctitati adversatur Deum revelare et probare quod bonis moribus contrarium est. Ergo Deus, quod inhonestum revelare non potest, illud probando.

2.° Ad infinitam Dei perfectionem spectat summam in loquendo habere auctoritatem. Atqui si falsum revelare posset, summam ejus-

modi auctoritatem non haberet; semper enim timere possemus, ne falsum diceret. Ergo. Item Deus, quum loquitur, vult ut summe illi credamus, quia hoc postulat infinita ejus auctoritas. Ergo si posset dicere falsum, posset etiam velle, ut summe crederemus tanquam verum, quod esset falsum; hoc autem bonitati Dei repugnat. Similiter Deus infinite amat supremam regulam et normam omnis honestatis, et consequenter summe detestatur quod illi opponitur. Atqui illi regulae opponitur quod bonis moribus contrarium est. Ergo Deus summe detestatur quod bonis moribus opponitur, ac proinde non potest illud per revelationem approbare.

3.° Mendacium, seu consulto dicere falsum, est intrinsece malum, utpote quod oppositum sit naturae verbi externi, summae Dei in loquendo auctoritati, et mutuae hominum communicationi et societati. Ergo in Deum cadere non potest. Deinde si Deus per revelationem posset approbare inhonestum legique naturali contrarium, homo posset agere contra legem naturalem et obedientiam Deo debitam. Denique si Deus, per revelationem, probaret ut verum, vel honestum, id, quod juxta rationem naturalem est evidenter falsum, vel inhonestum, sibi ipsi contradiceret, quia ipse Deus est auctor rationis naturalis et revelationis.

## Thesis II.

**Doctrinae veritas juxta principia naturalia ejusque cum lege naturali consensio est aliquo modo revelationis ut divinae criterium, non tamen primarium.**

**243.** Nota.—Sensus hujus theseos est haberi aliquod fundamentum ad judicandam aliquam religionem ut a Deo revelatam, si ea sit vera juxta rationis naturalis principia, et rite tradat hominis officia sive erga Deum, sive erga alios homines, sive erga seipsum, quatenus haec officia in lege naturali continentur; verumtamen fundamentum hoc nullatenus inter principalia ad aliquan religionem, tanquam a Deo revelatam, discernendam computandum est. Dicitur *aliquo modo criterium,* quia ipsum solum vix pro aliquibus potest sufficere ad gignendam de existentia revelationis certitudinem: quare hoc criterium non ponitur hic tanquam necessarium, aut sufficiens omnibus. Vide dicta n. 143 et seq. Thesis, sic exposita, videtur certa, et secunda pars est omnino conformis *Conc. Vatic.* quod sess. 3, c. 3, inter principalia divinae revelationis signa unice recenset miracula et prophetias.

**244.** *Prob. 1.ª* p. Homo sibimet ipsi relictus, ut probatum est c. 1, a. 5, moralem habet impossibilitatem cognoscendi ea omnia, quae ad rectam vitae institutionem et ad officia respectu Dei, suimet ipsius aliorumque hominum spectant. Ergo si aliqua religio, quae se ipsam tanquam divinitus revelatam tradit, ea omnia rite proponit, existit, eo ipso, fundamentum aliquod seu criterium, ut habeatur divinitus revelata. *Prob. Cons.* Nam ea religio non potest ea omnia rite proponere per solas hominum vires, quia hoc, juxta dicta, moraliter impossibile est; neque per virtutem daemonum, quia hi non in veritatem, sed in falsum et inhonestum ducunt: ergo tantum restat ut ea rite proponat per virtutem Dei vel bonorum angelorum: ergo revera eas omnes veritates necnon ceteras, quae in illa religione continentur, a divina revelatione originem trahunt; nam quum ex una parte eae veritates non sint attactae nisi per speciale Dei auxilium, ex altera vero ea religio se possidere illas per divinam revelationem affirmet, si hoc non esset verum, auxilium Dei speciale mendacio directe adjuvisset, quod omnino respuendum est.

**245.** *Prob. 2.ª* p. Illud non est primarium religionis ut divinitus revelatae criterium, quod difficulter et a paucis applicari potest; nam quum religio revelata ab omnibus amplectenda sit, eo ipso opus est facile et ab omnibus cognosci posse. Atqui hoc criterium nonnisi difficulter et a paucis applicari potest; ad hoc enim requiritur ingenium capax et valde excultum, quod quidem tantum a paucis et multo labore habetur. Ergo. Nec dicas rudes per sapientes posse facile cognoscere religionem ut divinitus revelatam; nam sapientes, qui solum propter intrinsecam veritatem de religione ut divinitus revelata vellent judicare, non essent inter se consentientes, et ideo non essent duces securi, ut rudes in notitiam verae revelationis cum certitudine pervenirent. Ad probandam hanc secundam partem faciunt quoque ea, quae c. 1, a. 6, n. 143 et sq. adducta sunt.

## Thesis III.

**Interna experientia, qua percipitur gratus animi sensus ob convenientiam doctrinae cum hominis natura potest aliquo modo esse revelationis ut divinae criterium, sed insufficiens.**

**246.** Nota.—Interna experientia hic sumitur pro notitia illius grati sensus ex doctrina provenientis. Gratus vero iste animi sensus, quamvis varie a variis declaretur, non aliud esse videtur, nisi quae-

dam animi quies, satisfactio et delectatio ob alicujus doctrinae consonantiam cum homine et ipsius indigentiis; et ita consideratur quatenus praecise ex doctrina oritur, non ex Deo vel alia causa; de animi motionibus quatenus sunt a Deo, et possunt esse revelationis criterium, sermo erit in thesi 5.ª Iste gratus sensus ex doctrina procedens vocatur congruitas vel convenientia doctrinae cum hominis natura, eo quod hanc bene afficiat. Haec interna experientia dicitur *aliquo modo revelationis ut divinae criterium*, quia aliquod est indicium verae revelationis, sed parum certum et securum, et ideo in 2.ª theseos parte adjicitur *insufficiens*. Unde iste gratus animi sensus non ponitur ut aliquid necessarium ad veram religionem detegendam, neque ut aliquid quod semper habetur in propositione revelationis. Vide dicta, c. 1, a. 6, th. 2. Quare omnino respuenda est illorum opinio, qui vel in sola interna experientia ex doctrina orta, vel in illa simul cum internis motionibus ex Deo fluentibus reponunt unicum, vel saltem primarium revelationis criterium. Thesis proposita videtur certa et philosophice et theologice quoad utramque partem, et conformis *Conc. Vatic.* cujus verba allata sunt c. 1, a. 6.

**247.** *Prob. 1.ª* p. Proprium doctrinae a Deo revelatae est inducere gratum animi sensum in eos, qui illam amplectuntur, et vitam secundum ipsam instituunt; quia doctrina revelata tollit dubia et anxietates, et facit ut homines in suum finem rite tendant, atque officia respectu Dei, sui et aliorum fideliter adimpleant; ex his autem quidam gratus animi sensus non oriri non potest. Ergo revera gratus animi sensus procedens a congruitate doctrinae cum natura rationali, et qui interna experientia percipitur est aliquo modo revelationis criterium.

**248.** *Prob. 2.ª* p. Nam imprimis est insufficiens, quia ille gratus animi sensus non habetur, nisi postquam aliquis jam doctrinam revelatam suscepit, eique suam vitam accommodavit, et ideo verae religioni suscipiendae non inservit, sed confirmationi in doctrina jam suscepta. Praeterea criterium hoc est fallibile et mutabile: fallibile quidem, quia ille gratus animi sensus non modo a veritate doctrinae pendere potest, verum etiam ab indole et dispositione subjecti, ab ejus praejudiciis, moribus integris aut corruptis etc. Est mutabile: quia quod hodie placet, saepe evenit, ut postea displiceat. Ergo non est criterium sufficiens, quia si ipsum solum adhibetur, non secure et sine dubiis ad veram religionem amplectendam conducit. Vide nn. 148, 149. Item *P. Wilmers*, de relig. rev. L. 1, c. 3, a. 4, § 2.

## Thesis IV.

**Fructus boni seu boni mores, qui ex aliqua doctrina consequuntur, sunt aliquo modo criterium divinae revelationis, sed secundarium dumtaxat.**

**249.** Nota.—Fructus boni alicujus doctrinae considerari possunt praecise, quatenus ex illa doctrina oriuntur, aut quatenus ex doctrina simul cum Dei auxiliis. Priori modo considerantur hic cum *P. Wilmers*, de rel. rev. L. 1. c. 3, a. 4, § 3. Tamen, licet hic non argumentemur ex divinis auxiliis, non ea abjicimus; nec supponimus mores notabiliter bonos, licet non heroicos, et constantes existere sine divino auxilio. Thesis videtur certa theologice et philosophice.

**250.** *Prob. 1.ª* p. Proprium doctrinae a Deo revelatae est optimos afferre fructus, quum Deus, qui est fons omnis bonitatis et sanctitatis, nonnisi in bonum et optimum inducere possit. Ergo si aliqua doctrina se tradit ut divinitus revelatam, et bonos affert fructus, eo ipso habetur indicium et aliquo modo criterium ipsius divinae revelationis, dummodo tales fructus constanter afferantur; etenim religio falsa sicut falsitates continet, ita in pravos mores inducit.

**251.** *Prob. 2.ª* p. Illud criterium non est primarium quod jam supponit alia ante se, quibus religio est propagata et a pluribus suscepta; nam eo ipso non tenet primarium locum in illius religionis propagatione. Atqui criterium in fructibus doctrinae consistens, jam supponit alia ante se; nam illi fructus in multis et modo constanti haberi nequeunt, nisi ea religio jam sit aliquatenus propagata et a pluribus suscepta. Ergo.

**252.** *Observa.* Sicut boni fructus, qui in pluribus observantur, sunt aliquod criterium divinae revelationis, suo modo potest quoque affirmari de uno tantum, qui asserat se esse divinum legatum, nempe bona ipsius opera commendant suam legationem, et sunt aliquod criterium divinae ipsius missionis, quod a fortiori tenendum, si opera illius legati sint tam heroica, ut auxilio Dei extraordinario tribuenda sint. Contra si mores illius, qui tanquam divinum legatum se venditat, agnoscuntur pravi, eo ipso habetur ratio, ne recipiatur tanquam Dei legatus. Unde Christus, apud *Matth. VII,* 15 et seq. dixit: *Attendite a falsis prophetis... A fructibus eorum cognoscetis eos... Sic omnis arbor bona fructus bonos facit.* Nihilominus his verbis Christus, quamvis commendet bonos mores tanquam criterium ad deceptiones vitandas, nec excludit alia criteria, nec proprie agit de crite-

rio ad aliquam religionem ut revelatam amplectendam, sed potius pro illis qui jam in possessione verae religionis sunt, medium ad fallacias repellendas designat.

## Thesis V.

**Dei illustrationes et motiones interiores possunt esse aliquod divinae revelationis criterium; quod tamen inter principalia non est computandum.**

**253.** Nota.—*Dei illustratio,* prout hic sumitur, est cognitio a Deo infusa suadens veritatem doctrinae jam revelatae vel ipsius observantiam; *motio* vero est inclinatio voluntatis a Deo infusa ad aliquam doctrinam amplectendam vel observandam. Potest quoque sive *illustratio,* sive *motio* voluntatis avertere ab aliqua doctrina amplectenda vel observanda. Istae illustrationes Dei et motiones dicuntur posse esse criterium, quia ut revera sint criterium, necesse est cognoscantur ut tales, et non semper cognoscuntur ut a Deo provenientes, atque ideo non semper sunt criterium. Deinde dicuntur *aliquod* criterium, quia communiter non cognoscuntur certo ut Dei illustrationes et motiones, sed magis vel minus probabiliter dumtaxat: quare communiter non sunt nisi criterium plus minusve probabile divinae revelationis. Si certo cognoscerentur, possent quidem haberi tanquam criterium certum, eo quod Deus non suadet nisi veritatem, neque inclinat nisi in verum et bonum. Thesis proposita est contra plures protestantes, quorum alii docent Deum tribuere unicuique testimonium internum et indubium divinae revelationis, alii vero unumquemque accipere instinctum quemdam caecum, quo ad veram revelationem amplectendam compellitur. Vide dicta c. 1, a. 6, th. 3. Doctrina proximae theseos quoad secundam partem est certa theologice, quoad priorem autem etiam videtur certa, quatenus videlicet certum est illas Dei illustrationes et motiones posse existere criterium saltem probabile divinae revelationis. Vide *Wilmers,* De rel. rev. L. 1, c. 3, a. 5, § 3; *Ottiger* Theol. fundam. p. 1, s, 1. c. 3, § 16; *Lambrecht,* Theol. fund. p. 1, c. 3, praenot.

**254.** *Prob. 1.ª* p. Nam imprimis divinae illustrationes et motiones ex se revera sunt Dei revelationis criterium, ut eruitur ex dictis. Sed possunt quoque esse aliquod criterium respectu nostri, quia a nobis, ut divinae, ex effectibus cognosci possunt; si enim, ut possunt, inducunt in amorem Dei et aliorum hominum, in contemptum rerum temporalium et vehemens rerum aeternarum desiderium, si afferunt

animi consolationem, quae tota in gloriam Dei et contemptum sui dirigitur, si alios similes habent effectus, probabile saltem est eas illustrationes et motiones esse a Deo, et ideo revelatio, quae ab illis suadetur, revera est, saltem probabiliter, divina. Vide *P. Suarez*, De fide, d. 4, s. 6, n. 4.

**255.** *Prob. 2.ª* p. Principalia revelationis divinae criteria debent esse facilia cognitu, omnibus obvia et apta non modo ad veram revelationem persuadendam, verum etiam ad illam ab adversariis defendendam; nam divina revelatio ab omnibus est amplectenda, et ut subsistere possit, necesse est ab adversariis defendatur. Atqui Dei illustrationes et motiones communiter nec sunt faciles cognitu, quia in se ipsis non perspiciuntur, et eorum effectus non solent esse tam manifesti, ut de eorum divina origine certitudinem gignant. Deinde nec sunt omnibus obviae, nam communiter non habentur eae illustrationes et motiones, quae faciant certam revelationem, quam suadeant, neque homines communiter sciunt discernere illustrationes et motiones divinas ab aliis. Postremo non sunt aptae ad revelationem contra adversarios defendendam, quia manent absconditae, et adversariis demonstrari nequeunt. Ergo.

## ARTICULUS VII

### De methodo tenenda in demonstratione verae religionis

**256.** Postquam de variis verae religionis discernendae criteriis actum est, de modo eadem applicandi nonnihil dicendum est, de quo nonnulla dicta sunt in cap. 1, a. 6, th. 2.ª, et plura in articulis superioribus indicata. Atque imprimis ex disputatis abunde constat miracula et prophetias esse potissima criteria ad veritatem alicujus religionis demonstrandam. Et hoc competit miraculis et prophetiis, si dentur, in qualibet aetate et tempore, quia semper sunt signa divina et eamdem vim retinent. Quocirca eae omnes methodi, quae miraculis et prophetiis, sive absolute, sive in aliquo tempore vel aetate, vim probandi negant, omnino repudiandae sunt. Praeterea non desunt systemata, quae aliis quoque ex capitibus rejicienda, inter quae enumerabo nonnulla et breviter refellam. Vide *Lahousse*, De ver. rel. d. 4, c. 1.

*a)* Rationalistae admittunt tanquam unicam methodum attingendi veram religionem, omnia subjicere propriae rationi et experientiae, et ideo ea tantum admittere, quae propriae rationi et experientiae ostendantur in se ipsis vera (1). Haec autem methodus omnino respuenda est; tota enim nititur falso fundamento independentiae rationis et conscientiae humanae; et quum homo totus sit a Deo et ab eo dependeat, non possunt non ab eo dependere, eidemque esse subjectae omnes ejus facultates. Quae quidem veritates non sunt hic demonstrandae, sed ex philosophia accipiuntur. Vide dicta n. 143 et sq.

*b)* Item rejiciendum prorsus est systema religionis demonstrandae a Balfour propositum. Juxta hunc auctorem religio admittenda est modo caeco, modo irrationali, ex aliqua necessitate sine sufficienti ratione. Verum hoc est contra hominis naturam; quum enim haec sit rationalis, non debet aliquid admittere sine fundamento, sine motivis. Potest quidem homo, imo debet admittere veritates supra rationem, si dentur; sed non debet eas admittere sine motivis saltem extrinsecis, quae veritatem sufficienter probent. Nec verum est, et contrarium in philosophia ostenditur, dari in homine necessitatem admittendi quasdam veritates sine ratione, sine motivo sufficienti.

*c)* Multi protestantes ponunt *internam experientiam*, vel *sensum religiosum*, vel *testimonium spiritus*, vel *indigentiam animi religiosi* tanquam normam ultimam vel saltem praecipuam, ut amplectamur veram religionem eamque a falsis discriminemus; miracula vero et prophetias ut motiva credibilitatis vel omnino rejiciunt, vel admittunt tanquam aliquid secundarium, quodque unice utile esse potest, si fides et vera religio jam supponantur admissa, ut supra jam indicatum est. (Vid. Collect. Lacens. Act. Conc. Vat. p. 528. Vide etiam supra c. 1, a. 6, thes. 2, et c. 2, a. 1, th. 1, a. 4, et a. 6, th. 3). Hujusmodi autem methodus ut unica vel principalis prorsus abjicienda est: etenim per experientiam et sensum internum nunquam habemus certitudinem de vera religione, quum non possimus discernere, utrum illa quae intra nos eveniant, sint naturalia, an supernaturalia; et si sint mere naturalia nihil probant de revelatione propric tali secundum dicta in art. praeced. Jam vero de revelatione debet certo constare, ut possimus credere, sicuti expositum in c. 1,

(1) Haec ex doctrina rationalistarum seu *protestantium liberalium* manifeste eruuntur; eorum enim principia sunt ratio et conscientia ut normae supremae et independentes. Sic Rationalista *Réville* (Le Protestant libéral) dicit: «Souveraineté de la raison et de la conscience en matière religieuse... sont les principes constitutifs du protestantisme libéral...»

a. 6. Praeterea non probatur Deum singulis hominibus voluisse veram religionem monstrare *per internam experientiam, sensum religiosum* etc.; et ideo non habemus solidum fundamentum, ut tali methodo fidere possimus. Denique jam constat hanc methodum esse rejiciendam ex dictis nn. 148, 149, 246 et sq. et 255.

*d) Bougaud* (Le Christian. Introd.) proponit ut methodum aptiorem verae religionis demonstrandae patefacere ejus consonantiam et harmoniam cum humana natura, familia et societate. Verum huic methodo imprimis applicari possunt quae dicta sunt in a. 6 proxime antecedenti, th. 3, scilicet non posse aliquem rite percipere memoratam consonantiam et harmoniam, nisi jam religionem veram amplexus sit, et in se ipso expertus ejus virtutem et efficaciam; et ideo haec methodus potius est, ut aliquis in religione jam accepta confirmetur, quam ut ad illam amplectendam inducatur. Deinde est valde generalis et vaga; oporteret enim definire in quo consistat ea consonantia et harmonia, eique tales characteres tribuere, qui in sola religione vera adessent; hoc autem a praefata methodo non praestatur, saltem modo accurato et bene determinato. Accedit quod rationalistae negant esse consonantem naturae religionem, quae profiteatur res supernaturales et mysteria. Item quis facile putat consonum naturae, quod est secundum suas inclinationes et propensiones, licet hae sint perversae; et homines generatim propendunt ad ea, in quibus fuerunt educati, et ad mores suae gentis. Vide n. 246 et sq.

Ad haec, adjungendum est hanc methodum non congruere cum supernaturali proprie tali; nam hoc, quum naturam absolute superet, non potest naturaliter percipi ejus consonantia et harmonia cum hominis natura. Immo Auctor supernaturale destruere videtur, quum *institutionem divinam* et *dogmata* ex natura derivet (1). Postremo falsum est quod asserit Auctor (Introd. p. 42-43), scilicet suam methodum esse Patrum Ecclessiae, magnorum theologorum, *S. Augustini* et *S. Thomae;* nam PP. et antiqui theologi methodum consonantiae et harmoniae esse aliis aptiorem nullibi asserunt, imo, sub ea forma qua a *Bougaud* proponitur, nec illam tradunt, et nominatim *S. Thomas* multis in locis, ut in Summ. theol. 3. p, q. 43, a. 1; Summ. contr. gent. lib. 1, a. 6, etc. methodum in miraculis fundatam commendat.

*e)* Methodus *immanentiae,* cujus auctor *Blondel,* versus finem saeculi proxime elapsi proposita est. Haec methodus statuit hominem debere cognoscere supernaturale et veram religionem ex pro-

(1) Inter alia (*Introd.* p. 38) haec dicit: «Tout ce qui, d'un côté, est institution divine, dogme révélé, est, de l'autre, instinct, besoin, élan et aspiration de l'âme.»

pria actione, ex iis, quae in se ipso sentit, cognoscit et vult tanquam ex quadam expansione, exigentia et postulatione suimetipsius, nihilque ab eo admittendum ut verum aut praeceptum, nisi sit *autonomum* (1) et *autochthonum* (2), i. e. ex lege et terra sui ipsius. Haec methodus nullatenus admitti potest, quia actiones hominis mere naturales nihil continent supernaturale, ac proinde non ostendunt existentiam supernaturalis et verae religionis. Et licet acciperentur actiones supernaturales hominis elevati; ex illis non probaretur modo certo existentia verae religionis et ordinis supernaturalis: tum quia communiter non distinguimus inter operationes naturales et supernaturales; tum quia ex nostris actionibus ad summum haberemus exigentiam, postulationem vel desiderium verae religionis et ordinis supernaturalis; at exigentia alicujus rei non est demonstratio existentiae ipsius, et multo minus est demonstratio rei omnino determinatae et designatae propriis characteribus, qualis in praesenti deberet demonstrari vera religio. Unde huic methodo possunt applicari ea omnia, quae contra systemata protestantium sub *c)* dicta sunt.

*f)* Methodo proxime laudatae affinis est methodus modernismi. Hic, a Pio X in litt. encycl. *Pascendi* accurate descriptus, definiri potest: systema religiosum, fundatum in *agnosticismo, immanentismo* et *evolutionismo. Agnosticismus,* a vocabulo graeco ἄγνωστος, incognitus, est systema philosophicum asserens non cognosci res extra nos positas, nisi quatenus immediate a sensibus percipiuntur: unde negat ratiocinio ex rebus per sensum perceptis confecto deduci aliquid *reale,* et ideo scientia humana restringitur ad phaenomena, seu ad ea quae apparent et quatenus apparent. *Immanentismus* prout religionem respicit, est systema quod derivat omnia ad religionem pertinentia ex indigentiis quas homo experitur, quaeque per sensum quemdam internum percipiuntur. Atque iste immanentismus religiosus apud modernistas est corollarium agnosticismi; quum enim ex una parte eluceat haberi notiones Dei et religionis, ex altera vero in phaenomenis externis praescindendo ab homine nihil de Deo et de religione habeatur, consequitur illas notiones ab ipso homine originem duxisse. Iuxta modernistas objectum fidei vocatur *incognoscibile,* quia latet intra conscientiam, i. e. *in subconscientia*, et nonnisi in certis et aptis complexibus manifestatur. Haec manifestatio fit ope cujusdam sensus religiosi, qui sine ullo medio experitur divinam existentiam et omnia fidei objecta, atque ideo ab illo derivanda sunt

(1) A vocibus graecis αὐτός, ipse, et νόμος, lex.
(2) Ab αὐτός et χθών, terra.

dogmata et omnia ad religionem spectantia. Haec autem omnia sensus ille experitur ut hominis necessitates. Postremo *evolutionismus* religiosus quem modernistae profitentur, consistit in hoc, quod omnia ad religionem spectantia, fides, mores, cultus, Ecclesia, libri sancti et cetera omnia variationi subjiciantur. Causae praecipuae evolutionis a modernistis assignatae sunt exquisitior sensus religiosus propter majorem culturam et necessitas accommodandi religionem temporibus, progressui diversisque individuorum et societatis necessitatibus.

Ex hac simplici modernismi expositione facile colligitur in illo non posse admitti aliquid stricte supernaturale nec revelationem proprie talem; nam in hoc systemate omnia depromuntur ex phaenomenis hominis internis et ex quodam sensu religioso penetrante et sentiente etiam ea, quae sunt incognita scientiae et constituunt objectum fidei; ea vero quae ex solo homine depromuntur, non sunt supra hominis naturam, et ideo non sunt supernaturalia, neque in his potest inveniri revelatio proprie talis, quae est ab extrinseco, seu a Deo. Aliunde quum in superioribus probatum sit, supernaturale et revelationem proprie talem non repugnare, et inferius demonstrabitur re ipsa dari, eo ipso modernismus repudiandus est ut prorsus ineptus ad inveniendam veram revelationem et religionem.

Verum si modernismus in genere consideratus est prorsus ineptus ad rem praesentem, id ipsum speciatim ei convenit, si ejusdem methodus apologetica perpenditur. Ut tradit Pius X in litt. encycl. *Pascendi,* duplex methodus apologetica ponitur a modernistis, altera *objectiva, subjectiva* altera. *Objectiva* in hoc consistit, quod homo adhuc carens fide inducatur ad observandum phaenomenon catholicum seu professionis religionis catholicae, eique ostendatur tale phaenomenon a Chisto originem ducere, quatenus hic fuit Messias, sive actor et ordinator regni Dei in terris. Germen autem hoc religionis catholicae, quod fuit in Christo, permansit usque ad nos cum debitis evolutionibus, et non potuerunt illud extinguere omnes adversarii, insectationes multae et cetera impedimenta; haec autem permanentia ejusdem germinis, licet cum evolutionibus, contra ejus adversarios, impugnationes ceteraque contraria supponit *incognitum* sive incognoscibile quod in tali phaenomeno latet; tanta enim vitalitas religionis catholicae non aliter sufficienter explicatur. Iam vero, hoc *incognitum* facile sentitur sensu illo religioso, qui experitur ea, quae intra conscientiam latent, et ita habetur fides religionis catholicae. En methodus modernista objectiva! Verum statim appareret quam sit futilis, nam modernistae non ostendunt, cur illa expe-

rientia interna, etiamsi permittatur dari, sit potius verae quam falsae religionis, quum etiam profitentes falsam religionem possunt sibi vindicare similem experientiam. Deinde soli modernistae iisque affines habent talem experientiam fidei catholicae. Postremo haec methodus, licet vocetur objectiva, revera est subjectiva tum ratione fundamenti, tum ratione termini. Ratione quidem fundamenti, quia phaenomenon externum religionis catholicae, per hanc methodum adhibitum, fundatur in illo sensu interno, qui omnia ad religionem attinentia experitur. Item ratione termini, quia ducit ad habendam experientiam fidei catholicae per illum sensum religiosum. Quocirca contra hanc methodum dici possunt ea omnia quae sub *c)* et *e)* dicta sunt contra methodos mere internas et subjectivas.

Altera modernistarum methodus vocata *subjectiva* est ejusmodi juxta modernistas moderatiores, sc. persuadendum est homini non credenti in intimo suae naturae vel conscientiae contineri desiderium et exigentiam religionis talis, qualis est catholica, et ideo hanc religionem recipere debet. Verum, quum religio catholica sit supernaturalis, ut infra demonstrandum est, non potest in natura reperiri ejus exigentia et postulatio. Haec ipsa methodus a modernistis *integralistis* reducitur ad ostendendum homini non credenti latere in eo ipsum germen religionis quod fuit in Christo. At hoc iisdem argumentis rejicitur, quibus methodus objectiva.

*h) Augustinus Thierry*, ut tradit Cardinalis *Dechamps*, Epist. 2, tom. 16, dicebat sibi compertam esse ex historia necessitatem auctoritatis divinae visibilis pro genere humano; hanc vero non reperiri extra Ecclesiam catholicam; et ideo huic credendum. Verum imprimis operteret adducere ex historia argumenta, quibus probetur necessitas auctoritatis divinae visibilis pro genere humano; deinde designandi essent characteres, quibus ea auctoritas ab omnibus dignosci posset; neutrum autem in hac mothodo praestatur, et idcirco est insufficiens.

**257.** Jam inter catholicos, qui vim miraculorum et prophetiarum etiam pro nostra aetate admittunt, non una est methodus demonstrationis religionis christianae instituendae. *De Broglie* (Relig. et critiq. liv. 2.) arbitratur apologetam ante omnia debere demonstrare *transcendentiam* christianismi, i. e., per historiam religionum inter se collatarum patefacere religionem christianam alias multum superare ratione doctrinae, institutionum, fundatoris, etc.; atque hoc demonstrato, judicat homines ad divinitatem religionis christianae profitendam facile induci posse. Alii existimant apologiam a criteriis internis et a testimonio et sanctitate Jesuchristi esse incipiendam, ut *Ottiger*,

Theol. fund. sect. 2, c. 3, *Zaccherini,* De ver. rel. s. 2, c. 1; alii a miraculis et prophetiis, ut *Wilmers*, De rel. rev. l. 3, c. 2. *Lambrecht* Demonst. christ. part. post c. 2; alii alias premunt vias.

Verum hac in re diversa methodus juxta diversum apologetae scopum amplectenda videtur; si enim agatur de inducendis certis hominibus vel populo determinato ad veram religionem amplectendam, ea methodo argumenta credibilitatis sunt proponenda, quae indoli, studiis, dispositioni, praejudiciis eorum, quorum conversio procuratur, magis conveniat; quia ita facilius et suavius ad veram religionem adduci poterunt. Si vero, prout in hoc tractatu fit, non agitur de motivis credibilitatis proponendis his vel illis determinatis, sed generatim de eorum explicatione et defensione modo scientifico, ea methodus videtur usurpanda, qua primus locus motivis absolute validioribus et aptioribus in ordine etiam tractationis detur, ceteris posterior. Nam ex una parte motiva potiora et aptiora primum locum merentur; ex altera non est ratio hunc ordinem invertendi, ut motiva melius perspiciantur, nam singulorum vis et efficacia independenter ab aliis rite intelligi potest. Praeterea si validiora et aptiora motiva ultimo loco serventur, eo ipso videntur minus aestimari, et cedi protestantibus et rationalistis ea contemnentibus.

**258.** Jam vero inter criteria, ut in a. 1, th. 1, hujus capitis, dictum est, externa aliquo modo sensibilia sunt potiora aliis. Atque hoc ipsum rursus confirmatur: etenim criteria insensibilia, seu quae intra hominem manent et foris nullatenus manifestantur, seorsim accepta, cum certitudine non probantur, et ideo licet pro ipso revelationem accipiente certitudinem gignere possint, non pro aliis; et idcirco sunt insufficientia ad revelationem aliis persuadendam. Contra criteria aliquo modo sensibilia cum certitudine aliis demonstrari possunt, ut supra ostensum est de miraculis et prophetiis. Quare criteria sensibilia sunt principaliora et aptiora aliis. Jam vero inter criteria aliquo modo sensibilia aestimanda sunt potissima, quae sunt magis manifestum signum divinae approbationis; nulla enim approbatio potest esse major quam divina. Aliunde inter signa aliquo modo sensibilia non adsunt alia magis patefacientia divinam approbationem quam miracula et prophetiae, ut ex supra dictis liquet.

**259.** Quare si aliquis asserit se esse legatum a Deo missum, et proponit suam doctrinam ut divinitus revelatam, atque ut sua asserta confirmet, miracula patrat, et prophetias edit, nulla est ratio, cur ei non credatur; nam illa miracula et prophetiae probantur vere talia, ut supponitur, et proinde esse a Deo; aliunde in illis adjunctis sunt veluti Dei sigillum in confirmationem missionis et doctrinae illius

hominis, quia exterius ad hunc finem ordinantur, neque alius finis manifestatur, et omnes putarent ob talem finem a Deo patrari, nec prudenter possent aliter judicare: unde si talis homo non esset Dei legatus et hujus doctrina revelata, ipse Deus per miracula et prophetias homines deciperet, quod repugnat, prout supra ostensum est.

Et licet miracula moralia et sanctitas magna habeant vim in favorem alicujus religionis, sed non tantam sicut miracula physica et prophetiae, quia est minus manifestum illa superare vires naturales, et non posse, etiam admisso facto, naturaliter explicari; et sanctitas ad breve tempus fingi potest. Accedit quod sanctitas, et miracula moralia, ut propagatio, fructus, conservatio miraculosa alicujus religionis, jam supponunt illam religionem ob alia motiva admissam. Vide dicta, n. 226.

Itidem miracula et prophetias esse praeferenda ceteris criteriis etiam ostenditur eo, quod omnibus fere religionibus attribuuntur miracula et vaticinia ficta, ut illis auctoritas concilietur; hoc autem non fieret, si vera miracula et prophetiae non essent signum efficax divini interventus et revelationis. Etiam ipsi rationalistae et inimici divinae revelationis proprie talis confirmant maximam in miraculis et prophetiis inesse vim; nam ideo tanto conatu et odio ea impugnant, nec unicum miraculum, nec unicam prophetiam vere talem permittunt, immo nec eorum possibilitatem.

**260.** Postremo idipsum ex historia comprobatur. Nam Jesus Christus, ut ex Evangeliis elucet, miraculis et prophetiis suam missionem et doctrinam demonstrabat: similiter fecerunt Apostoli, ut ex Act. A. colligitur. Hoc ipsum probarunt antiqui apologetae, ut *Quadratus*, (apud *Euseb.* Hist. Eccl. l. 4, c. 3; vide inferius, n. 318), *Justinus*, (Dial. cum Triph. n. 7; M, G, 6, 491); *Theophilus Antioch.* (Ad Antolyc. lib. 1, n. 14, l. 2, n. 8; M, G, 6, col. 1046, 1062); *Irenaeus*, (Contr. haer, l. 2, c. 31, n. 2, c. 32, n. 3-5; M, G, t. 7, col. 824, 828); *Tertullianus*, (Apol. c. 27); *Origenes,* (Contra Celsum, lib. 1, n. 2; M, G, 11, 655); *Arnobius*, (Adv. gentes, l. 2, c. 42; M, L, 5, 772), etc.

Sint ex laudatis auctoribus in specimen *Origenes* et *Arnobius*. Ille dicit: «Sed adjicio doctrinam christianam sua quadam propria ratione demonstrari. Divina est haec ratio, et ad eam graecorum dialectica ne comparari quidem potest. Illam sitam esse docet Apostolus *in ostensione Spiritus et virtutis; Spiritus* quidem, propter prophetias, quarum omnium perspicuitas et evidentia quemvis lectorem persuadere potest ut ea praesertim credat quae ad Christum pertinent; *virtutis* autem, propter miracula, quorum patrandorum vim ac

potestatem penes christianos esse, cum ex multis aliis, tum inde maxime efficitur, quod eorum adhuc supersint vestigia apud eos, qui ex legis christianae praeceptis vitam suam moresque exigunt.» Et *Arnobius*, se referens ad Christi miracula, inquit: «Nulla major est comprobatio (Christum esse Deum) quam gestarum ab eo rerum, quam virtutum novitas...»

Quare in praesenti tractatu ea methodus amplectenda videtur, qua primo loco ex miraculis et prophetiis Christum esse divinum legatum et doctrinam ab eo traditam divinam demonstratur; atque id ipsum secundo loco ex ceteris majoris momenti criteriis confirmatur. Verum antequam rem hanc aggrediar, auctoritas Evangeliorum et Actuum Apostolorum exponenda videtur.

# CAPUT III

## De auctoritate historica Evangeliorum et Actuum Apostolorum

Actum est de revelatione ejusque criteriis, ut ad veritatem religionis christianae demonstrandam via pararetur. Ad hunc ipsum scopum consequendum necesse foret ostendere libros Veteris et Novi Testamenti esse historice veraces, seu fidem historicam facere; ex illis enim argumenta accipienda sunt, quibus religio christiana probatur vera. Hac tamen re supersedeo, quia id in *Introductione* ad S. Scripturam praestatur; et ideo hoc in praesenti tanquam demonstratum assumo, ne eadem res ex proposito bis tractetur, neve haec tractatio nimis longa fiat. Nihilominus demonstratio authentiae Evangeliorum hic praetermittenda non videtur, quod sine illa minus caperetur vis argumentationis, quum in Evangeliis contineantur Jesu Christi vita, doctrina, miracula et prophetiae, quibus potissimum religionis christianae veritas confirmanda est. Item de Actuum Apostolorum authentia agendum existimo, quia post Christum, religio christiana per Apostolos comprobata et divulgata est.

### ARTICULUS I

#### De quatuor Evangeliorum genuinitate

**261.** *Praemitt. I.* Authenticum, a graeco αὐθεντικόν, idem est ac fidem seu auctoritatem faciens, et ideo libri authentici sunt illi, qui auctoritatem habent seu fidem faciunt, utpote qui tanquam

verum dicentes admittantur. Jam vero ut aliquis liber auctoritatem seu authentiam, a graeco αὐθεντιάν, habeat, de illius auctoris scientia et veracitate constare necesse est, et inde de libri *genuinitate* et *integritate*. Libri *genuinitas* seu liber *genuinus* habetur, si ab eo auctore vel saltem illa aetate, cui tribuitur, est scriptus. Ab aliquibus confunditur genuinitas et authentia, sed ab aliis distinguitur juxta dicta, videlicet quatenus genuinitas secum ferat librum esse illius auctoris vel saltem illius aetatis, cui tribuitur; authentia vero ea omnia complectatur, quae necessaria sunt ut liber auctoritatem habeat. *Integritas* consistit in hoc, quod liber ad nos pervenit, eo modo quo scriptus est. *Integritas* in *substantialem* et *accidentalem* vel *absolutam* dividitur. *Substantialis* habetur, si liber, quoad res majoris momenti, servatus est eo modo, quo ex ejus auctore prodiit; *accidentalis* vero seu *absoluta,* si liber, quoad res etiam minoris momenti, variationem non subiit. Integritati opponitur *corruptio* seu libri immutatio. Haec, juxta modum quo fiat, varia accipit nomina. Vocatur *interpolatio,* si additione fiat; *mutilatio,* si detractione; denique *corruptio* stricte talis, si sensus immutatione. Haec doctrina de genuinitate, integritate et corruptione facile applicari potest sive autographis, seu libris ab ipso auctore exaratis, sive apographis, seu libris transcriptis ex autographis, sive versionibus, seu libris in aliam linguam translatis. Porro liber genuinus et integer fidem faciet, si illius auctor fuit sciens et verax. Denique animadverto in genuinitate integritatem posse comprehendi, nam liber qui immutatus fuit, revera non est omnino idem cum illo, qui a tali auctore vel tali aetate fuit exaratus.

Genuinitas et integritas alicujus libri sunt facta historica, et ideo, sicut cetera ejus modi facta, ex testimoniis fide dignis potissimum sunt comprobanda. Juvare tamen ad id quoque poterunt criteria interna, seu ea, quae in ipsa inscriptione et in rebus, quae narrantur, fundantur.

**262.** *Praemitt. II.* Evangelium, juxta etymologiam, a voce graeca εὐαγγέλιον idem est ac faustum nuncium, et recte sic vocatur, quum in illo salus generi humano allata per Christum annuntietur. Scripta vocata Evangelia, de quibus in praesenti disceptatur, sunt quatuor, quorum auctores, ut probabitur, sunt *S. Matthaeus, S. Marcus, S. Lucas* et *S. Joannes*. In illis adventus et etiam origo Jesu Christi, vita, praesertim publica, doctrina, miracula, passio, mors et resurrectio fideliter traduntur. Ex quatuor auctoribus duo, sc. *S. Matthaeus* et *S. Joannes,* sunt testes oculati et auriti maximae partis rerum, quas narrant; et alii duo, nempe *S. Marcus* et *S. Lucas,*

licet non fuerint testes immediati, potuerunt omnia a testibus immediatis accipere. Ex quatuor evangeliis tria sc. *Matthaei, Marci* et *Lucae,* vocantur synoptica, a graeco σύνοψις, propter mutuam similitudinem, qua fit, ut veluti uno intuitu videri possint. Evangelium *S. Matthaei* primigenium fuit exaratum aramaice; alia autem tria graece. De tempore quo scripta sunt, certum est tria synoptica fuisse scripta saeculo I, et *S. Joannis* vel eodem saeculo, vel initio secundi. Juxta sententiam magis probandam evangelium *Matthaei* exaratum est inter annum 40 et 50, *Marci* inter 50 et 60, *Lucae* inter 59 et 64, *Joannis* inter 90 et 100. Vide *Cornely,* Introd. spec. in N. T., nn. 22, 32, 44 et 69.

**263.** *Praemitt. III.* Rationalistae omnes authentiam N. T., saltem respectu miraculorum rerumque supernaturalium, pernegant, quamvis ad id faciendum viis valde diversis pergant, ut videre est apud *Vigouroux,* Les Livr. Saint. et la critiq. rational., trois. époc. l. 4; *Pesch,* Inst. propaed. p. 1, s. 1, a. 1, prop. 5 aliosque. Inter varia rationalistarum systemata ad omne supernaturale directe vel indirecte rejiciendum, tria specialem celebritatem consecuta sunt, nempe *Pauli, Straussii* et *Baur.*

*Henri-Eberhard-Gottlob Paulus,* natus anno 1761 et 1851 mortuus, fuit professor theologiae et sectator philosophiae Kantii, admisit quidem aliquorum S. Scripturae librorum genuinitatem, sed in illis omnia accommodanda et explicanda esse juxta leges naturales. contendit.

*David-Fridericus Strauss,* qui ab anno 1808 ad 1874 vitam duxit, inter omnes modernos rationalistas eminere videtur, ejusque systema fuit omnia miracula, quae in S. Litteris narrantur existimare mythos seu res fictas, quae quidem fictiones inde originem traxerunt, quia ea quae in V. T. de *Messia* praedicta videbantur, Christo accommodata sunt; credulitas vero ea auxit et amplificavit. Juxta *Strauss* Evangelia nonnisi saeculo II post Christum sunt scripta.

Denique *Ferdinandus Christianus Baur,* cathedram Theologiae Tubingensem ab anno 1826 ad 1860, quo finem vivendi fecit, tenuit, fuitque philosophiae hegelianae deditus; atque inde in ipsa christianismi origine oppositionem contradictionemque doctrinae invenire voluit, eamque revera adesse inter doctrinam Petri et Pauli asserere non dubitavit. Ex hac conficta doctrinae pugna dignoscenda est, juxta *Baur,* Librorum N. T. authentia, libri nempe in quibus signa oppositionis inter petrismum et paulismum reperiantur, sunt antiquiores et aetati apostolicae tribuendi; contra illi in quibus talia vestigia non adsint, posteriore aetate sunt scripti.

Recentiores rationalistae docent Evangelium S. Matthaei fuisse desumptum ex quodam primitivo Evangelio, ex effatis Domini (λόγια) a Matthaeo Apostolo exaratis, necnon ex traditione orali vel aliis scriptis; Evangelium S. Marci, maxima ex parte, a primitivo Evangelio, et a traditione orali vel aliis scriptis; Evangelium denique S. Lucae a primitivo Evangelio, ab effatis Domini (λόγια,), et traditione orali vel aliis scriptis. Primitivum Evangelium vocant plures eorum *Proto-Marcum*, quia putant habuisse magnam affinitatem cum actuali Evangelio S. Marci, et ideo hoc Evangelium faciunt antiquius aliis; verum non desunt inter illos, qui dissentiant, et ponant Evangelium Marci in ultimo loco. Quod ad auctores synopticorum attinet, si S. Lucas excipiatur, non sunt illi, quibus tribuuntur. Quod ad tempus scriptionis valde variant, sed nullum ponunt scriptum ante annum 66. aut post annum 117, et ideo, juxta illos, fuerunt exarata ab ano 66 ad 117 (1). In praesenti rationalistae consentiunt tria synoptica, prout nunc adstant, jam fuisse communiter recepta medio saeculo secundo et deinceps.

Quod ad Evangelium S. Joannis attinet, communiter rationalistae affirmant non esse exaratum a S. Joanne Apostolo.

## Thesis I.

### Quatuor Evangelia sunt genuina.

Haec thesis, sicut aliae quatuor quae in eodem articulo inferius subjicientur, est omnino certa etiam historice.

**264.** *Prob. 1.°* Ex *Eusebio Caes.,* Hist. Eccles. l. 3, c. 24 (M, G, 20, 263), dicente: «Et primo quidem Evangelium ipsius (Joannis), universis per orbem terrarum ecclesiis notissimum, sine ulla dubitatione suscipiendum. Quod vero recte et cum ratione quarto illud loco post trium aliorum Evangelia a veteribus collocatum sit, planum fiet hoc modo... Nam *Matthaeus* cum haebreis primum fidem praedicasset, inde ad alias quoque gentes, profecturus, Evangelium suum patrio sermone conscribens, id quod praesentiae suae adhuc superesse videbatur, scripto illis, quos relinquebat, supplevit. Postea vero cum *Marcus* jam et *Lucas* Evangelia sua seorsum singuli edidissent...» Et cap. sequenti, nominat *Evangeliorum quadrigam*, atque de his et de aliis Libris N. T., quos ibi nominat, subjungit. «Et haec quidem communi omnium consensu recepta sunt, ὁμολογουμένα.»

(1) In origine synopticorum explicanda consentit rationalistis Loisy in opere *Autour d'un petit libre.*

Jam vero nulla est prudens ratio, cur hoc Eusebii testimonium non recipiatur: non quia ipse decipere voluerit, quum assignari nequeat causa aliqua hujusce rei; non quia ipse deceptus sit; fuit enim veritatis inquirendae diligentissimus, et in sua potestate habuit et imperii scrinia et antiqua documenta, prout inter peritos receptum est. Accedit quod, ut ipse testatur (eodem loco, l. 5, c. 8, col. 447), sibi specialiter proposuit investigare auctoritatem librorum N. et V. T.

**265.** 2.° Quatuor Evangelia jam ab initio christianismi, et postea constanter sine ulla controversia ab omnibus catholicis admissa sunt ut genuina. Atqui hic universalis et constans catholicorum consensus explicari nequit, nisi re ipsa Evangelia sint genuina. Ergo. *Minor* elucet: quia si Evangelia non essent genuina, consensus de illorum genuinitate usque ad Apostolorum discipulos non se protendisset, quia isti optime noverant quidquid Apostoli et eorum discipuli scripsissent quod ad publicam omnium christianorum utilitatem pertinuisset. Praeterea Apostolorum discipuli, quum de re magni momenti ageretur, non potuerunt non tradere suis immediatis successoribus, et isti suis, et ita deinceps sine intermissione, quidquid Apostoli et eorum discipuli pro fidelium bono scripserint: quare si deinde venissent deceptores, et vellent nova scripta obtrudere tanquam antiqua et apostolica, id sine pugna et controversia consequi non potuissent. Atque ita revera evenit, quemadmodum ex historia Eusebii constat, in scriptis aut spuriis, aut quorum genuinitas non satis liquebat.

*Prob.* itaque *Major* ex variis scriptoribus saeculi II et III, quorum aliqui discipulos immediatos Apostolorum cognoverunt, ut S. Justinus et Iraenaeus; et licet rationalistae jam concedant a medio saeculo secundo Evangelia tria synoptica fuisse communiter recepta, placet tamen hoc ipsum probare, quia est fundamentum ad conficiendum argumentum efficax pro authentia quatuor Evangeliorum.

*S. Justinus* philosophus, qui medio saeculo II martyrium subiit, allegat Evangelia ut libros genuinos et authenticos, ut in 1.ª Apologia, n. 66 (M, G, 6, 430), et in Dial. cum Tryphone, n. 103, col. 718, etc. Item, apol. 1.ª n. 33, col. 385 et Dial. cum Tryphon. n. 88, c. 686.

*S. Irenaeus,* auditor S. Polycarpi, ut ipse ad Florinum scribit (M, G, 7, 1227), a Graecia in Galliam missus et Episcopus Lugdunensis constitutus, Adv. haer. l. 3, cc. 1 et 11 (M, G, 7, 844, 879), quatuor Evangelia specialiter commendat.

*Clemens Alex.* Stromat. l. 3, c. 13 (M, G, 8, 1194), inquit: «Primum quidem, in nobis traditis quatuor Evangeliis non habemus hoc

dictum, sed in eo, quod est secundum aegyptios.» Saepe in Stromat. 11 omnia quatuor Evangelia ut authentica citat.

*Origenes,* medio saeculo III mortuus, vir Sacrarum Litterarum peritissimus, Homil. 7, in 1. Jesu Nave, n. 1 (M, G, 12, 857), inquit: «Veniens vero Dominus noster Jesus Christus, cujus ille prior filius Nave designabat adventum, mittit sacerdotes apostolos suos portantes tubas ductiles, praedicationis magnificam caelestemque doctrinam. Sacerdotali tuba primus in Evangelio suo Matthaeus increpuit. Marcus quoque, Lucas et Joannes suis singulis tubis sacerdotalibus cecinerunt.» Et in Comment. in Matth. t. 1, initio (M, G, 13, 830): «Sicut ex traditione accepi de quatuor Evangeliis, quae sola in universa Dei Ecclesia, quae sub caelo est, citra controversiam admittuntur: primum sc. Evangelium scriptum esse a Matthaeo... qui illud haebraico sermone conscriptum judaeis ad fidem conversis publicavit. Secundum fuisse accepimus Evangelium Marci, qui prout Petrus ipsi exposuerat, in litteras retulit... Tertium Evangelium Lucae, quod a Paulo commendatur... postremum vero Evangelium Joannis.» Item Homil. 1.ª in Luc. (M, 13, 1808 et seq.): «Sicut olim in populo judaeorum multi prophetiam pollicebantur... ita et nunc in Novo Testamento multi conati sunt scribere Evangelia, sed non omnes recepti... Matthaeus quippe, et Marcus et Joannes, et Lucas non sunt conati scribere; sed Spiritu Sancto pleni scripserunt Evangelia. Multi igitur conati sunt ordinare narrationem de his rebus... Ecclesia quatuor habet Evangelia, haereses plurima... Multi conati sunt scribere; sed et multi conati sunt ordinare. Quatuor tantum Evangelia sunt probata, e quibus sub persona Domini et Salvatoris nostri sunt proferenda dogmata.»

In scripto quodam anonymo, quod a *Muratorio* primo fuit editum, quodque juxta criticos ad saeculum II spectat, inter alia haec traduntur (M, L, 3, 181): «Tertium Evangelii librum secundum Lucam... Quartum Evangeliorum Joannis...» Ubi aperte supponuntur primum et secundum Evangelium; et tantum quatuor admittuntur, quia, quum ibidem recenseantur fere omnes libri N. T., non indicantur nisi quatuor Evangelia, et post enumerationem quarti ad alios libros designandos fit gradus.

*Tertullianus,* Adv. Marcian. l. 4, c. 2 (M, L, 2, 392), inquit: «Denique nobis fidem ex Apostolis Joannes et Matthaeus insinuant; ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant...» Et eodem loco, c. 5, col. 395: «Dico itaque apud illas, nec solas jam apostolicas, sed apud universas, quae illis de societate sacramenti confoederantur, id Evangelium Lucae ab initio editionis suae stare, quod cum maxime

tuemur: Marcionis vero plerisque nec notum; nullis autem notum, ut non eo damnatum... Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum caeteris quoque patrocinabitur Evangeliis, quae proinde per illas habemus, Joannis dico et Matthaei, licet et Marcus, quod edidit, Petri affirmetur, cujus interpres Marcus: nam et Lucae Digestum Paulo adscribere solent.»

Postremo *S. Cyprianus,* Ad Jubaianum, n. 10 (M, L, 3, 1161) inquit: «Ecclesia paradisi instar exprimens arbores fructiferas intra muros suos intus includit... Has arbores rigat quatuor fluminibus, id est, Evangeliis quatuor...»

Quocirca constat indubie ex testimoniis allatis major probanda, sc. jam ab initio christianismi, i. e. saltem versus finem saeculi II et deinceps, quatuor Evangelia fuisse recepta ab omnibus catholicis per omnes fere regiones sparsis. Quod vero ex eo quod Evangelia ad finem saeculi II essent universaliter recepta, inferatur illorum genuinitas, in probatione minoris ostensum est. Quod nunc ita magis declaratur: 1.° quia illi auctores genuinitatem attestantes nituntur auctoritate Ecclesiarum apostolicarum, in quibus constanter conservata fuit ea traditio. 2.° scriptores antiquiores pertinentes ad finem saeculi I et initium saeculi II ad quatuor Evangelia se referunt, ut de singulis Evangeliis agendo, ostendetur.

**266.** Dices.—Uniformitas in Evangeliis recipiendis erat inter catholicos, non autem inter omnes christianos. Ergo argumentum allatum non est efficax.

*Resp. Trans. Ant.* et *N. Cons.* Nam catholici suam consensionem ex traditione apostolica repetebant, et aliunde tam universalis in ea re conspiratio, quum catholici in omnibus ferme regionibus haberent ecclesias, non explicatur, nisi factum genuinitatis admittatur. *Transmisi Ant.,* quia etiam haeretici genuinitatem Evangeliorum admittebant, ut Irenaeus et Eusebius inferius adducendi testantur.

Ea quae de traditione Apostolica non interrupta indicata sunt, ab ipsis Patribus expresse confirmantur. Sic *Tertullianus,* Adv. Marcion. l. 4, c. 5 (M, L, 2, 395 et seq.) ait: «In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod est ab initio, id ab initio quod ab Apostolis; pariter utique constabit, id esse ab apostolis traditum, quod apud Ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum.» Et ad finem ejusdem capitis dicit: «His fere compendiis utimur, cum de Evangelii fide adversus haereticos experimur, defendentibus et temporum ordinem posteritati falsariorum praescribentem, et auctoritatem ecclesiarum traditioni Apostolorum patrocinantem: quia veritas falsum praecedat necesse est, et ab eis procedat, a quibus tradita est.»

Et *S. Irenaeus,* Contra haer. l. 3, c. 3 (M, G, 7, 848), dicit: «Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre: et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his (Marcionitis et Valentinianis) deliratur.»

**267.** 3.° **Ex argumentis intrinsecis seu ab ipsis scriptis desumptis.**—Nam lingua, qua Evangelia exarata sunt, eorum stilus, indicationes vel descriptiones personarum, locorum, sectarum vigentium; item quae de judaeorum studiis, moribus, nummis aliisque similibus narrantur, omnia tum indoli scriptorum, tum tempori, loco, personis ipsique veritati ex aliis fontibus notae concordant, ut in *Introductione* ad S. Scripturam demonstrari solet. Haec autem consonantia validum est argumentum genuinitatis Evangeliorum, praesertim quia ea aetate Judaea multas passa est mutationes, et ideo scriptor non coaevus vix accommodari posset circumstantiis loci, temporis, etc. in quibus Christus et Apostoli vixerunt.

**268.** 4.° **Ex evangeliis apocryphis.**—Fuerunt primis Ecclesiae saeculis multa evangelia, prout eruitur ex S. Irenaeo, L. 1, cont. haer. c. 20 (M, G, 7, 654), Origine, In Luc. homil. 1, (M, G, 13, 1802) aliisque, et tamen Ecclesia jam ab initio nonnisi quatuor ut genuina admisit, cetera tamquam apocrypha rejecit. Ergo Ecclesia Evangelia cum selectione admisit, atque ideo ejus auctoritas in favorem quatuor Evangeliorum inde majus robur accipit. Ad rem dicit *Origenes*, loco proxime laudato, col. 1803: «Scio quoddam Evangelium, quod appellatur secundum Thomam, et juxta Mathiam, et alia plura legimus, ne quid ignorare videremur... Sed in his omnibus nihil aliud probamus, nisi quod Ecclesia, id est quatuor tantum Evangelia recipienda.»

5.° *a)* Ex haereticis qui quum Evangeliis impugnarentur, eorum genuinitatem non inficiabantur, sed aut ea adulterabant, aut in suam sententiam accommodabant, aut apostolos falsa tradidisse asserere audebant, qui quidem agendi modus Evangelia esse genuina confirmat. Jam vero haereticos ex Evangeliis impugnari, ex scriptis PP. priorum saeculorum liquet; illos vero Evangelia esse genuina non inficiari, generatim tradit *S. Irenaeus,* Contra haeres. l. 3, c. 11, n. 7, (M, G, 7, 884) his verbis: «Tanta est autem circa Evangelia haec firmitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam.» Speciatim de Tatiano asserit *Eusebius Caes.*, Hist. eccles. l. 4, c. 29, (M, G, 20, 402), ubi tradit illum ex quatuor Evangeliis unum composuisse; de Valentino testatur *S. Irenaeus*, Contr. haer. L. 1, cc. 7,

8, et 9; de Basilide, Philosophumena, l. 7, n. 20 et seq. (M, G, 16, 3301), etc.

*b*) Ex pagano *Celso*, qui saeculo II vixit. Is, ut eruitur ex libris, quos Origenes contra illum edidit (M, G, 11, 642 et seq.), quamvis Evangeliorum veritatem impugnare conatus sit, tamen eorum genuinitatem supponit; unde nec Origenes in eius defensionem aliquid dicit.

*c*) Ex rationalistarum discordia; quod enim ab uno tanquam sui systematis fundamentum circa Scripturas ponitur, ab aliis rejicitur: sic *Strauss* Paulum refutat, et alii alios.

*d*) Quum rationalistae admittant ad finem saeculi secundi et deinceps quatuor Evangelia fuisse communiter recepta, quaero ab eis, quomodo hic communis christianorum consensus de eorum authentia explicatur, si authentica non fuerint? quomodo communiter tribuuntur auctoribus falsis, et veri ignorantur? cur scriptores saeculi secundi et tertii hac in re decepti sunt, quum plura media quam nos ad recte judicandum haberent, et authentiam a legitima traditione repetant?

## Thesis II.

### Evangelium secundum Matthaeum est genuinum.

Nota.—Evangelium Matthaei esse genuinum primus Faustus manichaeus negavit, levissima quidem ratione ductus, nempe quia de se ipso loquens tertiam personam usurpet; saeculo XVI id ipsum anabaptistae inficiati sunt; postremo plures protestantes et rationalistae saeculo transacto hoc ipsum negarunt. Verum posita thesis sive theologice, sive historice omnino certa est, prout supra indicatum est.

**269.** *Prob. 1.°* Ex *Papia*, Episcopo Hierapoleos in Phrygia, qui, prout testatur Euseb. Caes., Hist. eccl. l. 3, c. 59 (M, G, 20, 299), ita de Matthaei Evangelio loquitur: «Matthaeus quidem hebraico sermone divina scripsit oracula.» Graece dicitur: Ματθαῖος μὲν οὖν ἑβραΐδι διαλέκτω τὰ λόγια συνεγράψατο. Haec autem verba ad Matthaei Evangelium referri, imprimis ex sensu obvio id erui videtur; deinde ita intellexit Eusebius, qui mentem Papiae bene perspexerat, siquidem illius integros libros habuit. Quod vero Eusebius modo dicto intellexerit, constat; nam postquam retulit Papiam testatum esse de Marci Evangelio, addit *de Matthaeo vero*, et transcribit verba antea allata. Aliunde Papias ex una parte erat vir bonus et verax, ut universa traditio de illo testatur; ex altera vero bene novit ea, quae de Matthaeo affirmat, utpote qui ea ex immediatis Apostolorum discipulis acceperit, prout tradit Eusebius, loco antea laudato, et S. Ire-

naeus, L. 5, contr. haer. c. 33 (M, G, 7, 1214) ita loquitur: «Haec autem et Papias Joannis auditor, Polycarpi autem contubernalis, vetus homo, per Scripturam testimonium perhibet...» Quocirca Papiae testimonio standum est, quum de re agatur, quae etiam cum mediocri ingenio facile et recte cognosci poterat.

Dices.—Papias adhibet vocabulum τὰ λόγια, quod quidem solum sermones seu praedictiones Domini significat, et ideo non ad Matthaei Evangelium se refert, sed ad collectionem quamdam sermonum Domini a Matthaeo confectam. Ergo Papiae testimonium pro Matthaei Evangelio nihil evincit.

*Resp.* Vocabulum τὰ λόγια quamvis saepe ad significandos solum sermones adhibeatur, non raro tamen sensu ampliore ad sermones et alias res simul denotandas usurpatur. Sic *S. Paulus*, ad Rom. III, 2, vocat Vetus Testamentum τὰ λόγια τοῦ θεοῦ; et *S. Irenaeus*, Cont. haer. in proem. n. 1, dicit falsare τὰ λόγια de iis, qui Scripturas falsabant. Quod vero Papias vocabulum λόγια sumpserit sensu latiore, evincitur: 1.° quia illud ad aliquod Matthaei opus manifeste alludit; si vero ad Evangelium non alludit, non potest aliud Matthaei opus designari ad quod referatur; quum alterius operis ipsius nullum vestigium in tota antiquitate reperiatur; 2.° quum loquitur de S. Marci Evangelio (*Funk*, Oper. PP. Apost. vol. 2, p. 286), dicit: σύνταξιν τῶν κυριακῶν λογίων, ut eorum, quae a Christo dicta et gesta sunt, ordinem designet; quare λόγιον latiore sensu accipit. Item operi ab ipso exarato hunc titulum apposuit. sc.: λογίων κυριακῶν ἐξήγησις, (*Euseb.* Hist. eccles. l. 3, c. 39, Mign. 20, p. 296); jam vero in opere illo, ut ex fragmentis quae remanent, liquet, Papias agit et de dictis et de gestis a Christo, ideo λόγιον late sumitur. Ex quibus elucet Papiam nonnunquam vocabulum λόγιον latiore sensu accipere, et ideo etiam quum de S. Matthaei scriptis loquitur, simili modo sumpsisse putandum est.

*b*) Ex *Pantaeno*, qui saeculo II floruit, et de quo ita loquitur Eusebius, Hist. eccl. l. 5, c. 10 (M, G, 20, 455). «Pantaenus ad Indos usque penetrásse dicitur, ibique Evangelium Matthaei, quod adventum ipsius jam praevenerat, apud quosdam Christi notitia imbutos reperisse; quibus sc. Bartholomaeus, unus ex duodecim apostolis, olim, ut fama est, praedicaverat, et Evangelium Matthaei hebraicis conscriptum litteris reliquerat; quod quidem ad praedicta usque tempora servatum esse memoratur. Hic ergo Pantaenus post multa praeclare gesta, tandem Alexandrinae praefuit scholae, ubi partim viva voce, partim scriptis, divinorum dogmatum thesauros exposuit.»

**270.** 2.° Ex PP. qui saeculo I et II floruerunt. In Epistola, quae

*S. Barnabae* tribui solet, scripta saec. I vel initio secundi, c. 4, n. 14, (*Funk*, vol. 1, ed. 1, p. 13) dicitur: «Sicut scriptum est, *multi vocati, pauci vero electi.*» Haec autem verba scripta reperiuntur apud Matt. XX, 16; ac proinde auctor memoratae epistolae Evangelium Matthaei cognovit.

*S. Clemens Rom.* in 1.ª Epist. ad *Corinth.* c. 46, n. 8 (*Funk*, v. 1, ed. 1, p. 121) ad ea, quae apud Matth. XXVI, 24 et XVIII. 8 scripta sunt, manifeste alludit. 2.ª vero epistola, c. 2, n. 4 (*Funk*, v. 1, ed. 1, p. 147), quae eidem Clementi ab aliquibus tribuitur, quaeque etsi illius non sit, videtur primo saeculi II dimidio exarata, alludit ad Matthaeum, IX, 13, his verbis: «Alia quoque Scriptura ait: *Non veni vocare justos, sed peccatores.*» In eadem Epistola fit allusio, c. 3, n. 2 et c. 6, n. 2. (*Funk*, 1, 149, 151) ad Matth. X, 32; XVI, 26, etc.

*S. Ignatius* Martyr in suis epistolis non semel ad Matthaei Evangelium se refert. Sic in Epist. ad *Smyrn.* c. 1, n. 1, (*Funk,* 1, 235) alludit ad III, 15, Matth.; c. 6, n. 1, (*Funk,* p. 239) ad XIX, 12; in Epist. ad *Ephes.* c. 14, n. 2 (*Funk,* p. 185) ad XII, 33; in Epist. ad *Polycarpum,* c. 2, n. 2, (*Funk,* p. 247) ad X, 16; etc.

*S. Polycarpus* in sua Epist. ad *Philipp.* c. 2, n. 3, etc. 7, n. 2, (*Funk,* 1, 269, 275) se refert ad Matth. V, 3, 10; VII, l. 2; VI, 13; XXVI, 41, etc.

In scripto, cui titulus *Doctrina duodecim apostolorum,* quodque juxta criticos ad saeculum I aut initium II pertinet (*Funk*, v. 1, p. CXXXV et seq), pluries allegatur Matthaei Evangelium. Speciatim c. 8, n. 2 (*Funk,* v. 1. p. CLIX) traditur: «*Neque orate sicut hypocritae*, sed sicut praecepit Dominus in Evangelio suo, *ita orate...*», et continuo adjungitur oratio dominica prout habetur apud Matth. VI, 9 et seq. Item c. 8, n. 3, p. CLXXII, dicitur: «Arguite autem vos invicen, non in ira, sed in aequanimitate, sicut habetur in Evangelio»; quae quidem ad Matth. Evangelium, V, 22 et seq., alludunt. Similiter eodem loco n. 4, legitur: «Orationes vestras et eleemosynas omnesque actiones ita facite, sicut habetis in Evangelio Domini nostri»; haec autem ad Matth. Evangelium, VI, se referunt.

*S. Justinus* Martyr in suis scriptis Evangelium Matth. saepe citat, ut videre est in 1.ª Apol. nn. 15, 16, 17. etc, (M, G, 6, 350 et seq.). Nec dicat quis S. Justinum non Matth. Evangelium allegare, sed collectionem quamdam sermonum Domini a Matthaeo confectam; nam textus etiam V. T. a S. Justino prout in Evangelio Matthaei habentur, afferuntur, ut patet ex 1.ª Apol. n. 33, col. 382, ubi citatur *Isaias*, VII, 14, sicut apud Matth. I, 23, reperitur; et eodem loco, n. 34, *Michaeas*, V, 2, adducitur ut est in Matth. II, 6, et in Dial.

cum Tryphone, n. 78 (M, G, 6, 659) laudatur *Jeremias*, XXXI, 15, eodem modo ac adest apud Matth, II, 18. Accedit quod *Collectio* illa a S. Matth. confecta, quatenus ab Evangelio sit distincta, est res conficta et solido fundamento carens.

*Athenagoras*, philosophus atheniensis; in Legat. pro christianis quam Marco Aurelio obtulit, aperte. nn. 11 et 32 (M, G, 6, 911, 963) citat Evangelium Matth. V, 44, 28.

*Theophilus Antiochenus*, Ad Autolycum, l. 3, n. 13 (M, G, 6, 1139) dicit: «Vox autem evangelica intentius de castitate praecipit his verbis»; et subjungit quod reperitur apud Matth. V, 28, 32. Item eodem loco, n. 14, tradit *Evangelium autem inquit*, et continuo ponit verba quae adsunt apud Matth. V, 44, 46. Asserit *S. Hieron.* se legisse ejusdem commentarios in Matth. his verbis (M, L, 26, 19): «Legisse me fateor ante annos plurimos in Matthaeum... et Theophili Antiochenae urbis episcopi Commentarios...» Et idem *Doctor,* in Epist. CXXI ad Algasiam, c. 6 (M, L, 22, 1020) inquit: «Theophilus Antiochenae Ecclesiae septimus post Petrum Apostolum Episcopus, qui quatuor Evangelistarum in unum opus dicta compingens...»

Denique *S. Irenaeus* laudatus, n. 265, pluribus in locis loquitur de quatuor Evangeliis tanquam genuinis, et inter alia L. 3, contr. haer. c. 1, (M, G, 7, 844) inquit: «Matthaeus in hebraeis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii...»

Ex testimoniis autem adductis indubium est Evangelium Matthaei fuisse agnitum ut genuinum a PP. I et II saeculi, atque ideo ut tale est agnoscendum, quum illi scriptores rem bene noverint, neque ulla adest ratio propter quam fallere voluerint. Praetermitto PP. testimonia ad finem saeculi II pertinentia aliaque posteriora; nam ipsi adversarii, ut supra jam dictum est, confitentur Evangelium Matthaei ad finem saeculi II et postea tanquam genuinum fuisse receptum.

**271.** *Obj. 1.°* In Matthaei Evangelio circumstantiae loci, temporis aliaeque similes parum determinantur, nullusque ordo chronologicus servatur. Atqui haec ostendunt Evangelium ab oculato teste non esse exaratum. Ergo.

*Resp. C. Maj.* et *N. Min.* Haec enim nihil evincunt contra documenta historica, quae primi Evangelii genuinitatem certo demonstrant. Ratio vero cur S. Matthaeus plures circumstantias omittat, et minus dilucide narrat ea, quorum fuit oculatus testis, haec potuit esse, nempe, et quia ad scopum sibi propositum non faciebant, et modus dicendi illi peculiaris. Similiter chronologiam non servat, quia ejus scopus non erat scribere vitam et historiam Jesu, sed Judaeis Christum esse verum Messiam demonstrare. Plures aliae conjecturae

a rationalistis contra genuinitatem primi Evangelii adducuntur, sed quia non ostendunt S. Matthaeum Apostolum non potuisse primum Evangelium quoad substantiam, prout nunc habetur, scribere, pro nihilo, si cum traditione constanti conferantur, aestimandae sunt.

**272.** *Obj. 2.°* Primum Evangelium tertio non consentit, nam in illis haec praeter alia reperiuntur contradictiones: 1.° in genealogia Christi describenda; 2.° in anxietate, quam, prout ex Matthaeo, I, 19 eruitur, S. Joseph propter Virginis Mariae graviditatem habuit; 3.° in Magorum adventu et adoratione. Ergo si unum ex illis Evangelium est genuinum, alterum repudiandum est.

*Resp. N. Ant.;* nulla enim in his quae objiciuntur, adest contradictio, prout singulis respondendo apparebit, praeterquam quod, quamvis in levioribus rebus contradictio aliqua adstaret, non inde unum ex Evangeliis apocryphum probaretur.

Jam veniendo ad singula, quoad 1.m non una est auctorum explicatio; sed, juxta communiorem sententiam, Matthaeus S. Josephi genealogiam texit secundum originem per naturalem generationem; Lucas vero ejusdem S. Josephi genealogiam tradit secundum leviratus legem, vi cujus frater uxorem demortui fratris accipere debebat, ac proles, quae inde nascebatur juxta legem habebatur tanquam fratris jam demortui. Ideo S. Joseph erat filius legalis Heli et naturalis Jacob. Heli autem et Jacob erant fratres ex parte matris dumtaxat; genealogia vero a Matthaeo recensetur ex parte patris Jacob; at a Luca ex parte patris Heli, et idcirco usque ad David diversa evadit.

Quoad 2.m nihil in S. Luca reperitur, quod a S. Matthaeo traditis repugnet; quamvis enim S. Elisabeth (Luc. I, 43) miraculosam Virginis Mariae conceptionem cognoverit, non ideo hoc in notitiam S. Josephi venit, qui, etsi aliqua ex iis, quae domi Elisabeth evenerant, sciverit, non ideo omnia cognovit; et speciatim, quae ad Mariae conceptionem attinebant, illi adhuc occulta manere potuerunt.

Quoad 3.m omnia convenienter explicantur, si ponimus Joseph et Mariam post purificationem in templo hierosolymitano peractam perrexisse Nazareth, solumque brevi tempore illic habitasse, ut res disponerent ad domicilium Bethlehem transferendum. Idcirco paulo post Bethlehem iterum profecti sunt animo ibidem perpetuo commorandi; verum propter Herodis insectationem non diu ibi permanserunt, sed in Aegyptum fugere coacti sunt. Magorum autem adventus et adoratio in hac bethlehemitica commoratione secunda evenit, et sic nihil in S. Luca quod repugnet, reperitur. Licet enim juxta S. Lucam post purificationem Joseph et Maria Nazareth perrexerint, verum non ut ibi permanerent; postquam vero Bethlehem redierunt, Puer

est a Magis adoratus, et Angelus Josepho fugam in Aegyptum intimans apparuit.

**273.** *Obj. 3.°* Duo priora capita in nonnullis codicibus desunt. Ergo saltem eorum capitum certitudo historica non datur.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Nam haec etiam duo capita in codicibus et versionibus antiquissimis adsunt, et paucissimi sunt codices, qui illa non contineant. Si aliqui haeretici, ut Ebionitae, ea rejecerunt, ideo fuit, quia illorum erroribus repugnabant.

**274.** *Obj. 4.°* Evangelium primum quod adstat, primitus scriptum est graece; tum quia id magna styli similitudo cum Marci Evangelio graece scripto ostendit, tum quia V. T. ex alexandrina versione saepe allegatur. Ergo non est S. Matthaei opus, nam hic auctor graece scripsisse non probatur.

*Resp. N. Ant.;* constat enim primum Evangelium hebraice vel potius aramaice fuisse scriptum; nam id testantur Papias, n. 269, Pantaenus, eodem loco, Irenaeus, n. 270, supra allati. Cum iisdem consentit Origines, etiam supra allatus, n. 265. Atque in eamdem sententiam ceteri Patres, qui hanc rem attigerunt, abeunt.

Rationes vero quae in contrarium afferuntur, non difficile enodantur. Similitudo enim styli cum Marco, ex Matthaei interprete originem ducere potest, quod prae manibus Evangelium Marci haberet. Potest id quoque aliunde derivari, licet Matthaei Evangelium originale graece scriptum non statuatur. (Vide *Cornely*, Introd. in N. T. dissert. 1, c. 2, n. 51). Quoad alterum, non est mirum Matthaeum saepe versionem Alexandrinam usurpare, quamvis hebraice scriberet; nam eo tempore in Palaestina et versio Alexandrina et textus hebraicus reperiebatur, atque utrumque in suo pretio erat.

## Thesis III.

### Evangelium secundum Marcum est genuinum.

Nota.—Marcus, cujus nomen erat Joannes (Act. Ap. XII, 12, 25) et Mariae filius ac consobrinus Barnabae (Coloss. IV, 10), fuit socius Pauli (Act. Ap. XIII, 5; II Timoth. IV, 11; Philemon. 24) et S. Petri (I Petr. V, 13). Et quamvis non desint qui duos Marcos ponant, tamen verius est unum tantum fuisse. (Vid. *Cornely*. Intr. in N. T. diss. 1, c. 1, § 3, n. 23). Evangelii Marci genuinitatem rationalistae pluresque protestantes inficiantur, licet plures faciant illud antiquius aliis synopticis.

**275.** *Prob. 1.°* Ex Papia, qui prout refert Eusebius Caes. Hist.

eccl. l. 3, c. 39 (M, G, 20, 299), nonnulla a Joanne presbytero et discipulo Domini accepta ita scribit: «Ajebat etiam presbyter ille Marcum, Petri interpretem, quaecumque memoriae mandaverat, diligenter praescripsisse; non tamen ordine pertexuisse quae a Domino dicta aut gesta fuerant. Neque enim ipse Dominum audiverat, aut sectatus fuerat unquam. Sed cum Petro, ut dixi, postea versatus est, qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum Domini historiam contexeret, Evangelium praedicabat. Quocirca nihil peccabit Marcus, qui nonnulla ita scripsit, prout ipse memoria repetebat.» Haec autem verba et sensu obvio et ab Eusebio, qui sensum Papiae bene noverat, ad Marci Evangelium referuntur, et ideo de illo accipienda sunt. Accedit quod de nullo alio Marci scripto praeter Evangelium servatur memoria; non est autem credibile ita periisse Marci scriptum de doctrina apostolica, ut nullum illius vestigium maneret, quum fideles ad doctrinam apostolicam spectantia fideliter retinerent, atque alii aliis traderent.

Dices.—In Marci Evangelio ordo chronologicus servatur; contra in scripto de quo loquitur Papias, talis ordo desideratur, ut ipse asserit. Ergo.

*Resp.* In Marci Evangelio habetur chronologicus ordo in pluribus, sed non in omnibus; atque hoc ipsum testatur Papias, quum dicit: «Nonnulla ita scripsit, prout ipse memoria repetebat.»

Dices iterum: Papias testatur Marcum scripsisse Petri praedicationes, non autem Evangelium. Ergo non est genuinum.

*Resp.* Ex Papiae testimonio infertur Marcum accepisse Petri praedicationem tanquam sui Evangelii fundamentum, minime vero scripsisse tantum ea, quae Petrus praedicabat, et multo minus eodem modo et ordine.

**276.** 2.° *Ex aliis PP. S. Irenaeus*, L. 3, cont. haer. c. 1 (M, G, 7, 845) inquit: «Post vero horum excessum, Marcus discipulus et interpres Petri, et ipse quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit.» Et eodem loco, c. 11, plura de Marci Evangelio tradit. *Origenes*, Prooem. in Matth. qui n. 265 adductus est, approbat Evangelium Marci ut genuinum. Item *Tertullianus*, qui etiam jam adductus est eodem n. 265. Denique *Eusebius Caes.*, loco supra ladato, n. 264, postquam de Matthaei, Marci et Lucae Evangeliis mentionem fecit, addit: «Perlatis jam in omnium ipsiusque adeo Joannis notitiam supra dictis tribus Evangeliis, approbavisse ea Joannes, et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur.» Idem *Eusebius*, eodem loco, l. 2, c. 15 (M, col. 471) plura de Marci Evangelio scribit. Item, l. 6, c. 14, col. 551, tradit Clementem

Alex. a *vetustioribus presbyteris* ordinem Evangeliorum accepisse, ibidemque plura ex eodem Clemente deprompta de Marci Evangelio docet.

Ex allatis testimoniis universam catholicam Ecclesiam, saltem ad finem saeculi II et deinceps, Evangelium Marci ut genuinum recepisse manifeste eruitur. Hic autem universalis de hac re consensus explicari nequit, nisi quia Marci Evangelium revera est genuinum; aliter enim inter tam diversas et tam per totum orbem dispersas ecclesias dissensio aliqua adesset. Nec dicas consensum illum explicari eo, quod primi christiani sine ulla investigatione omnia crederent; contrarium enim liquet ex *Irenaeo*, l. 3, adv. haer. c. 3, (M, G, 7, 848), *Tertulliano*, De praescr. c. 21 (M, L, 2, 38) necnon Adv. Marcion. l. 4, cc. 4 et 5 (M, c. 394), *Clemente Alex.*, Stromat. l. 7, c. 17 (M, G, 9, 546), qui omnes normam ad apostolicam doctrinam a non apostolica discernendam tradunt.

**277.** *Obj. 1.°* PP. scriptoresque, qui saeculo primo et prima secundi parte floruerunt, Marci Evangelium non allegant. Ergo signum est genuinum non esse.

*Resp. Trans. Ant.* et *N. Cons.* Ratio, cur Marci Evangelium non allegetur, est, quia fere omnia sunt illi cum aliis Evangeliis communia, et paucissima habet propria. *Trans.* tamen *Ant.*, quia antiquiores PP. memoria et ad sensum saepe adducebant Scripturas, et de auctore mentionem non faciebant; unde quamvis Marcus afferatur, vix id constare potest, quum quoad sensum nihil novi fere habeat. Aliunde constat Tatianum, medio saeculo II, compendium ex quatuor Evangeliis confecisse, prout supra dictum est. Item *S. Justinus*, Dial. cum Tryph. n. 106 (M, G, 6, 724), tradit in *Commentariis Petri* scriptum esse filios Zebedaei fuisse cognominatos Boanerges, i. e. filios tonitrui; hoc autem ad Marci Evangelium (III, 17) alludere manifestum videtur.

**278.** *Obj. 2.°* *S. Irenaeus*, supra allatus, asserit *Post vero horum excessum,* i. e, post mortem Petri et Pauli, ac proinde Marci Evangelium post horum Apostolorum mortem fuit exaratum. Sed hoc non convenit cum ceteris de origine Marci Evangelii loquentibus. Ergo incertum est tempus inscriptionis Marci Evangelii, atque ideo ipsa ejus genuinitas.

*Resp. 1.° Trans. Praemissis, N. Cons.* quoad 2.$^{m}$ partem; nam, etsi Irenaeus ab aliis in tempore scriptionis designando differret, minime quoad Evangelii genuinitatem ab illis differt; quocirca Irenaei testimonium aliis consentit, illisque affirmantibus Evangelium secundum esse genuinum adjungitur.

*Resp. 2.º N. Maj.;* nam vocabulum quod interpres Irenaei latinus vertit *excessum,* in graeco est ἔξοδον; jam vero ἔξοδος, quamvis mortem significare possit, recte ad exitum ex uno loco in alium denotandum usurpatur; atque hoc sensu ab Irenaeo adhiberi existimandum est; nam quum vocabulum in loco controverso profectionem significare possit, is sensus illi tribuendus, ne Irenaeum ab omnibus aliis, qui de ea re scripserunt, sine ulla necessitate, discrepare faciamus. Unde Irenaei verbis iste sensus merito tribui potest, sc. *post apostolorum profectionem seu dispersionem ex Palaestina in varias regiones,* etc.; etenim Irenaeus non multo antea de apostolorum dispersione locutus erat.

**279.** *Obj. 3.º* Ultimum Evangelii Marci caput a v. 9 ad finem non videtur genuinum; desideratur enim in pluribus codicibus, a nonnullis PP. rejicitur, nec scriptionis ratio cum Evangelio reliquo concordat. Ergo.

*Resp. N. Ant.* quod quidem probationes adjunctae non evincunt. Nam illud caput integrum continetur in majore parte codicum originalium et versionum, inter quas latina ad saeculum secundum usque ascendens. Ex PP. graecis ad illud cum approbatione se referunt *S. Justinus,* Apol. 1, n. 45 (M, G, 6, 398), *Irenaeus,* L. 3, contr. haer. c. 10, n. 6 (M, G, 7, 879), aliique. Ex latinis nullum testimonium in oppositum adduci potest, nisi solius *Hieronymi,* qui in Epist. 120 ad Hedibiam, c. 3 (M, L, 22, 987), genuinitatem ultimae partis c. 16 dubiam existimat; verum ipse Hieronymus aliter sentire videtur in Dial. adv. Pelag, l. 2, n. 15 (M, L, 23, 550) inquiens: «In quibusdam exemplaribus et maxime in graecis codicibus juxta Marcum in fine Evangelii scribitur...» et statim v. 14, c. 16, Marci allegat. Praecipuum argumentum in oppositum est auctoritas Eusebii Caes., qui Quaest. ad Marinum, q. 1, n. 1 (M, G, 22, 938), ultimum Marci caput a v. 9 ad finem ponit tanquam dubium; at in re praesenti auctoritas ipsius est minoris momenti, quia quaestionem non ut criticum et historicum, sed ut Scripturae interpretem tractat. Idcirco dubium Eusebii aliorumque paucorum, qui in ejus testimonio fundari videntur, tot codicibus et PP. contrarium testantibus cedere oportet. Denique ex scribendi ratione nihil certum contra genuinitatem versuum controversorum erui potest, nec mirum est in illis paucis versibus non reperiri quaedam vocabula, videlicet εὐθύς et πάλιν, quae frequenter a S. Marco adhibentur.

## Thesis IV.

**Evangelium secundum Lucam est genuinum.**

**280.** *Prob. 1.°* ex PP. qui ante ultimum saeculi secundi tertium scripserunt. *S. Clemens Rom.* Epist. 1. ad Cor. XLVI, 8, (*Funk,* 1, 161) ad v. 2, c. 17 alludit; et 2.ª etiam ad Cor. c. 8, n. 5, et c. 13, n. 4 (*Funk,* 1, 155, 161) ad v. 10, c. 16, et v. 32, c. 6. Et quamvis haec secunda epistola non sit Clementis, saltem est antiquissima. Item *S. Polycarpus,* Epist. ad Philipp. c. 2, n. 3 (*Funk,* 1, 269) ad v. 20, 36 et seq. c. 6 se refert.

*S. Justinus M.* multa habet ex Lucae Evangelio deprompta; in specimen pauca aliqua eaque clariora afferam. In Apol. 1, n. 33 (M, G, 6, 382) inquit: «Quemadmodum docuerunt, qui omnia ad Salvatorem nostrum Jesum Christum pertinentia litteris mandarunt...» et immediate ante haec verba c. 1 Lucae, vv. 31 et 32 allegat. Item in eadem apol. n. 66 (M, c. 430) dicit: «Nam apostoli in Commentariis suis, quae vocantur Evangelia...» et postea adducit verba institutionis Eucharistiae, ponitque aliqua verba, quae in solo Luca reperiuntur. Nec mirum est dicere apostolos in suis Commentariis; nam evangelia Marci et Lucae possunt quoque vocari Apostolorum, quia praecipue res a Petro et Paulo acceptas continent. Rursus in Dial. cum Tryph. n. 103 (M, G, 6, 718), tradit: «Nam in comentariis, quos ab ejus apostolis eorumque discipulis scriptos dico, proditum est sudorem, veluti guttas sanguinis, ex eo defluxisse...»; hujus vero sudoris sanguinei solus Lucas, c. 22, v. 44, mentionem facit. Denique in eodem Dial. n. 105, col. 722, scribit: «Nam cum spiritum in cruce redderet, dixit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum,* ut ex apostolorum commentariis id quoque didici»; haec autem verba unicus Lucas, c. 23, v. 46 refert.

*Theophilus Antioch.* l. 2, ad Autolyc. n. 13 (M, G, 6, 1071) v. 27, c. 18 Lucae adducit, et *S. Hieron.* Epist. ad Algas. 121, c. 6 (M, L, 22, 1020) refert ab illo fuisse commentatam parabolam, quae unice a Luca, c. 16, traditur.

Denique Ecclesiae *Viennensis* et *Lugdunensis* paulo post medium saeculum secundum, Epistola ad ecclesias Asiae (Apud Euseb. Caes. Hist. Eccles. l. 5, c. 1 (M, G, 20, 411) ad c. 1, v. 6, tertii Evangelii manifeste alludunt.

Jam vero allegationes allatae a PP. illis cognosci et probari

tertium Evangelium manifeste evincunt; et ideo genuinum dicendum est, quum illi PP. apostolis fuissent omnino propinqui.

**281.** 2.° Ex PP. saeculi II exeuntis et initii III. *S. Iren.* l. 3, cont. haer. c. 1 (M, G, 7, 845) aît: «Et Lucas autem sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur Evangelium in libro condidit.» Et inferius, c. 11, n. 8, col. 887: «Id (Evangelium) vero, quod est secundum Lucam, quoniam quidem sacerdotalis characteris est, a Zacharia sacerdote sacrificante Deo inchoavit.» Fragmentum a Muratorio editum, jam supra n. 265 laudatum, dicit: «Tertium Evangelii librum secundum Lucam. Lucas iste medicus...» Huc quoque faciunt Origenes et Tertullianus supra eodem loco laudati. Item *Clem. Alex.* Strom. L. 1, c. 21 (M, G, 8, 886) auctoritate Evangelii nixus allegat ea, quae apud Luc. c. 3, initio, scripta sunt. Vide etiam Eusebium, Hist. eccl. l. 6, c. 25, et l. 5, c. 8 (M, G, 20, 583, 450).

Jam vero hic unanimis ecclesiae occidentalis et orientalis in Lucae Evangelio admittendo consensus, et tum temporis, cum traditiones apostolicae adhuc tenaciter conservabantur, explicari nequit, nisi quia de hac re traditio apostolica revera existebat.

**282.** 3.° Ex haereticis ad saeculum secundum spectantibus. Nam haeretici isti Evangelium Lucae ut genuinum agnoverunt, sed illud adulterarunt, vel sinistre interpretati sunt. Sic Basilides in suum sinistrum sensum commentatus est ea, quae apud Lucam, I, 35, scripta reperiuntur, ut constat ex Philosophum. l. 7, n. 26 (M, G, 16, 3316). De Valentino dicit Irenaeus, Cont. haer. l. 3, c. 14, n. 3 (M, G, 7, 916): «Et alia multa sunt, quae inveniri possunt a solo Luca dicta esse, quibus et Marcion et Valentinus utuntur...»; et de eodem innuit *Tertullianus,* De praescrip. c. 38 (M, L, 2, 62) quatuor Evangelia admittere. Ex Theodoti scriptis *Clem. Atex.,* Excerpta, 1, 9, 16, etc. (M, G, 9, 652) plures falsas Lucae interpretationes desumpsit; atque idem *Clemens,* Strom. l. 4, c. 9 (M, G, 8. 1282) ex Heracleone perversam intelligentiam Lucae, c. 12, v. 8, adducit. Denique de Marcione, praeter laudata supra, asserit *S. Irenaeus,* Adv. haer. l. 3, c. 11, n. 7 (M, G, 7, 884): «Marcion autem id quod est secundum Lucam circumcidens...»; et de eodem *Tertullian.* Adv. Marcion. l. 4, c. 2 (M, L, 2, 392); «Lucam videtur Marcion elegisse quem caederet.»

**283.** *Obj. 1.°* In capite secundo, v. secundo tertii Evangelii, ubi Christi nativitas narratur, traditur descriptio facta a praeside Syriae Cyrino. Atqui descriptio facta fuit a Cyrino pluribus post Christi nativitatem annis, ut eruitur ex Fl. Josepho, Ant. l. 17, c. 15, n. 5, et l. 18, c. 1 et sq. Ergo fallitur auctor tertii Evangelii, ac

proinde non est S. Lucas, qui tempus illius descriptionis optime noscere potuisset.

*Resp. 1.º* Quamvis argumentatio esset vera, non inde aliquid contra tertii Evangelii genuinitatem concluderetur; quilibet enim auctor, etiam probus, diligens et coaevus, circa rem aliquam particularem decipi potest.

*Resp. 2.º C. Maj.* et *D. Min.:* descriptio de qua loquitur S. Lucas in loco objecto est facta pluribus annis post Christi nativitatem, *N.*; alia, *C.* et *N. Cons.* Imprimis silentium Josephi, Taciti, Suetonii et Dio Casii oppositum non evincunt, constat enim hos auctores non omnia alicujus momenti referre. Deinde tria sufficienter probantur, sc.: Augustum fecisse descriptionem Imperii, hanc in Judaea quoque peregisse, et denique Cyrinum bis praefecturam Syriae tenuisse, ex quibus narrationem tertii Evangelii esse veridicam colligitur.

1.um est Augustum totius imperii peregisse descriptionem; nam Suetonius, D. Augustus ad finem l. 2, dicit: «Tribus voluminibus... Augustus complexus est... tertio breviarium totius imperii, quantum militum sub signis ubique esset, quantum pecuniae in aerario et fixis et vectigaliorum residuis. Adjecit et libertorum servorumque nomina a quibus ratio exigi posset.» Et Tacitus, An. l. 1, c. 11, tradit Tiberium post Augusti mortem proferri et recitari jussisse coram senatu libellum de statu imperii ab Augusto confectum, ita scribens: «Quum proferri libellum recitarique jussit. Opes publicae continebantur; quantum civium sociorumque in armis: quot classes, regna, provinciae, tributa, aut vectigalia, et necessitates ac largitiones, quae cuncta sua manu perscripserat Augustus...» Jam vero si Augustus *breviarium* seu *libellum* status totius imperii confecit, certe de totius imperii descriptione peragenda decretum edidit. Tamen hoc decretum executioni mandatum in omnibus locis simul non fuisse videtur, sed successive et plurium annorum decursu.

Alterum est Augustum in Herodis regno ac proinde in Iudaea descriptionem fieri, potuisse jubere; nam Herodes, quod partes Antonii secutus esset, sola Augusti gratia regnum conservavit, et ideo huic erat subjectus, prout eruitur ex Josepho, Ant. l. 15, c. 6, nn. 6 et 7; c. 9, nn. 5 et 6; item l. 16, c. 9, n. 3; c. 11, n. 1, et seq. etc.

Quod vero Imperatoris Romani jussu descriptio eo tempore, quo tertium Evangelium indicat, revera in Judaea acta fuerit, testantur Justinus et Tertullianus, et uterque non ex solo Evangelio notitiam deprompsit, quum alia addat, imo Justinus ut de re nota in romana curia loquitur. *Tertullianus* ita scribit, Adv. Marcion. l. 4, c. 19. (M, L, 2, 434): «Sed et census constat actos sub Augusto nunc in

Judaea per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus (Christi) inquirere potuissent.» Et *Justinus*, Apol. 1, n. 34 (M, G, 7, 283) ita Imperatorem alloquitur: «Ubi natus est Jesus Christus, quemadmodum et ex descriptionibus census discere potestis, quae sub Cyrinio, primo vestro in Judaea praeside, confectae sunt.» Nec refert Tertullianum Saturninum census auctorem facere; nam potuit census a Saturnino incipi, a Varo continuari et a Cyrino ad finem perduci. Tertium vero Evangelium de Cyrino seu Quirinio potius loqui videtur, quia hic in Judaea notior erat, quod postea, quum Archelaus exulasset, primus Romanorum praeses in Judaea fuerit.

Tertium est Cyrinum bis Syriae praefecturam tenuisse. Id probabiliter eruitur ex Tacito, Ann. l. 3, c. 48, ubi scriptum est: «Quirinus... impiger militiae, et acribus ministeriis consulatum sub Divo Augusto; mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus; datusque rector C. Caesari Armeniam obtinenti...» His autem verbis innuitur Cyrinum fuisse praesidem Ciliciae, et ideo etiam Syriae, quia hae regiones tunc temporis ab eodem praeside administrabantur; et quidem antequam datus fuit rector C. Caesari, qui, ut tradunt historici, quatuor sexve annis post Christi nativitatem et Herodis mortem juvenis interiit; nam ex adjunctis iste C. Caesar non potest esse nisi filius M. Agrippae et Juliae, filiae Augusti. Quocirca Cyrini praefectura de qua loquitur Tacitus, non potest eadem esse, quam Josephus, Ant. L. 17, c. 15, et l. 13, c. 1, commemorat; nam haec, prout ex eodem Josepho, locis laudatis, infertur, illi post decenniun circiter a morte Herodis impertita est. Unde sequitur ut Cyrinus bis Syriae praeses fuerit. Id ipsum, ut scribit *Vigouroux,* Les. livr. Saint. et la crit. rat. 2. p. l. 5, a. 3, inscriptione apud Museum Lateranense reperta confirmatur; nam in illa expresse asseritur de Cyrino *iterum Syriam obtinuisse.* Jam vero descriptio a tertio Evangelio narrata peragenda fuit, quum primo Syriam Cyrinus obtinuit, et ideo ab Evangelio vocari videtur *prima*, ut ab altera distinguatur, quam ipse Quirinius postea perfecit, et de qua loquitur S. Lucas, Act. Ap. V, 37, ubi dicitur *in diebus professionis* (i. e. juxta textum graecum, *descriptionis*).

Ex dictis igitur concluditur descriptionen in Judaea a Cyrino bis fuisse peractam, et S. Lucam in Evangelio de prima mentionem facere, ejusque narrationem Josepho, quum hic de altera loquatur, non contradicere, atque veridicam existere.

Denique verisimile est censum in Palaestina ad judaeorum mores fuisse factum, solosque viros et mullieres haeredes fuisse descriptos;

unde B. Virgo tamquam haeres censenda fuit, vel saltem comitari S. Josephum voluit.

De hac re plura apud *Cornely*, Intr. in N. T. diss. 1, c, 1, q. 4, n. 42; *Knabenbauer*, Comment. in Luc II, 1, et 2, videri possunt.

**284.** *Obj.* 2° Duo priora tertii Evangelii capita non videntur genuina, quum hebraismis a S. Luca prorsus alienis abundent. Praeterea vv. 43 et 44, c. 22 in nonnullis codicibus et versionibus desunt, in aliis tanquam dubiis asterisco notantur, et ab aliquibus PP. etiam in dubium vocantur. Ergo.

*Resp. N. Ant.* Imprimis duo prima tertii Evangelii capita omnino admittenda sunt, quum in omnibus codicibus et versionibus adsint, et a PP. antiquis, ut a *S. Iren.* Contr. haer. l. 3, c. 10 (M, G, 7, 872), velut authentica allegentur. Hebraismi praesertim habentur in hymnis, qui a lingua aramaica translati sunt, et ideo nihil contra Evangelii genuinitatem evincunt. Quoad versus autem 43 et 44 c. 22, verum est quod in objectione asseritur; tamen inde illos non esse genuinos non ostenditur; sed oppositum omnino tenendum est, nam major pars codicum et versionum illos continent, et ab antiquis PP ut genuini allegantur, sicut a *S. Justino*, Dial. cum Tryph n. 103 (M, G, 6, 718) fit. Accedit quod saeculo V et deinceps ut genuini generatim admissi sunt; hoc autem non evenisset, si in contrarium rationes alicujus momenti adfuissent.

**285.** *Observa 1.°* Tria Evangelia synoptica, de quibus actum est, multam inter se ita habent similitudinem, etiam frequenter in ipsis verbis, ut simul plures in illis adsint discrepantiae. Ad has Evangeliorum similitudines simul et discrepantias explicandas plura a modernis inventa sunt systemata, quorum praecipua sunt tria. 1.$^{m}$ est *Evangelii primitivi*, sic nuncupatum, quod teneat ante quatuor Evangelia nunc cognita aliud primun vel saltem plura fragmenta scripta adstitisse, ex quibus Evangelistae sua Evangelia hausissent. Verum hoc systema praeter alia incommoda, quibus rejiciendum est, hoc habet; sc. nullam neque in traditione, neque in antiquis PP. reperiri primitivi Evangelii, aut illorum fragmentorum mentionem, nullumque ad id ponendum adesse solidum fundamentum. 2.$^{m}$ est *mutuae dependentiae*, quod asserat aliquos ex Evangelistis aliorum Evangelia prae manibus in scribendo habuisse. Rursus hoc systema inter alia rejiciendum est, quia, etsi Evangeliorum similitudines declaret, non vero discrepantias, et aliunde antiqui PP. contrarium docere videntur. Tertium denique est *catecheseos apostolicae:* hoc systema tradit apostolos eorumque discipulos certam constantem formam ad neophytos catechizandos instituisse., atque ex illa synopti-

corum similitudinem dissimilitudinemque origem ducere. Similitudo quidem eo, quod esset similis catechumenos erudiendi modus; dissimilitudo vero, tum quia illa forma prout neophyti erant Judaei, aut ethnici, aut judaei simul et ethnici varianda erat, tum quia, quum sola memoria retineretur, non eodem omnino modo semper proponebatur. Accedit quod Evangelistae praeter catecheses ex aliis quoque fontibus alia addere potuerunt. Vide plura apud *Cornely,* Introd. in N. T. diss, 1, c. 2, § 5.

**286.** *Observa 2.°* Ad apparentes nonnullas synopticorum contradictiones enodandas duo prae oculis habenda sunt. 1.m est Jesum Christum similia miracula similesque instructiones saepe egisse; unde aliqua ab Evangelistis narrata similitudinem quidem habent, sed sunt facta diversa, et ideo loco, tempore aliisque adjunctis differre possunt. Alterum est eadem facta a diversis Evangelistis, diverso modo propter circumstantiarum omissionem aut additionem referri: item eadem Christi verba diversimode narrari, quia eorum sensus dumtaxat refertur. Vide *Cornely,* loco supra citato, §, 6, n. 53.

## Thesis V.

**Evangelium secundum Joannem est genuinum seu auctorem habet S. Joannem.**

**287.** Nota.—Joannis Evangelium antiquitus repudiarunt Alogi, de quibus mentionem facit *S. Epiphanius,* Haer. 51 (M, G, 41, 887); posterioribus temporibus illud quoque rejecerunt Strauss, Baur, et generatim rationalistae recentiores, quibus accessit Loisy.

*Prob. 1.°* Ex *S. Irenaeo*, Cont. haer. l. 3, c. 1, (M, G, 7, 845) dicente: «Postea et Joannes discipulus Domini, qui et supra pectus ejus recumbebat, et ipse edidit Evangelium, Ephesi Asiae commorans.» Quanti autem momenti sit hoc testimonium, inde elucet, quod S. Irenaeus fuerit discipulus S. Polycarpi, qui conversatus est cum Joanne et reliquis, qui Dominum viderunt, ut est apud Eusebium Caes., Hist. E. l. 5, c. 20 (M, G, 20, 486). Item *S. Theophilus Antioch.,* Ad Autolyc. l. 2, n. 22 (M, G, 6, 1087) ait: «Haec nos docent Scripturae Sanctae, et quotquot Spiritu Sancto afflati fuere, in his Joannes ita dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Quibus verbis ostendit initio solum fuisse Deum et in eo Verbum. Tum addit: *Et Deus erat Verbum; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.*» Et *Clemens Alex.,* apud Eusebium, Hist. eccl. l. 6, c. 1. (M, G, 20, 551) ita scribit: «At

Joannes, omnium postremus, cum videret in aliorum Evangeliis ea quae ad corpus Christi pertinent tradita esse, ipse divino Spiritu afflatus spiritale Evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit.» Antea vero *Eusebius* praemiserat: «Sed et in iisdem libris Clemens traditionem quamdam de ordine Evangeliorum quam a vetustioribus presbyteris acceperat, refert...» Et *Origenes* dicit quae supra n. 265 allata sunt, et de authentia Evangelii Joannis etiam loquitur t. 5 in Joann. (M, G, 14, 189). Item fragmentum Muratorianum supra laudatum. Denique *Tertullianus*, cujus verba jam allata sunt, testatur quartum Evangelium esse genuinum, et hoc quidem ex ecclesiis Apostolicis constare. Jam vero ex testimoniis allatis quartum Evangelium, exeunte saeculo secundo, ut genuinum sive in ecclesiis orientalibus, sive in occidentalibus admitti liquet; hoc autem factum, ubi tam recentes adhuc erant traditiones apostolicae, non aliter, nisi quarti Evangelii genuinitate admissa, explicatur. Quibus speciatim addendus est *Eusebius Caes.* laudatus n. 264, cujus auctoritas hac in re magni momenti est, ut ibidem fuit indicatum.

**288.** *2.° ex PP. antiquioribus. S. Justinus,* Apol. 1, n. 61, (M, G, 6, 419) inquit: «Dixit enim Christus: *Nisi regenerati fueritis, non intrabitis in regnum coelorum.* Fieri autem non posse, ut semel nati in uteros matrum ingrediantur, omnibus perspicuum est.» Haec autem verba manifeste ad Joann., III, 4, 5, alludunt. Item in Dial. cum Tryph. n. 105, col 719 ait: «Unigenitum enim illum Patri universorum esse, proprie Verbum et virtutem ex eo genitum, atque postea hominem natum ex Virgine, ut ex commentariis didicimus, jam antea demonstravi.» Haec autem *Commentaria* juxta *Justinum* sunt Evangelia, ut eruitur ex dictis n. 280; et aliunde in solo Joannis Evangelio nuncupatur Christus *Unigenitus* et *Verbum*, ac proinde Justinus in laudatis verbis ad Joannis Evangelium se refert. Rursus in eodem Dial. n. 88, col. 687, scribit de Joanne Baptista: «Ad quos ipse clamabat, non ego sum Christus»; haec autem verba solum a Joanne scripta accepimus, I, 20. Denique in Apol. 2, n. 6, col. 454, dicit: «Ejus autem Filius, qui solus proprie Filius dicitur, Verbum antequam mundus crearetur, quod et una cum eo aderat, et genitum est, cum per illud initio omnia condidit et ornavit...» haec vero ad Joann. I, initio, alludere videntur.

Ad Joannis Evangelium se referunt *S. Claudius Apollinaris,* Frag. (M, G, 5, 1298); *S. Ignatius* M., ad Philadelph. VII, 1 (*Funk*, I, 229), ad Rom. VII, 3, p. 221; ad Magnesian. VIII, 2; Epist. ad Diognet. VII, 4, 5, X, 2; denique *Hermae Pastor*, Simil. 9, XII, 3, 58, et XVI, 2, 3, 4.

**289.** *3.° Ex ethnicis et haereticis.* Celsus Joannis Evangelium agnoscebat, ut opus a christianis probatum, prout eruitur ex Origene, Contr. Celsum, l. 2, nn. 31, 36, 59 etc. (M, G, 11, 851, 858, 890 etc.); item Joannis Evangelium agnoscebant genuinum Basilides, ut liquet ex Philosophumen. l. 7, nn. 22, 27 (M, G, 16, 3305, 3317); Valentinus, prout testatur S. Irenaeus, Contr. haer. l. 3, c. 11 (M, G, 7884); Ptolemaeus, uti eruitur ex Epiphanio, Haer. 33, n. 3 (M, G, 41, 7, 558); Heracleo, ut infertur ex Origene, in Joann. VI, 8, 12 et seq., 23 (M, G, 14, 230, 234 et seq. 266); denique Naasseni, ut liquet ex Philosophum. l. 5, a n. 7 ad 12 (M, G, 16, 3125-3160).

Accedit quod stylus falsarium non prodit, notitia, quam auctor de Palaestina, rebusque ac hominibus judaeis aliisque adjunctis ostendit, testem oculatum requirit, et modus dicendi similis primae Joannis epistolae eumdem hujus et quarti Evangelii scriptorem postulant, atque ideo aut utrumque scriptum Apostolo Joanni abjudicandum, aut utrumque concedendum. Item discipulus ille (XXI, 24), qui scripsit haec, videtur ex loquendi modo esse idem cum illo discipulo, de quo mentio antea vv. 20 et 7 fit, et XX, 2, et sq., XIX, 26, XIII, 23; discipulus autem ille recubuit super pectus Domini in coena, et erat specialiter dilectus; talis autem discipulus non potest esse nisi Joannes Apostolus; nam inter Apostolos erant specialiter dilecti Petrus, Jacobus et Joannes, ut eruitur ex Synopticis (Matth. XVII, 1, Marc. V, 37, Luc. XXII, 8); discipulus autem ille qui scripsit non est S. Petrus, siquidem ab illo expresse distinguitur (Joan. XX. 2 et sq., XXI, 7, 20), nec Jacobus, qui jam a multis annis mortuus erat, quum Evengelium quartum exaratum est. Ergo discipulus ille non est nisi Joannes Apostolus. Atque hoc ipsum innuitur eo, quod Joannes in quarto Evangelio nullibi vocatur nomine proprio, quod sanctitati et modestiae Joannis respondet.

**290.** *Obj. 1.°* Christiani ad finem saeculi secundi et deinceps communiter admiserunt quartum Evangelium ut opus Joannis Apostoli, quia decepti sunt, et acceperunt Joannem Apostolum pro quodam presbytero et discipulo ejusdem nominis; hoc enim ex scriptis Papiae, qui rem bene cognoscere poterat, erui videtur. Ergo.

*Resp. Nego* assertum quoad omnes ejus partes. Nam 1.° communis consensus in quarto Evangelio tribuendo Joanni Apostolo ad finem saeculi secundi et deinceps non recte explicatur, nisi Joannes Apostolus revera fuerit illius auctor; etenim quartum Evangelium est scriptum magni momenti pro christianis, et nemo hoc negaverit, qui rem attente considerarit, et jam inde satis patet, quod fuerit aequiparatum aliis tribus Evangeliis. Scriptum hujusmodi non potuit

non convertere ad se oculos et mentes christianorum, praesertim sapientiorum, dum coepit divulgari; et ideo ejus auctor certe fuit notus multis, praesertim sapientibus. Quocirca si multi noverunt auctorem verum quarti Evangelii, est moraliter impossibile ante integrum saeculum omnes ignorasse verum auctorem, et tribuisse Evangelium auctori falso. Quod quidem confirmatur ex hoc, quod scriptores pertinentes ad finem saeculi secundi attribuunt quartum Evangelium Joanni Apostolo, quia dicunt hoc accepisse ex traditione Ecclesiarum apostolicarum.

Nec dicas quartum Evangelium non coeptum esse divulgari paulo post ipsius scriptionem, ideo ejus auctorem potuisse occultari. Hoc sine ullo fundamento historico dicitur, et contra naturam operis, quod publicationi destinabatur, et id expresse affirmatur XX, 31. Deinde ex probationibus allatis colligitur quartum Evangelium fuisse cognitum a S. Justino, Theophilo Antioch. et ab aliis PP. antiquioribus, et idcirco illius divulgationem non fuisse longo tempore dilatam.

Neque iterum dicas *alogos,* seu haereticos quosdam negantes Verbum Dei, repudiasse quartum Evangelium, quod sane non fecissent, si jam fuisset communiter notum inter christianos ut opus S. Joannis. Hoc etiam nihil evincit; quia alogi non videntur coepisse impugnare quartum Evangelium nisi medio vel exeunte saeculo secundo, quum jam plures anni ab scriptione Evangelii elapsi erant; quare, licet christiani communiter jam admitterent ut opus Joannis Apostoli quartum Evangelium, poterant illud impugnare, quia non erat tam recens memoria scriptionis et auctoris, praesertim quia illud rejiciebant propter magnam discrepantiam cum aliis Evangeliis, ut testatur Epiphanius, supra laudatus n. 287. Etiam rationalistae ausi sunt repudiare authentiam quarti Evangelii, licet inter catholicos et protestantes esset communiter admissa, in quo imitati sunt *alogos.* Accedit quod *alogi* faciebant Cerinthum auctorem quarti Evangelii, ut dicunt Epiphanius, loco supra laudato, et Philastrius, Haer. 70 (M, L, 12, 1174); non autem Joannem presbyterum et discipulum Domini, ut faciunt plures rationalistae. Cerinthus vero, ut colligitur ex Eusebio Caes. H. E. l. 3, c. 28 (M, G, 20, 275) fuit coaevus Joannis Apostoli, et ideo *alogi* ponebant scriptionem quarti Evangelii eodem tempore, quo catholici. Postremo *alogorum* sententia abunde a S. Epiphanio refutatur, et fuit communiter abjecta ante rationalistas, nec propter illos quartum Evangelium desiit communiter recipi apud christianos.

2.° *Eusebius Caes.* in Hist. Eccles. non semel, ut l. 3, cc. 23

et 24, l. 6, c. 14, etc., attribuit quartum Evangelium Joanni Apostolo ut opus ipsius indubium. Eusebius vero, qui scripta Papiae (H. E. l. 3, c. 39) et alia antiqua optime noverat, non fecisset modo certo Joannem Apostolum auctorem Evangelii, nisi id ex documentis antiquis certum comperisset.

3.° Justinus, Dial. cum Tryph. n. 81 (M, G, 6, 669) expresse facit Joannem Apostolum auctorem Apocalypsis, ex quo colligitur a fortiori facere eum auctorem quarti Evangelii, circa quod, si *alogi* excipiantur, nulla fuit inter antiquos dubitatio. Item Theophilus Antioch., loco n. 287 laudato, tribuit quartum Evangelium Joanni, Joannes autem simpliciter dictus non videtur esse nisi Apostolus. Theophilus vero fuit sextus ab Apostolis Episcopus Antioch., ut tradit Eusebius, H. E. l. 4, c. 20, col. 378, et optime potuit noscere mentem Justini et aliorum antiquorum circa auctorem quarti Evangelii.

4.° Postremo Irenaeus, ut dictum est supra n. 287, expresse tribuit quartum Evangelium Joanni Apostolo, et ibidem indicatum quanta sit Irenaei auctoritas in hac re. Jam ibi dictis nonnulla alia adjungo. Irenaeus a Polycarpo et hujus discipulis abs dubio accepit quinam esse auctor quarti Evangelii; nam cum his conversatus est, ut eruitur ex ipso Irenaeo, Adv. haer. l. 3, c. 3, n. 4, col. 851, et Epist. ad Florinum, c. 1227, et ex Eusebio, H. E. l. 4, c. 14 et l. 5, c. 24, etc.; et licet esset puer, quum audiret Polycarpum, sufficienter tamen discernebat quae ab illo dicebantur, ut apparet ex Epist. ad Florinum. Praeterea si aliqua ex Polycarpo male intellexisset, poterat errorem corrigere per alios Polycarpi discipulos, praesertim in re tanti momenti et simul tam facile cognitu, ut est discernere ex aliorum testimonio auctorem quarti Evangelii. Aliunde ex ipso Irenaeo constat genuinitatem quarti Evangelii ut Joannis Apostoli non pendere a solo Irenaei testimonio, neque a solis fontibus, quibus ipse nitebatur; etenim Adver. haer. l. 3, c. 11, ex quarto Evangelio ut communiter admisso tanquam Joannis probat aliqua dogmata contra haereticos, et ibidem n. 7, col. 884 asserit tantam esse firmitatem quatuor Evangeliorum, ac proinde etiam Evangelii Joannis Apostoli (de alio enim quarto Evangelio non scripto a Joanne Apostolo nihil dicit) ut ipsi haeretici ex illis suam doctrinam confirmare conentur. Jam vero haeretici non admittebant Evangelia propter testimonium Irenaei, nec praecise propter fontes ab eo notos. Et licet, eodem loco, n. 9, col. 890, dicat aliquos non admittere Evangelium Joannis, ex modo loquendi Irenaei elucet hos haereticos (videntur fuisse *alogi* supra memorati) constituere factionem minoris momenti.

Nec dicas Irenaeum non esse fide dignum, quia incidit in errorem millenariorum, et profitetur (Adv. haer. l. 2, c. 22, nn. 5 et 6) Christum usque ad quinquagesimum aetatis annum exercuisse munus docendi. Etenim Irenaeus, ut ex multis locis sui operis elucet, diligenter inquerebat quid tradiderint Apostoli, et admittit ea, quae probabantur esse originis apostolicae; et ideo omnino est fide dignus, cum aliunde esset vir probus et sapiens. Quod in aliquibus erraverit, non destruit suam auctoritatem in ceteris, quum hominum sit in aliquibus errare; atque in his, in quibus in errorem lapsus est, non habuit secum communem aliorum consensum, sicut in admissione quarti Evangelii ut Joannis.

Quod vero aliqui ad infirmandam vim testimonii S. Irenaei afferunt, scilicet Joannem Apostolum nunquam fuisse Ephesi neque in ea parte Asiae, nullius est momenti. Nam Eusebius, in H. E. l. 3, c. 1, col. 215, expresse affirmat Joannem Apostolum fuisse Ephesi, ibique mortuum. Joannes vero presbyter et discipulus Domini aut non est alius a Joanne Apostolo, aut si ab hoc distinguatur, non ostenditur Irenaeum et alios antiquos accepisse Joannem Apostolum pro Joanne presbytero et discipulo, quum solidae rationes ad id probandum desint, neque est ullo modo verisimile omnes communiter ad finem sacculi secundi in illam confusionem esse lapsos.

**291.** *Obj. 2.°* Quartum Evangelium non narrat res et facta realia, non est historia, sed complexus allegoriarum et symbolorum, et expositio cujusdam systematis philosophici. Ita re ipsa Loisy et rationalistae.

*Resp.* *Nego* omnino assertum; Joannes enim Apostolus, si de rebus et factis realibus loqueretur, non aliter loqueretur, et quum bene novisset ea quae scribit, neque adsit causa putandi eum exprimere allegorias et symbola, deciperet, nisi de rebus et factis realibus ageret. Deinde omnes antiqui, quum sensum Apostoli bene possent cognoscere, acceperunt quartum Evangelium ut librum historicum et loquentem de rebus veris et factis realibus. Praeterea in Christi passione describenda loquitur de factis veris, saltem quoad substantiam, prout ex synopticis infertur; ergo similiter in aliis, quum in toto Evangelio similem scribendi modum servet.

Nec dicas Joannem non potuisse retinere memoria sermones et dialogos Domini, ut ea fideliter referret; nam non est ulla repugnantia in hoc, quod Apostolus eos sermones et dialogos quoad substantiam retinuisset, et hoc fuit illi facilius, quo majore affectu erga Jesum ferebatur, et quo frequentius de dictis et factis Domini collo-

quebatur. Tum memoria Apostoli aliquo brevi scripto, quod ipse ad hunc scopum confecisset, juvari poterat.

**292.** *Obj. 3.°* Quartum Evangelium tradit Christum celebrasse coenam et agnum paschalem comedisse ante diem festum paschae, prout eruitur ex c. 13, v. 1, et ex c. 18, v. 28, in quo postremo loco indicatur judaeos celebrasse pascha die crucifixionis Christi. Atqui synoptici omnes contrarium asserunt, nempe Christum die prima azymorum seu die paschatis agnum juxta legis praescriptionem comedisse, ut eruitur ex *Matth.* XXVI, 17; *Marc.* XIV, 12; *Luc.* XXII, 7. Ergo adest contradictio inter synopticos et quartum Evangelium, et ideo hoc errare, et non esse genuinum videtur.

*Resp.* Imprimis, ut elucet ex *Marc.* XV, 42; *Luc.* XXIII, 54, 56; *Joann.* XIX, 14, 42, omnes Evangelistae de die mortis Christi consentiunt, et ab omnibus similiter celebratio Paschatis ponitur die proxima ante mortem, et resurrectio prima die post sabbatum; quocirca de diebus hebdomadis inter se manifeste conveniunt, et solummodo de die mensis quaestio esse potest. Ad hanc quaestionem dilucidandam plures sententiae inventae sunt, quarum duae videntur probabiliores aptioresque ad rem hanc solvendam.

Altera, quam inter alios tenent PP. *Cornely,* Intr. in N. T. diss. 1, c. 3, § 8, n. 73, et *Knabenbauer,* Comment. in Matth. XXVI, 17, docet Christum pascha die decima quarta mensis Nisan celebrasse, sed eo anno judaeos in diem proximam celebrationem distulisse. Potissima hujus sententiae fundamenta sunt, tum quia in Joannis Evangelio dicitur Christus coenam agni *ante diem festum Paschae* (XIII, 1) fecisse, tum quia in eodem Evangelio (XVIII, 28) traditur judaeos die mortis Christi adhuc non manducasse pascha. Alterius vero sententiae patroni respondent Synopticos de prima die azymorum seu Paschae juxta legis praescriptum *Exod.* XII loqui, sed non de eo quod a judaeis illo anno fiebat.

Altera sententia multo communior, quam propugnat P. *Murillo,* Jesucr. y la Igles. Lib. 1, c. 5, § 4, asserit et Christum et judaeos etiam illo anno celebrasse pascha die decima quarta ad vesperam. Haec opinio praecipue nititur, quia locutio *prima dies azymorum* a Synopticis usurpata tum ex se, tum ex contextu, diem celebrationis paschatis sine restrictione aliqua denotat. Fundamento adversariorum respondetur, *ante diem festum paschae* significare ante diem paschae naturalem, qui a media nocte ad mediam noctem computatur, non ante diem paschae legalem, qui ab occasu ad occasum solis durabat. Deinde verba illa *manducare pascha* non designare agnum paschalem, sed alias victimas; nam in *Deut.* XVI, 2, etiam oves

et boves immolati tempore paschali nuncupantur phase. Denique adversarii non probant diebus festis fuisse judaeis prohibitum cibos parare, mortuos sepelire, imo et judicia criminalia pro religione habere, atque ideo non ostenditur, ex hac parte saltem, judaeos habuisse sufficientem causam transferendi diem paschae, aut non potuisse die festo causam criminalem agitare.

Jam difficultati propositae juxta priorem sententiam respondendum est, Christum celebrasse pascha die a lege constituto, qui illo anno fuit ante diem, quo judaei illud celebrarunt, et ideo pascha non fuit a judaeis manducatum nisi post Christi mortem; Synoptici vero de prima azymorum die juxta praescriptum legis, non juxta praxim judaeorum loquuntur. Secundum alteram vero sententiam, quae quidem probabilior videtur, respondendum est, *S. Joann.* dicere *ante diem festum Paschae* ad significandum Christum Pascha celebrasse ante diem hujus festi naturalem, non autem ante legalem. Unde illa judaeorum locutio *manducare Pascha* non ad agni paschalis, sed ad aliarum victimarum esum refertur.

**293.** *Obj. 4.°* Magna discrepantia quartum inter et alia Evangelia adest, immo in illis diversus Christus depingitur. Ergo si tria priora sunt genuina, quartum ut spurium repudiandum est.

*Resp. C.* priorem part. antec., et N. secundam et *conseq.* Adest quidem magna discrepantia quartum inter et alia Evangelia tum in materia, tum in narrandi modo; sed differentiae hae convenienter explicantur. Differentia enim in rebus tractatis ideo habetur, quia Joannes voluit supplere multa ab aliis Evangelistis omissa, ac peculiari modo ea, quae ad Christi divinitatem et ad disputationes cum scribis et pharisaeis habitas pertinebant, enarrare. Atque hinc etiam explicatur styli diversitas: tum quia Christus aliter cum scribis et pharisaeis, aliter cum rudi plebe loquebatur, tum quia uno modo dogmata et sublimiora exponuntur, alio res captui populi accommodantur. Nullo modo autem diversus Christus a quarto Evangelio depingitur, sed ejus perfectio et divinitas alia ratione declaratur.

**294.** *Obj. 5.°* Quartum Evangelium tradit Petri negationes in atrio Annae evenisse, alii vero Evangelistae in atrio Caiphae. Ergo quartum Evangelium aliis contradicit.

*Resp. 1.° C. Ant.* et *N. Cons.:* nam atrium Annae et Caiphae unum idemque erat, quia uterque in eodem palatio vivebat; hoc autem eruitur ex loco, in quo Petri negationes a S. Joanne ponuntur, et huic rei alii Evangelistae non contradicunt. Vide *Knabenbauer,* Comm. in Joann. XVIII. Huic sententiae non obstat Annam v. 19

vocari Pontificem, nam ex eodem capite vv. 3 et 35 plures nuncupari pontifices elucet.

*Resp. 2.° N. Ant.* quoad priorem part.; nam juxta plures, quia atrium Annae ab atrio Caiphae distinctum volunt, Petri negationes etiam a S. Joanne in atrio Caiphae collocantur; atque hi docent verba illa *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem* esse interpretanda *miserat jam antea Annas* etc. Unde juxta hanc opinionem ea omnia quae a S. Joanne a v. 15, c. 18 narrantur, omnia in palatio Caiphae distincto a domo Annae contigerunt.

Alia etiam minoris momenti circa Petri negationes opponuntur, nempe *Joannem* (XIII, 38) Petri negationis praedictionem ante egressum e coenaculo ponere, *Matthaeum* vero (XXVI, 30, 34) post egressum; Joannem de unico galli cantu mentionem facere, *Marcum* (XIV, 30, 72) de duplici; denique illos, qui Petrum ad negandum induxerunt, diversos in quarto Evangelio ac in aliis poni. Verum quoad primum dicendum videtur Christum non semel Petro praedixisse ejus negationem; quoad alterum nullam esse oppositionem, sed in uno declarationem duplicis cantus galli, in altero locutionem minus determinatam; denique quoad tertium, quum plures in illis Petri negationibus adessent, plures etiam in illis aliquem interventum habuerunt, et ideo diversi a diversis recte commemorari possunt.

**295.** *Obj. 6.° a)* Quartum Evangelium (XIX, 14) tradit sententiam crucifixionis contra Christum fuisse latam *hora quasi sexta*, sed *Marcus hora tertia*. Ergo inter Evangelia adest pugna. b). Etiam pugna inter illa adest in relatione earum, quae ad mulieres ad sepulchrum euntes et apparitiones ipsis factas attinent.

*Resp. a)* *S. Marcum* hora tertia significare crucifixionem Christi contigisse intervallo temporis quod inter nostram horam nonam et duodecimam interest; ac proinde non contradicit *Joanni*, qui illud evenisse innuit circa horam duodecimam. Fundamentum hujus responsionis est, quia judaei diem in quatuor partes dividebant, sc. in horam primam, tertiam, sextam et nonam, quae quidem horae diversimode, juxta diversa anni tempora, computabantur. Eo autem tempore, quo Christus crucifixus est, hora prima ab ortu solis usque ad nostram horam nonam comprehendisse videtur, tertia ab hora nona usque ad duodecimam, sexta a meridie ad horam tertiam vespertinam, nona denique a tertia ad solis occasum.

*b)* Ea omnia quae ad mulieres in Christi sepulchrum venientes spectant, ab omni contradictione liberantur, si mulieres diversae tempore paululum differenti ad sepulchrum pergentes ponantur. Adsunt

praeterea aliae viae quibus illa concilientur, quemadmodum apud S. Scripturae interpretes videre est.

**296.** *Obj. 7.°* Auctor quarti Evangelii neque erat judaeus nec palaestinensis, nam *a)* quoties de judaeis loquitur (II, 6, 13, 18, 20; III, 1; V, 10, 16, 18 etc.), ab illis se discernit. *b)* Auctor quarti Evangelii in errores geographicos et historicos incidit, qui in Joannem non caderent.

*Resp. N. Assert. a)* Auctor quarti Evangelii a judaeis se discernit, non quod genere ipse non esset judaeus; sed quia non erat ex illis judaeis, qui Christum ejusque doctrinam insectabantur.

*b)* Auctor quarti Evangelii valde peritum palaestinensium rerum se prodit: sic, v. gr. nominat Cana Galilaeae, ut a Cana tribus Aser distinguatur, Bethaniam trans Jordanem (I, 28), ut a Bethania prope Jerusalem (XI, 18), etc. Quocirca non est concedendum quartum Evangelium in errores geographicos vel historicos incurrere. Si nomen Sichar (IV, 5), Aennon (III, 23) vel aliud simile non conservatur, nihil miri, quum Palaestina valde immutata fuerit; atque inde illa nomina aliquid determinate olim non significasse, nullatenus concluditur. Similiter quum Caiphas *Pontifex anni illius* (XVIII, 13) appellatur, per unicum annum fuisse Pontificem non innuitur.

**297.** *Obj. 8.°* Quarto Evangelio inter alia multa etiam haec adversantur: *a)* Verbum seu Λόγος ex Philone et neoplatonicis philosophis desumpsisse. *b)* Non posse scriptionis locum designari. *c)* Aut quartum Evangelium non esse S. Joannis aut Apocalypsim, quum hi libri ab eodem auctore non sint exarati.

*Resp. N. Assert.* Atque imprimis multa a rationalistis contra quartum Evangelium coacervata nullius sunt roboris, utpote quae argumentis a priori et fundamento solido destitutis nitantur, ut sunt, v. gr. negatio totius supernaturalitatis, pugna et doctrinae diversitas inter Petrum et Paulum, etc. Jam ad singula:

Ad *a)* Verbum seu Λόγος S. Joannis a Philone et neoplatonicis non est desumptum, quum ab his Verbum fieret inferius Deo, ab illo autem aequale. Vide plura de hac re apud Wilmers, De rel. rev. l. 4, c. 1, a. 3, n. 457. Ipse Albert Réville, rationalista, fatetur Verbum Philonis esse inferius Deo. Vide etiam L'Abbé Iules Martin, Philon, l. 2, cc. 1 et 2, ubi ostendit Philonem existimasse Verbum inferius Deo. Nonnulli quidem contendunt Philonem identificasse Verbum cum Deo; verum, juxta hanc sententiam, Verbum non distingueretur personaliter a Deo, prout juxta S. Joannem distinguitur. Ut minimum fatendum est Philonem imperfecte et confuse valde de natura

Verbi esse locutum, non ea claritate et praecisione, qua S. Joannes de natura Verbi seu Filii Dei loquitur.

Ad *b)* Quamvis modo prorsus determinato et certo designari non possit, et alii Ephesi, alii in insula Patmo velint scriptum, tamen ex hoc nihil contra Evangelii genuinitatem evincitur. Nec verum est, quod adversarii contendunt, Papiam non fuisse discipulum S. Joannis, et ideo hunc Ephesi nunquam fuisse commoratum; nam Papiam fuisse S. Joannis discipulum expresse tradunt inter alios *S. Irenaeus*, Contr. haer. l. 5, c. 33, n. 4 (M, G, 7, 1214) et *Eusebius Caes.* Chronic. l. 2, an. Christi 98 et 99 (M, G, 19, 551), nec hic contrarium affirmat in His. eccl. l. 3, c. 39 (M, G, 20, 295).

Ad *c)* N. prorsus assertum; etenim discrepantia quartum Evangelium inter et Apocalypsim sufficienter explicatur eo, quod S. Joannes in Evangelio historicum agit, in Apocalypsi vero prophetam, ac sublimes visiones refert prophetasque antiquos imitatur.

**298.** *Obj. 9.°* Evangelium quartum saltem non integre ut genuinum admittendum est; nam *a)* v. 4, c. 5 in pluribus archetypis et versionibus desideratur. *b)* Versus 53, c. 7 et c. 8 a v. 1 ad 12 non modo in pluribus originalibus et versionibus desiderantur, sed ab interpretibus graecis omnibus pretermittuntur. *c)* Ultimum caput esse aliquid superadditum videtur.

*Resp.* Evangelium quartum integre admittendum est, neque ea in oppositum adducta intentum probant. Nam ad *a)* plures codices sive originalium, sive versionum illum versum continere, et v. 7 eumdem requirere, ac Patres antiquos ipsum accipere, ut *Tertullianus*, De bapt. c. 5 (M, L, 1, 1314): quocirca versus ille ut genuinus recipiendus est.

Ad *b)* etiam plures codices et originalium et versionum ea continere, et *S. Hieron.* Dial. adv. Pelag. l. 2, n. 17, (M, L, 23, 553) ita scribere. «In Evangelio secundum Joannem in multis et graecis et latinis codicibus invenitur de adultera muliere...» Aliunde reddi potest ratio, cur illa in pluribus codicibus desint, videlicet ne nimia Domini indulgentia videretur, et esset scandali occasio. Unde *S. Aug.* De conjug. adult. l. 2, c. 7 (M, L, 40, 474) ait: «Sed hoc videlicet infidelium sensus exhorret, ita ut nonnulli modicae fidei vel potius inimici verae fidei, credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulterae indulgentia Dominus fecit, auferrent de codicibus suis.» Contra declarari non potest convenienter, qua ratione historia mulieris adulterae esset in Evangelium fraudulenter introducta. Quoad silentium interpretum graecorum opponitur positiva PP. latinorum approbatio. Denique nec stilus, nec contextus genuinitatem historiae adulterae excludunt.

Ad *c)* omnes codices et originalium et versionum ultimum illud caput continere, neque in Patribus vestigium dubitationis reperiri; quocirca ut genuinum omnino admitendum est. Tamen nonnulli catholici contendunt caput illud fuisse a S. Joanne adjectum, postquam reliquum Evangelium jam perfectum et evulgatum fuit; verum etiam hoc rejiciendum videtur, quia sine sufficienti fundamento asseritur; nam ipse Apostolus, postquam Evangelium jam scripsisset, eidemque finem imposuisse cogitasset, potuit novis de causis illi addere ultimum caput, antequam evulgaretur. Denique etiam nonnulli catholici volunt duos ultimos versus capitis vigesimi primi a S. Joanne non esse scriptos; at neque hoc est admittendum, nam ex una parte Evangelium v. 23 sine convenienti clausula terminaretur, ex altera S. Joannes, I, 14 et XIX, 35 similiter ac in versibus illis controversis scribit. Vide *Cornely*, Dissert. 1, c. 3, § 7, n. 62 et *Murillo*, Jesuc. y la Igles. Rom. L. 1, c. 5, § 5.

## ARTICULUS II

### Utrum quatuor Evangelia sint integra et veridica

**299.** *Praemitt.* Quinam libri vocentur *integri,* jam supra declaratum est. Sunt *veridici*, ut ipsum nomen innuit, qui verum dicunt; hoc autem habetur, si auctor est sciens et verax. Atque in praesenti Evangelia vocantur veridica, quatenus narrant facta vera, et tradunt doctrinam, quae a Christo vere fuit proposita: unde ad doctrinam, quod attinet, non consideratur hic veritas intrinseca, sed ejus veritas historica, quatenus vere fuit tradita, prout ibi narratur. Ad praesentem vero scopum sufficit, ut Evangelia sint integra et veridica in substantia, seu in rebus omnibus alicujus momenti, licet in levioribus darentur menda.

THESIS.

**Quatuor Evangelia sunt integra et veridica.**

Haec thesis theologice est de fide, et historice certa contra rationalistas.

**300.** *Prob. 1.ª p. seu esse integra.* 1.° Textus originales et ver-

siones, quum innumera sint et millia variationum contineant, sunt sibi consentientia quoad substantialia, saltem si aliqua admodum pauca excipiantur; haec autem codicum S. Scripturae consensio non adesset, si quoad substantialia facta esset adulteratio. Ergo. *Prob. Min.* In quolibet Ecclesiae tempore fuit moraliter impossibile omnes pastores et fideles de adulteratione facienda consentire, quum S. Scripturas valde venerarentur, et ideo ad summum aliqua exemplaria fuissent adulterata, non omnia; quare exemplarium dissensio necessario exurgeret, et quum de hujus dissensionis extinctione nulla habeatur notitia, nec probabilis causa assignetur, adhuc perseveraret, quod tamen ex omnibus apographis et versionibus falsum esse liquet. Item apographa et versiones, quoad substantiam, conveniunt textibus, qui a PP. priorum saeculorum frecuenter allegantur; quomodo autem haec consonantia explicari posset, si N. T. quoad substantialia corruptum esset?

**301.** 2.° Corruptio N. T. si daretur, aut perfecta esset Apostolorum tempore, aut immediate post, aut temporibus posterioribus; nihil enim aliud fingi potest. Atqui nihil horum dici potest. Ergo. *Prob. Min.* Non primum, quia Apostoli tale facinus non ignorassent, quum ageretur de libris publicis, quique in manibus omnium fidelium essent, et ideo illud improbassent, et efficaciter repressissent; non secundum, quia eo tempore ob recentem Apostolorum memoriam et venerationem, illorum discipuli talem rem non tolerassent; non tertium, quia quum magna apographorum et versionum copia jam haberetur, et quidem per totum orbem, erat imposibile ita corruptionem ad effectum perducere, ut non dignosceretur, et emendaretur. Item si adulteratio facta esset ab ethnicis, vel judaeis, vel haereticis, catholici illis restitissent, eamque perfici non passi essent. Similiter si catholici nonnulli Evangelia corrumpere tentassent, alii impedirent, vel saltem de controversia in hac re constaret. Atque hoc confirmatur, quia haeretici saepe Evangelia adulterarunt, et catholici de adulteratione eos accusarunt, et libros adulteratos rejecerunt.

Ad ostendendum fuisse moraliter impossibile Scripturas Sacras omnes corrumpere faciunt ea, quae dicit *Tertullianus*, Adv. Marcion. l. 4, cc. 4 et 5 (M, L, 2, 394) sic loquens: «Ego meum dico verum (Evangelium Lucae), Marcion suum; ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio ei praescribens auctoritatem quod antiquius reperietur, et ei praejudicans vitiationem quod posterius revincetur? In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum praccedat necesse est veritas falsum... In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod et ab initio,

id ab initio quod ab Apostolis; pariter utique constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud ecclesias Apostolorum fuit sacrosanctum. Dico itaque apud illas, nec solas jam Apostolicas, sed apud universas, quae illis de societate sacramenti confoederantur, id Evangelium Lucae ab initio editionis suae stare, quod cum maxime tuemur; Marcionis plerisque nec notum, nullis autem notum, ut non eo damnatum.» Similiter *S. August.* contr. Faustum, l. 32, c. 16, (M, L, 42, 506) sic manichaeos impugnat: «Quid faceretis, dicite mihi, nisi clamaretis, nullo modo vos potuisse falsare codices, qui jam in manibus essent omnium christianorum? Quia mox ut facere coepissetis, vetustiorum exemplarium veritate convinceremini. Qua igitur causa a vobis corrumpi non possent, hac causa a nemine potuerunt. Quisquis enim hoc primitus ausus esset, multorum codicum vetustiorum collatione confutaretur: maxime, quia non una lingua, sed multis eadem Scriptura contineretur.» Denique ipse *S. Doctor,* De utilitate credendi, c. 3, n. 7 (M, L, 42, 69) ita loquitur: «Nihil mihi videtur ab eis impudentius dici, vel ut mitius loquar, incuriosius et imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas: cum id nullis in tam recenti memoria extantibus exemplaribus possint convincere.»

**302.** *Prob. 2.ª p. seu libros N. T. esse veridicos.* Res ita se habet, si illorum auctores scientiam eorum quae narrant, habuerunt, et veritatem dicunt. Atqui utrumque constat. Ergo.

*Prob. Min. quoad scientiam.* N. T. auctores aut sunt testes oculati, aut conversati sunt cum oculatis testibus, et ex his addiscere omnia quae narrant, facile potuerunt. Sic *S. Lucas,* qui non fuit testis oculatus dicit initio sui Evangelii: «Quoniam quidem multi conati sunt, ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis: visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere...» Praeterea plura, quae ab illis narrantur, sunt facta sensibilia et publica, et ideo facilia cognitu. Quoad doctrinam, etiamsi essent homines rudes, habebant tamen plenum suarum facultatum usum, et idcirco illam recte percipere, addiscere aliosque docere poterant, praeterquam quod S. Lucas, cum aliis consentiens, erat vir doctus.

*Prob. Min. Quoad veracitatem.* Auctores N. T. erant viri probi et sinceri, neque adversarii aliquid contra eorum probitatem demonstrare potuerunt. Deinde stilo simplici et plano, sine fucis et amplificationibus, utuntur, atque hoc etiam quum de rebus gravissimis agitur, ut, v. g. in passione Domini narranda. Non tacent illis contraria, ut eorum scandalum in Domini comprehensione. Si aliqua primo

aspectu contradictoria videntur, haec ipsa autores Evangeliorum ex mutua conventione non scripsisse manifestant; atque ideo aperta consensio, quae in multis adest, non aliam causam habere potest, nisi ipsam rei veritatem. Item doctrina tam excellens et disciplinis philosophorum superior, qualis est ea, quae in Evangelils reperitur, ab auctoribus Evangeliorum non est inventa, quum eorum sapientiam superet. Item non erant capaces effingendi characterem tam sublimem tamque sibi constantem in moribus et doctrina, qualis depingitur Christus; ac proinde hic non est fictus, sed revera extitit, ut describitur.

Accedit quod nulla ratio assignari potest, cur Evangelistae ad mentiendum inducti essent. Non quidem lucrum aliquod, tradebant enim rerum temporalium contemptum et doctrinam cupiditatibus et modo sentiendi ethnicorum et judaeorum prorsus adversam, ex quo nullum sane hominum favorem et benevolentiam expectare poterant. Non sibi magnam famam comparare, quia si id intendissent, ea scripsissent, quae magno plausu ab hominibus accipi possent, non vero ea, quae eorum cupiditatibus et opinionibus repugnabant. Praeterea multa incommoda et acerba et fere omnes ipsam mortem pro ea doctrina, quam tradiderunt, passi sunt, cujus rei praeter veritatis, quam praedicabant, persuasionem, non alia causa convenienter assignatur. Postremo Evangelistae, licet decipere voluissent, non id consecuti essent; quia narrant facta, quae coram multis judaeis evenerunt, et quorum plures erant superstites tempore scriptionis Evangeliorum synopticorum, et illorum intererat deceptionem detegere, ne alii judaei deciperentur, neve religio falsa et contraria mosaicae diffunderetur.

Ex quibus elucet prorsus rejiciendas esse eas adversariorum theorias, quibus statuitur Evangelia in multis non esse historiam, narrationes miraculorum esse allegorias vel orientalium exaggerationes aliave similia. Etenim in Evangeliis narrantur res modo simplici, sine verborum fucis, et ut verae et reales sunt accipiendae, quum in contrarium desit fundamentum solidum. Item, si Evangelia essent allegoriae, exaggerationes aliave similia, non essent libri apti ad religionem Christi propagandam et persuadendam, et idcirco scopo Evangelistarum non responderent, praesertim quia, quum Evangelia synoptica scripta sunt, adhuc erant superstites plures, qui vitam et opera Christi noverant, et exaggerationes et figmenta Evangelistarum testari possent. Postremo si Evangelia non essent libri historici, non essent jam ab initio et deinceps recepti constanter ut tales, ut revera accepti fuerunt, prout ex communi scriptorum

ecclesiasticorum consensu liquet; nam coaevi Evangelistarum ignorare non poterant qualis esset indoles Evangeliorum, et isti aliis communicarent, et sic erat impossibile, ut postea sine controversia reciperetur ut verum, quod erat falsum. Quod ad communem consensum spectat, vide testimonium Quadrati et Originis inferius n. 318, quibus similiter aliorum testimonia adjungi possent (1).

**303.** Dices 1.°—*Hieronymus,* Praef. ad Damasum (M, L, 29, 528) inter alia de Evangeliis dicit: «Magnus siquidem hic in nostris codicibus error inolevit.... Unde accidit, ut apud nos mixta sint omnia...» Ergo Evangelia non manent integra et incorrupta.

*Desp. C. Ant.* et *neg. Cons.* Verbis laudatis *S. Hier.* solum significat uni Evangelio ex alio esse additum, hoc vero, ut liquet, non inducit mutationem dogmatis vel historiae, quoad substantiam. Et licet antea agat de mendis et vitiosis interpretibus, ex male corrigentibus et ex librariis, non asserit ea esse substantialia, et supponit textum graecum conservari incorruptum, quum ex illo codices latinos corrigendos velit.

**304.** Dices 2.°—Millius in N. T. triginta millia variationum reperit, et postea multo plures repertae. Ergo non constat de integritate Evangeliorum.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Omnes istae variationes sunt in rebus minoris momenti, et nullatenus dogma aut substantiam historiae laedunt; quocirca ex illis integritas et incorruptio substantialis magis confirmatur.

**305.** Dices 3.°—Auctores prophani coaevi nihil dicunt de stella, quae Magis apparuit, nec de occisione infantium bethlehemiticorum,

(1) In decreto *Lamentabili* dato die 3.ª mense Julio, anno 1907, specialiter auctoritate apostolica per motum proprium *Praestantia Scripturae* a Pio X confirmato, propositiones hic subjectae ad rem praesentem attinentes damnantur, sc.:

14. «In pluribus narrationibus non tam quae vera sunt Evangelistae retulerunt, quam quae lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficua.»

15. «Evangelia usque ad definitum constitutumque canonem continuis additionibus et correctionibus aucta fuerunt; in ipsis proinde doctrinae Christi non remansit nisi tenue et incertum vestigium.»

16. «Narrationes Joannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones, in ejus evangelio contenti, sunt meditationes theologieae circa mysterium salutis historica veritate destitutae.»

17. «Quartum Evangelium miracula exaggeravit non tantum ut extraordinaria magis apparerent, sed etiam ut aptiora fierent ad significandum opus et gloriam Verbi Incarnati.»

18. Joannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo; re tamen vera non est nisi eximius testis vitae christianae, seu vitae Christi in Ecclesia, exeunte primo saeculo.»

nec de terrae motu et defectu solis in morte Christi, etc. Ergo de Evangelistarum veracitate non constat.

*Resp. Trans. Ant.* et *N. Cons.* Hoc argumentum est mere negativum, et ideo non destruit vim affirmationis positae ab auctoribus fide dignis; praesertim quia aliquem specialiter de illis factis debuisse loqui non ostenditur. *Fl. Josephus* plura de illis temporibus omittit. *Trans. Ant.;* quia multa antiquiorum documenta deperdita sunt, et aliqua de his etiam apud auctores ethnicos reperiuntur.

## ARTICULUS III

### De auctoritate actuum apostolorum

**306.** Nota.—*Actus Apostolorum* sunt liber historicus N. T., in cujus prioribus capitibus propagatio Evangelii in Judaea et locis vicinis, in reliquis vero eadem inter gentes et potissimum gesta S. Pauli narrantur. Auctor hujus libri est S. Lucas, ut admittitur a protestantibus et etiam a pluribus rationalistis; sed hi aliis de causis auctoritatem libri detrahunt. In praesenti hujus libri genuinitas demonstranda et contra adversarios vindicanda. Illius vero integritas et veracitas iisdem argumentis probanda, quibus id ipsum de Evangeliis ostensum est; et ideo hoc expresse tractare non est necesse.

Thesis.

**Actus apostolorum sunt liber genuinus.**

Haec thesis historice certa est.

**307.** *Prob.* 1.° ex *Euseb. Caes.* Hist. Eccl. l. 3, c. 25 (M, G, 20, 267) dicente: «Primo igitur collocanda est sacra Evangeliorum quadriga, quam deinde consequuntur Actus Apostolorum.» Et hi ab ipso ponuntur inter communiter recepta, seu τὰ ὁμολογουμένα. Hoc autem Eusebii testimonium recipiendum est propter eamdem causam, qua supra de Evangeliis dictum est.

**308.** 2.° Ad finem saec. II et deinceps *Actus* erant communiter recepti inter christianos, saltem inter catholicos. Ergo recipiendi sunt ut genuini. Hoc consequens probandum est iisdem argumentis, quibus id ipsum de Evangeliis patefactum est.

*Prob. Ant. S. Iren.* Adv. haer. l. 3, c. 14, n. 1, (M, G, 7, 914), postquam plura ex Act. A. citavit, subjunxit: «Omnibus his cum adesset Lucas, diligenter conscripsit ea, uti neque mendax, neque elatus deprehendi possit,

eo quod omnia haec constarent, et seniorem eum esse omnibus qu ;nunc aliud docent, neque ignorare veritatem.» *Clem. Alex.,* Strom. l. 5, c. 12 (M, G, 9, 123), inquit: «Quomodo Lucas quoque in actis Apost. Paulum dicere commemorat (Act. A. XVII, 22): *Viri athenienses, per omnia tanquam superstitiores...*» *Orig.* Homil. 7, in l. Jesu Nave, n. 1 (M, G, 12, 857): «Addit nihilominus adhuc et Joannes tuba canere per Epistolas et Apocalypsim, et Lucas Apostolorum gesta describens». Et Contr. Cels. l. 6, n. 11 (M, G, 11, 1307): «Judas Galilaeus, teste Luca in Act. Ap., voluit haberi magnus aliquis...» In scripto anonymo edito a Muratori traditur (M, L, 3, 188): «Acta autem omnium Apostolorum sub uno libro scripta sunt. Lucas, optime Teophile, comprehendit, quia sub praesentia ejus singula gerebantur.»

*Tertullianus,* De baptism. c. 10 (M, L, 1, 1320), ait: «Adeo postea in Actis Ap. invenimus (Act. A. XIX), quoniam qui Joannis baptismum habebant, non accepissent Spiritum Sanctum...» Ad Act. A. etiam tanquam librum authenticum alludit Adv. Marc. l. 5, c. 2, (M, L, 2, 504), De jejun. c. 10 (M, 2, 1017), De praescrip. cc. 22 et 23 (M, 2, 40, 41). Postremo *S. Cyprianus* citat Act. A. ut librum authenticum, v. g., De unit. Eccl. n. 25 (M, L, 4, 518).

Ex testimoniis igitur allatis liquet Actus Ap. esse communiter receptos ut genuinos inter catholicos, sive in oriente sive in occidente, jam ad finem saec. II et deinceps.

**309.** 3.° PP. expectantes ad finem saec. I et ad saec. II iniens et medium, ut *Clem. Rom.*, 1.ª ad Cor.; *S. Ignatius*, Ad Smyrn.; *S. Polycar.*, Ad Philipp.; Epist. ad Diog.; *S. Justinus,* in Apol. 1.ª, ad Act. Ap. se referre videntur. Consule *Cornely,* Introd. spec. in N. T. diss. 1, c. 4.

**310.** 4.° *ex characteribus internis.* Auctor Act. Ap. fuit comes Pauli, ut colligitur ex XVI, 10 et sq., XX, 6 et sq. etc., neque hoc fictioni vel fraudi tribuendum, quia Auctor non se facit comitem Pauli in rebus majoris momenti, ut faceret, si esset fraus; neque est immutatio postea adjecta, quia stili uniformitas contrarium suadet. Item quae de locis, personis aliisque adjunctis in Actibus referuntur, scriptorem coaevum postulant. Similiter plura a S. Paulo in suis Epistolis de se ipso, de sua praedicatione aliisque narrata cum iis, quae in Actibus narrantur, plane consentiunt, neque aliquid contradictorium inter Epistolas paulinas et Actus ostendi potest. Haec autem omnia S. Lucae, ut auctori, bene congruunt. Vide *Semeria*, Ventic. an. distor.. lett. 1, n. 11 et sq.

**311.** *Obj.* 1.° Ut tradit schola Tubingensis Petrus et Paulus oppositas doctrinas profitebantur, quemadmodum ex Epist. ad Galat. c. 2, eruitur. Atqui juxta Act. Ap. e contra Petrus et Paulus eamdem sectantur doctrinam, ut ex cc. 11 et 15 elucet. Ergo quum Epist. ad Galat. sit genuina et apostolica, Actus Ap. non sunt ejusmodi, sed posteriore tempore scripti.

*Resp. N. Maj. C. Min.* et *N. Cons.* Ex ipsa Epist. ad Galat., quae ab adversariis ut genuina agnoscitur, manifeste eruitur Petrum et Paulum ratione doctrinae inter se minime dissensisse. Nam, ut traditur in c. 2, Paulus cum Petro et aliis apostolis suum Evangelium contulit, ibidemque ab illis probatum satis innuitur, quum Titus non fuisse compulsus circumcidi traditur. Deinde v. 9 scribitur Petrum, Joannem et Jacobum *dextras societatis* Paulo et Barnabae dedisse, quod certe nullatenus facerent, si doctri-

nis non convenirent. Immò Paulus in ipsa reprehensione adversus Petrum indicat hunc ab illo doctrina non differre; dicit enim illi: *Si tu, quum judaeus sis, gentiliter vivis,* ac proinde implicite affirmat S. Petrum necessitatem servandi ritus mosaicos non agnovisse, prout illi ab adversariis tribuitur; quum enim esset vir bonus, contra id quod sentiebat non ageret. Reprehensio vero Pauli erga Petrum non fuit ob doctrinae diversitatem, sed propter diversum agendi modum, ut in ipsa Epistola insinuatur; videlicet, quia Petrus *prius quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat; quum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant:* quocirca causa reprehensionis fuit eo, quod Petrus coram judaeo-christianis, ne his scandalum daret, ritus mosaicos servabat, atque hac agendi ratione dabat ethnico-christianis occasionem existimandi adesse aliquam necessitatem vel saltem utilitatem legis Moysis custodiendae. Vide plura de his apud *Murillo,* Jesucr. y la Ig. Rom. p 2, L. 1, s. 1, c. 2; *Cornely,* Intr. spec. in N. T. diss. 1, s. 2, c. 4, necnon Comment. in c. 2, Epist. ad Gal.; *Vigouroux*, Les livr. Saints et la crit. rat. t. 4, l. 5, c. 5, etc.

Haec quae dicta sunt confirmari possunt, quia si Ep. ad Galat. unam *tendentiam* alteri oppositam contineret, prout volunt Tubingenses, alii illam Epist. admisissent, alii repudiassent; jam vero hujus dissensionis circa eam Epist. nullum adest vestigium neque in scriptis I et II saec., neque in traditione; quod certe non est verisimile, si re ipsa dissensio illa extitisset.

**312.** *Obj. 2.°* Plura in Act. Ap. adsunt, quae illorum genuinitati adversantur. Nam *a)* in illis, IX, 19-28 traditur Paulum post conversionem suam venisse Jerosolymam, quum ad Galat. I, 17-18, asseratur illum in Arabiam abiisse, postea iterum Damascum et tandem Jerosolymam. Ergo adest contradictio inter ea, quae a Paulo ad Galatas traduntur, et ea quae in Act. Ap. *b)* Prout scribitur I ad Thessalon. III, 1-2, Silvanus seu Silas et Thimotheus Athenis in Macedoniam a Paulo, qui Athenis solus remansit, missi venerunt; contra in Act. Ap. XVII, illos Athenas non pervenisse indicatur. Ergo rursus contradictio in Act. Ap. reperitur. *c)* In V, 34 et sq. ponitur in ore Gamalielis quemdam Theodam sive Theudam seditionem fecisse, et post hunc Judam Galilaeum; verum ex Josepho, Ant. l. 18, c. 1, et l. 20, c. 4; et De bello jud. l. 2, c. 8, eruitur seditionem Judae ante illam Theudae evenisse. *d)* Sermones et orationes, quae in variis Act. Ap. locis tribuuntur diversis personis, omnia similia sunt, ex quo illorum fictio colligitur.

*Resp. N. Ant.* Ea vero quae tanquam probationes afferuntur, nihil evincunt, ut singulis respondendo elucebit.

*a)* Quae sub hac littera opponuntur, nullam involvunt contradictionem; non enim in Act. Ap. asseritur Paulum statim post conversionem Jerosolymam venisse, sed aperte ibi traditur v. 23 hoc evenisse *Quum implerentur dies multi;* quare hisce diebus multis potuit Paulus ea omnia perficere, quae ad Galat. I narrat, videlicet proficisci in Arabiam, deinde iterum Damascum et tandem Jerosolymam. Unde nulla inter utrumque locum est oppositio, sed ad Galat. aliqua narrantur, quae in Act. Ap. omittuntur.

*b)* Rursus nulla hic est contradictio; quia in Act. non affirmatur Thimotheum et Silvanum Athenas non venisse, sed oppositum indicatur; nam v. 15 traditur Paulum mandasse ut Athenas venirent, et v. 16 illos expectare; quare ex solis Act. illos Athenas pervenisse valde verisimile fit.

Unde narratio ita complenda est, sc. Thimotheus et Silas a Paulo vocati Athenas pervenerunt, sed quum ibi minus essent necessarii, in Macedoniam missi sunt, et post regressum ex illa regione iterum cum Paulo Corinthi conjuncti sunt.

*c)* Theudas quidem de quo scribit Josephus, Ant. jud. l. 20, c. 4, n. 1, non potest esse is, de quo in Act. Ap. loquitur Gamaliel, quum ea quae narrantur a Josepho adhuc essent futura tempore orationis Gamaliel. Nec mirum est diversis temporibus duos extitisse seditiosos Theudas, quum ipse Josephus plures ejusdem nominis seditiosos commemoret, ut, v. g. Judam filium Sariphaei (Ant. jud. l. 17, c. 6, n. 2), Judam filium Ezechiae (eodem loco, c. 10, n. 5, et De bel. jud. l. 2, c. 4), et Judam Gaulanitam seu Galilaeum (Ant. jud. l. 18, c. 1, n. 1 et 6 et De bel. jud. l. 2, c. 8). Nec Josephus nostram explicationem rejicit, quia refert post Herodis obitum multos fuisse perturbatores (Ant. jud. l. 17, c. 10, n. 4, et De bel. jud. l. 2, c. 4, n. 1); attamen ex illis solummodo tres commemorat.

*d)* Sermones illi et orationes, quae a S. Luca diversis personis tribuuntur, nemo qui ea legerit, inter se quoad res dictas convenire dixerit; quod vero ea omnia quoad modum dicendi consentiant, quamvis multi negent, nihil contra eorum veritatem probat, nam S. Lucas rei substantiam et veluti compendium potuit referre, sed non ipsa verba et modum dicendi.

**313.** Praeterea multa alia, quae certe magni momenti non sunt, contra Act. Ap. objiciuntur. Imprimis opponunt, auctorem, XVI, 10 et sq. et saepe inferius in aliis cc., repente, nulla facta monitione, incipere primam pluralis personam adhibere, quum antea tertia adhiberetur; hoc autem signum est auctorem non esse testem ocularem. Verum nemo non videt auctorem primam pluralis personam adhibendo significare ipsum esse testem ocularem et actorem eorum quae narrat, nec refert hoc facere repente, nulla praemissa monitione: tum quia per ipsum usum primae personae rem sufficienter indicat, tum quia coaevis, quibus scribebat, jam poterat omnino notum esse, quum socius Pauli et actor rerum quae narrat, fuerit. Neque infertur, quod adversarii contendunt, videlicet si S. Lucas fuit socius Pauli, hic in suis Epistolis saepius et primo loco Lucam nominasset; hoc, inquam, non infertur, tum quia quamvis fuerit socius, non ideo fuit primarius, et licet esset primarius, certis de causis potuit non nominari primo loco; tum quia potuit Lucas non esse socius Pauli, quum Epist. ad Thessalon., Corinth. et Philippens. scripsit; istae enim sunt Epistolae, in quibus contendunt adversarii Lucam speciatim deberi nominari, si revera fuisset socius Pauli, quoties in Act. Ap. prima persona adhibetur.

Item opponitur diversus modus, quo Pauli conversio in IX, XXII, XXVI narratur; verum inter illas narrationes habetur quidem diversitas, sed nulla pugna vel oppositio. Itidem nihil non verisimile invenitur in iis, quae judaei romani (Act. Ap. XXVIII, 21-22) Paulo dixerunt. Quod vero asserunt nihil mali de Paulo audiisse, videtur hoc referri non ad totam Pauli vitam, sed ad praesentem dumtaxat causam propter quam Romam venit. Rursus opponunt rationalistae contra Act. Ap. omnia supernaturalia, quae ibi narrantur; verum hoc nihil evincit nisi rationalistarum praejudicia contra omne supernaturale, et dum supernaturale repugnare

non demonstratur, quod numquam fiet, stulte narrationes eo ipso repudiantur, quia de rebus supernaturalibus agunt.

Neque adest pugna inter ea, quae de sectatoribus cujusdam Aegyptii in Act. Ap. XXI, 38, et a Josepho, Ant. jud. l. 20, c. 7, n. 6, et De bel. jud. l. 2, c. 13, n. 5, traduntur; in Act. enim de hominibus sicariis, qui illum Aegyptium sectabantur sermo est, Josephus vero de tota multitudine aliquo modo illi adhaerente loquitur.

Denique Act. Ap. juxta probabiliorem sententiam exarati sunt paulo post primam captivitatem Pauli romanam, quod quidem ipse S. Lucas innuit, quatenus nihil de iis, quae S. Paulus post biennum romanae captivitatis egit, scripsit. Neque rationalistae habent quid alicujus momenti, quod huic sententiae opponant. Vide *Knabenbauer*, Comment. in Act. Ap. Prolegomen.

# DISPUTATIO II

## De religionis christianae veritate

### CAPUT I

### Religionis christianae veritas ex miraculis demonstratur

Postquam de revelationis natura, criteriis ejusdem discernendae ac aliquorum librorum, quibus continetur, authentia actum est, ad veritatem religionis christianae demonstrandam per criteriorum applicationem veniendum est. Profecto, quum inter criteria, docente *Conc. Vatic.* sess. 3, c. 3, potissima sint miracula et prophetiae, ex his veritas revelationis christianae principaliter ostendenda est. Unde, ea in praesenti capite ex miraculis, in altero ex prophetiis, ac denique in tertio ex ceteris criteriis demonstrabitur.

#### ARTICULUS I

#### Veritas religionis christianae ex miraculis generatim ostenditur

**314.** *Praenitt. I.* In saeculo transacto fuerunt nonnulli, qui existentiam Jesu Christi negarunt; verum hoc commentum est tam absurdum, ut jam ab omnibus sit derelictum. Si enim Jesus Christus non extitisset, quomodo Apostoli ejusdem existentiam persuasissent

tot hominum multitudini eo tempore, quo facile comprobari poterat, utrum res esset vera, necne? Quomodo Apostoli vitam ejus publicam et mortem violentam magnae Jerosolymorum urbi patentem finxissent, et crederentur? Quomodo Paulus propter hominem fictum deseruisset religionem mosaicam, cujus erat studiosissimus? Quomodo ejus doctrinam maximis laboribus propagasset, et pro illo sanguinem fudisset? Si Christus non extitit, quis typum tam excelsum et sublimem finxit, et doctrinam tam coelestem invenit? Deinde omnia argumenta adducenda pro veritate religionis christianae, probant et Christum extitisse, et fuisse legatum Dei. Id ipsum constat ex demonstrata Evangeliorum authentia. Eamdem Christi existentiam testantur Tacitus, Ann. l. 15, c. 44; Suetonius, Claud. c. 25; Plinius Junior, Epist. l. 10, espist. 97; Fl. Josephus, Ant. jud. l. 18, c. 4, n. 3; Celsus apud Originem, aliique ex ethnicis.

Posita igitur Christi existentia demonstrandum est eum fuisse legatum Dei et religionem ab eo fundatam esse divinam; nam Christum aliquam fundasse religionem ex communi hominum consensu, et quia religio christiana non aliter explicatur, etiam manifestum est. Si enim Christus religionem christianam non fundavit, quis illam fundavit? Nonne Christus jussit Apostolis docere omnes gentes suam doctrinam (Matth. XXVIII, 19, 20)? Nonne illis jussit praedicare poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine ejus in omnes gentes (Luc. XXIV, 47), et esse illi testes in omni terra (Ac. Apost. I, 8)?

**315.** *Praemitt. II.* Plura miracula in Christi nativitate et morte evenerunt, ut stellae et angelorum apparitio, veli templi scissio, terrae motus, petrarum confractio, mortuorum suscitatio, etc.; sed haec omnia, utpote quae ad praesentem scopum necessaria non sint, omittam; et ea dumtaxat afferam, quae Christus tempore vitae publicae patravit. Miracula Christi ad quatuor genera revocari possunt; alia enim in natura inanima, alia infirmitatum sanatione, nonnulla mortuorum suscitatione, et plura daemonum ejectione effecit. In demonstratione veritatis religionis christianae ex miraculis Christi duplex methodus potissimum invenitur: alii pauca aliqua miracula seligunt, eaque sub omni respectu considerant; alii omnia Christi miracula generatim assumunt. Atque haec postrema methodus praeferenda videtur, eamque servabo; nam moraliter impossibile est, genuinitate Evangeliorum semel stabilita, in narrationibus miraculorum fere innumeris frequentius contineri falsum vel sensum non obvium; hoc vero, si res mere humanitus consideretur, in uno vel altero miraculo facile evenire potest.

## Thesis.

**Miracula a Christo patrata veritatem religionis christianae certo commonstrant.**

**316.** *Prob.* Miracula a Christo patrata veritatem religionis christianae commonstrant, si ab illo multa miracula vere talia in confirmationem veritatis religionis christianae effecta sint. Atqui Christus multa miracula in confirmationem veritatis religionis christianae revera effecit. Ergo. Major ex his, quae d. 1, c. 2, a. 4, de miraculi efficacia disceptata sunt, constat. Minor vero per partes probanda est.

**317.** 1.° **In Evangeliis multa et varia Christi miracula narrantur.**—*a) In natura inanima.*—Sex hydrias plenas aquae usque ad summum nullo adhibito medio, repente in vinum convertit (Joannem, II, 3 et sq.); solo imperio magnam tempestatem sedavit, *et facta est tranquillitas magna* (Matth. VIII, 23; Marc. IV, 36; Luc. VIII, 22); sine ullo rei creatae adjumento super aquas ambulavit ac Petrum super illas etiam ambulare fecit (Matth. XIV, 25, 29; Marc. VI, 48; Joann. VI, 19); bis panes et pisces sola benedictione et fractione copiosissime multiplicavit: prima vice quinque panibus et duobus piscibus quinque millia virorum, mulieribus et parvulis non recensitis, saturavit, atque duodecim cophini fragmentorum plêni ex reliquiis collecti sunt (Matth. XIV, 17; Marc. VI, 37; Luc. IX, 13; Joann. VI, 9); altera vice septem panibus paucisque pisciculis quatuor hominum millia satiavit, et quatuor ex residuis sportae implctae sunt (Matth. XV, 32; Marc. VIII, 1).

*b) Morborum sanatione.*—Sanavit *solo imperio* manum aridam (Matth. XII, 13; Marc. III, 5; Luc. VI, 10), unum paralyticum (Matth. IX, 6; Marc. II, 11; Luc. V, 24), et alterum triginta et octo annos in infirmitate habentem (Joann. V, 8), tres infirmos ab illo distantes, nempe filium cujusdam reguli graviter aegrotantem (Joann. IV, 46), servum Centurionis paralyticum et in periculo mortis (Matth. VIII, 5; Luc. VII, 2) et filiam Cananaeae a daemonio vexatam (Matth. XV, 22; Marc. VII, 25); sanavit *imperio et contactu* simul vel tantum *imperio* leprosum (Matth. VIII, 3; Marc. I, 41; Luc. V, 13), aurem amputatam (Luc. XXII, 51), socrum Petri magna febri laborantem (Matt. VIII, 15; Marc. I, 31; Luc. IV, 38), mulierem incurvatam et infirmam ab annis decem et octo (Luc. XIII, 11), mutos, caecos, claudos et omnem languorem et infirmita-

tem (Matth. XV, 30, IV, 23, VIII, 16, IX, 35; Marc. IX, 21, I, 32; Luc. IV, 40, VI, 18, 19, VII, 21), sanavit *imperio et contactu et* simul *fiduciae excitatione* caecos (Matth. IX, 27, XX, 30; Marc. X, 46; Luc. XVIII, 35) necnon mulierem ab annis duodecim fluxu sanguinis laborantem et per medicos insanabilem (Matt. IX, 20; Marc. V, 25; Luc. VIII, 43). Item largitus est visum caeco a nativitate, oculos ejus linendo luto confecto ex sputo illosque lavando; rursus auditum et loquelam surdo muto immittendo digitos in auriculas ejus ac in ipsius linguam expuendo, caelum respiciendo et clamando impertivit (Marc. VII, 32), denique decem leprosos *sola obedientia* pergendi ad sacerdotes a lepra perfecte mundavit (Luc. XVII, 14).

*c) Mortuorum suscitatione.*—Suscitavit solo imperio et contactu unicam Jairi, principis synagogae, filiam, cujus mortem testatur legatus quidam, necnon circumstantes deridendo Jesum, quia dicebat *non est mortua puella, sed dormit* (Luc. VIII, 41, 49; Marc. V, 22; Matth. IX, 18); similiter filium viduae Naim, qui tam certo mortuus erat, ut ad sepulchrum, matre consentiente, jam deferretur (Luc. VII, 12); postremo solis precibus et imperio Lazarum a quatuor diebus mortuum et jam sepulturae traditum (Joann. XI).

*d) Daemonum ejectione.* — Solo imperio ejecit daemonem in synagoga Capharnaum (Marc. I, 23; Luc. IV, 33), alium ex puero acriter vexato (Matth. XVII, 14; Marc. IX, 16; Luc. IX, 38); et simili modo multos (Matth. VIII, 16), imo legionem in terra Gerasenorum, quae quidem daemonia, Christi permissione accepta, gregem porcorum invaserunt, eumque in mare praecipitari fecerunt (Matth. VIII, 28; Marc. V, 2; Luc. VIII, 27); postremo alium ex homine muto cum turbarum admiratione (Matth. IX, 32; Luc. XI, 14) aliosque plures (Luc. IV, 41) summa facilitate.

**318.** 2.° **Miracula enumerata re ipsa evenerunt prout narrantur.**—Hoc infertur ex Evangeliorum genuinitate, integritate et veracitate, quae, d. 1, c. 3, probatae sunt. Insuper miracula Christi effecta sunt aut publice, aut saltem coram pluribus testibus; erant facta sensibilia et valde idonea ad attentionem et studium veritatis inquirendae excitanda, atque eorum frequentia et multitudo stimulum inquirendi augebat, facilioremque reddebat inquisitionem. Praeterea de aliquibus miraculis examen institutum est, ut de paralytici curatione (Joann. V, 10), et praesertim de visus acquisitione in caeco a nativitate, ubi maxima sollertia de veritate et caecitatis et curationis perquisitum est. Accedit quod miracula Christi fuerunt causa, qua homines ei crederent, fierentque ejus discipuli, ut apparet ex Matth. IX, 8, XIV, 33, necnon ex Joann. II, 11, 23, III, 2, VII, 31,

XI, 45, etc. Rursus S. Petrus die Pentecostes coram magna multitudine, quorum plurimi opera Christi cognoverant, de Jesu, Act. Ap. II, 22, dicit: *Virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis, et signis, quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis.* Haec autem nullo modo dixisset Petrus, si miracula Christi non fuissent facta vera.

Accedit quod christiani per varias orbis partes dispersi, inter quos non deerant sapientes, miracula Christi ut indubia admittebant. Sic *Quadratus*, apostolorum discipulus, atheniensis episcopus Adriano imperatori apologiam pro christianis obtulit, in qua apud *Eusebium*, Hist. eccl. l. 4, c. 3 (M, G, 20, 307), dicitur: «Servatoris autem nostri opera semper conspicua erant, quippe quae vera essent; ii sc. qui morbis liberati, aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non solum dum sanabantur, aut dum ad vitam revocabantur, conspecti sunt ab omnibus, sed secuto deinceps tempore. Nec solum quamdiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post ejus discessum diu superstites fuerunt: adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint.» Et *Origenes,* Contr. Cels. l. 3, n. 27 (M, G, 11, 954), ita loquitur: «An Herodotum et Pindarum putas mendaciis non fallere; qui vero mori optant pro Jesu documentis, et scripta de rebus quas perspectas habebant, ad posteros transmittenda reliquerunt, eos pro figmentis, pro fabulis fictisque prodigiis usque adeo decertasse, ut misere vivere et vi e medio tolli vellent?»

Postremo ipsi judaei et ethnici Christum vere mirabilia effecisse fatebantur, sed ea arti magicae vel daemoni tribuebant. De judaeis hoc eruitur ex Matth. XII, 24; Joann. XI, 47; item ex Josepho, Antiq. l. 18, c. 3, n. 3; Origene, Contr. Cels. l. 1, n. 38 (M, G, 11, 734); Lactant., Div. inst. l. 4, c. 15 (M, L, 6, 492), etc. Id ipsum de ethnicis constat ex Origene, Contr. Cels. l. 2, n. 48 (M, G, 11, 870), l. 8, n. 9 (col. 1531), etc.; Lactant. Div. Inst. l. 5, c. 3 (M, L, 6, 557); Euseb. Caes. Cont. Hieroclem, c. 2 (M, L, 22, 789), ex quo postremo loco ethnicos Christi miraculis praestigias Pythagorae, Aristae Proconnesii, et praesertim Appollonii Tyanensis opposuisse habetur.

**319.** 3.° **Miracula Christi sunt vere miracula.**—Primo in illis non reperitur aliquid Deo indignum, nec doctrinae manifeste falsae confirmantur, nec modo ullo pravi mores approbantur, neque aliquid id genus fit. Verum sunt talia et eo modo perpetrata, ut indubitanter esse opera divina totius naturae creatae virtutem superantia et vera miracula patefiat.

Etenim *a*) Solo imperio vel imperio simul et simplici contactu

vel aliis mediis evidenter insufficientibus magnam tempestatem sedare, aquam in vinum convertere, panes et pisces copiosissime multplicare, mutos, claudos, caecos, leprosos et omnem infirmitaten curare; daemones expellere, graviter aegrotantibus ex magna distantia sanitatem impertire soli virtuti Dei prudenter attribui potest.

*b*) Inter miracula Christi numerantur mortuorum suscitationes, quae totius naturae creatae vires certo excedunt, nec unquam ope sive magnetismi, sive hypnotismi, sive daemonis aliquis vere mortuus ad vitam revocatus est.

*c*) Christus tam magnam miraculorum multitudinem et diversitatem coram suis Apostolis, discipulis plurimisque aliis operatus est, ut si in illis fuisset fallacia, id detectum esset; neque Apostoli aliique multi miraculorum testes oculares tam sincere et tam constanter ei credidissent, praesertim quum ex hoc nullum emolumentum, sed magna incommoda, insectationes, aerumnas violentamque mortem caperent.

*d*) Miracula Christi non sunt effectus hypnotismi vel magnetismi, vel aliarum virium naturalium: tum quia hypnotismus vel magnetismus non potest magnam tempestatem sedare, aquam in vinum convertere, panes et pisces multiplicare; tum quia non omnes morbos sanat, sicut Christus faciebat, sed aliquos dumtaxat; tum denique quia ad morbos sanandos somnum aliaque media adhibet, quum Christus repente et sine talibus mediis omnem infirmitatem curaret. Neque alii virtuti naturali miracula Christi tibui possunt; nam media a Christo adhibita virtutem non continere efficiendi ea, quae ab illo efficiebantur, manifestum est. Nec Christus vires naturae occultas applicabat; nullum est enim fundamentum ad id asserendum, et si Christus ut merus homo consideratur, quum esset artifex, et scientiarum naturalium ignarus, eas vires non poterat cognoscere, praesertim quum post tot saecula viri rerum naturalium peritissimi illas prorsus ignorent.

*e*) Postremo Christi miracula daemoni vel arti magicae tribui nequeunt; nam daemones non contra suam potestatem agunt in homines, sicut Christus faciebat, qui hac ipsa de causa dixit: *Si Satanas contra seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?* Deinde spiritus nequam odium Dei, falsum cultum omniaque vitia fovent; at Christi doctrina ad purissimum Dei amorem et cultum atque ad optimos mores conducit. Propter has ipsas causas miracula Christi non sunt artis magicae, quia in magia, si quid adsit vires naturae superans, id daemoni tribuendum est.

*Coroll.* Ex dictis manifestum est nullum Christi miraculum sive-

a viribus naturae sensibilis, sive a daemone originem ducere: unde si non appareat aliqua esse supra vires naturae angelicae, saltem constat ea, si virtuti divinae non adscribantur, bonis angelis esse adscribenda, atque ideo eamden vim veritatis religionis christianae confirmandae habere juxta dicta supra n. 206, ac si immediate a Deo patrata essent.

**320.** 4.° **Miracula Christi facta sunt ad veritatem religionis christianae demonstrandam.**—Imprimis hoc ex ipsa rei natura constat; nam si aliquis doctrinam tradit, et simul miracula patrat, haec illam probare omnes existimant. Deinde Christus saepe adduxit miracula ut causam credendi suae doctrinae, et admittendi suam missionem ut divinam, sive ut probaret se divina auctoritate docere. Sic, Joann. X, 37, dixit: *Si non facio opera Patris mei nolite credere mihi. Si autem facio: et si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et V, 36: *Ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Videsis etiam Joann. X. 25, XI, 42, XV, 24; Matth. XI, 2-5, XII, 28; Luc. V, 24, VII, 20-23, etc. Postremo Apostoli et discipuli etiam miracula ut causam credendi Christo afferunt. Ita Joann. XX, 30, iniquit: *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei.* Item Nicodemus, Joann III, 2; *Rabbi, scimus quia a Deo venisti Magister: nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Similiter regulus quidam, Joan. IV, 53, sua fide id ipsum ostendit.

**321.** *Obj. 1.°* Veritas miraculorum Christi evangelica narratione potissimum nititur. Atqui evangelica narratio, quamvis miracula repudientur, variis modis explicari potest. Ergo de veritate miraculorum Christi non constat.

*Resp. C. Maj.* et *N. Min.* In evangelica narratione miracula repudiari nequeunt, nisi sensus omnino detorqueatur et corrumpatur; unde rationalistarum interpretationes demonstrata evangeliorum genuinitate, integritate et veracitate, de quibus supra d. 1, c. 3, dictum est, ruunt et absurdae apparent. Quocirca ut illorum effugia refutentur, sufficit insistere sensui obvio et naturali evangelicae narrationis, nec necesse est singula miracula contra rationalistarum cavillationes defendere, praesertim quia multorum fundamenta, sc. miracula esse impossibilia et Scripturas non esse genuinas, supra abunde rejecta sunt. Nihilominus ut magis magisque elucescat quam levia sint ea, quibus miracula impugnata sunt, nonnulla hic subjiciam, eademque refellam, ut ex illis de ceteris judicari possit.

De conversione aquae in vinum (Joaañ. II, 3) ab aliquo rationalista dictum fuit Jesum attulisse secum vinum, illudque occultum servasse usque dum fuit illius defectus, et tum vinum occultum repente manifestavit, et obtulit, atque hoc existimatum est fuisse miraculum. Dicunt alii liquorem vinosum aquae immixtum tribuisse aquae saporem vini. Verum enimvero, nonne Jesus ministris jussit hydrias aqua impleri, eaeque usque ad *summum* aqua impletae sunt? Nonne architriclinus gustans liquidum in hydriis contentum reperit esse vinum, quum in illas sola aqua usque ad *summum* immissa esset? Quomodo Jesus potuit secum vinum adducere, illudque postea manifestare, et hoc a pluribus prout erat non cognosci? Cur ergo Evangelista hoc factum *initium signorum Jesu* vocat? Cur propter illud *crediderunt in eum discipuli ejus,* si nihil supernaturale adfuit? Itidem, quomodo Jesus liquorem vinosum aquae immiscuit et alii hoc non animadverterunt? Quomodo hydriae usque ad summum plenae aqua poterant acquirere saporem *boni vini* parva alicujus liquoris mixtione? Praetermitto quod hisce omnibus, prout saepe faciunt summa calumnia rationalistae, Jesum depingi ut deceptorem amatoremque vanae gloriae, quod quidem characteri Jesu, prout ab Evangelistis et ab omni traditione christiana describitur, apertissime repugnat. Omitto etiam, quod alii dicunt, nullam adfuisse causam illius miraculi patrandi, imo novum vinum ebrietatem convivarum induxisse, aut auxisse; etenim necessitati illorum sponsorum satisfacere conveniens fuit, neque, ex eo quod in aliis conviviis invitati nonnunquam inebriarentur, recte colligitur id ipsum evenisse invitatis ad nuptias Cąna, praeterquam quod vocabulum *inebriatus* non semper sumitur stricte.

Tempestatem magnam (Matth. VIII, 24; Marc. IV, 37; Luc. VIII, 23) dixit aliquis imperio Jesu cessasse, quia imperium datum est eo tempore, quo secundum naturae cursum tranquillitas facienda erat. At si tranquillitas naturaliter facta esset, aliqui, praesertim nautae, id cognovissent, et *homines mirati* non essent eventum. Accedit quod naturaliter non concipitur imperium Christi simul adamussim cum *tranquillitate magna* repente consecuta concurrisse.

**322.** Panum et piscium multiplicatio (Matth. XIV, 17; Marc. VI, 38; Luc. IX, 13; Joann. VI, 9; item Matth. XV, 34; Marc. VIII, 1) naturaliter explicatur, aut quia Jesus paucos panes et pisces, quos habebat, inter egenos distribuit, ac suo exemplo alios ad simile faciendum induxit, sicque omnes satiari potuerunt, aut quia multitudo maximam servavit parsimoniam. Ast haec cum narratione evangelica minime concordant, qua significatur: 1.° multitudinem illam non

habuisse cibos, nisi ad proximas villas ad illos emendos perrexisset. 2.° omnem illam multitudinem prorsus fuisse satiatam ex quinque panibus et duobus piscibus, quod certe sine multiplicatione et miraculo fieri non poterat. 3.° ex illis panibus et piscibus multiplicatis duodecim cophinos fragmentorum plenos superfuisse. 4.° denique Joann. VI, 14, dicitur: *Homines quum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere proheta, qui venturus est in mundum.*

*Strauss* hanc multiplicationem (Matth. XVI, 20) admitti non posse asserit, tum quia si vera fuisset, Apostoli similem exspectarent in alia simili occasione (Matth. XV, 33), et contrarium evenit; tum quia Synoptici et S. Joann. VI, 5, contradictoria de illo eventu tradunt. Sed primum rejicitur, quod Apostoli, quum fiduciam concipere debebant, id sive tarditate, sive alia de causa non faciebant, prout eruitur ex Matth. XVI, 8; Marc. VIII, 17, etc. Alterum vero vocat contradictoria, quae nullo modo sunt talia, sed diversa propter aliquarum circumstantiarum omissionem.

Caecus natus (Joann. IX) a rationalistis nonnullis dicitur curatus, aut quia non erat perfecte caecus, perrexit enim solus ad natatoriam Siloe, ut oculos suos lavaret, quod caecus non fecisset; aut artificio aliquo visus illi impertitus est. Sed ad primum quod attinet, quis ignorat caecos sine socio saepe percurrere vias sibi notas? Et quis viam ad natatoriam Siloe fuisse illi caeco ignotam ostendet? Accedit quod Evangelium neque affirmat, neque negat, utrum solus, an cum socio ad natatoriam illam iverit. Alterum de artificio, sine fundamento dicitur, quum ex Evangelio manifestum sit nihil aliud fuisse adhibitum ad visum impertiendum, nisi rem ad id prorsus ineptam, sc. lutum ex sputo confectum ad oculos liniendos ac horum lotionem. Aliunde usque ad praesens nihil inventum est, quo visus caeco a nativitate tribuatur. Postremo ad miraculi confirmationem facit, quod caecus habuit. Jesum ut prophetam, v. 17, et suam curationem ut quid *a saeculo non auditum,* v. 32; ejus parentes testificati sunt illum esse eorum filium et caecum esse natum, et nonnulli ex pharisaeis, v. 16, dicebant: *Quomodo potest homo peccator haec signa facere?*

**323.** Paralyticus (Matth. IX, 2, Marc. II, 3, Luc. V, 18) secundum aliquos rationalistas erat homo, qui proter sua peccata in paralysim incidisse sibi persuaserat, et ideo ea persuasione semel deposita sanus apparuit. Juxta alios magnetismo vel simili modo fuit sanatus. Sed hoc postremum jam sub d) rejectum est. Illud vero primum evangelicae narrationi non consonat: tum quia paralyticus ut vere talis

a quatuor deferebatur, secus non deferri, sed verberibus ad deambulandum cogi necesse fuisset; tum quia Jesus hanc curationem ut signum suae potestatis peccatorum dimittendorum assumpsit; tum quia paralyticus quum audivit *dimittuntur tibi peccata,* non sanatus est, prout evenire oportebat, si assertum staret, sed post illa verba adhuc mansit cum paralysi; tum denique quia circumstantes ibi verum miraculum interfuisse existimarunt.

*Strauss* contra hujus paralytici sanationem inter alia opponit, in Palaestina in omnibus domibus januam in tecto adesse, ac proinde tecti apertionem a S. Marco narratam esse fictionem; verum Evangelista in tecto fuisse januam non negat, quamvis enim esset, saltem non erat sufficiens ad submittendum paralyticum, et ideo partem tecti nudare opus fuit.

Curatio vero servi seu pueri Centurionis (Matth. VIII, 5; Luc. VII, 2) dicitur facta per Apostolum missum a Jesu, ac proinde non ex distantia. Verum de missione Apostoli nihil in Evangeliis innuitur. Deinde si Apostolus praesens infirmo eum brevi temporis intervallo sanasset, non minus fuisset miraculum, quum secundum S. Lucam servus ille graviter aegrotaret. Quod vero *Strauss* de contradictione inter narrationem S. Matthaei et S. Lucae opponit, non difficile solvitur. Apud Matth. traditur quidem: *Puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur;* et apud Luc.: *servus male habens, erat moriturus.* Verum haec, ut per se patet, non contradictoria, sed diversa tantummodo sunt. At reponunt: secundum Matth. ipse Centurio, dum secundum Lucam non ipse Centurio, sed ejus legati ad Jesum veniunt. Rursus neque haec sunt contradictoria: nam S. Matthaeus, utrum Centurio immediate, an mediate tantum ad Jesum accesserit, non aperte dicit; verum S. Lucas id declarat, sc. quod Centurio Jesum adit non per se ipsum, sed per suos legatos: aliunde quod quis per legatos facit, eidem tribuitur, veluti si per se ipsum faceret. Videsis *S. August.* Contr. Faust. l. 33, cc. 7 et 8 (M, L, 42, 515, 516), et De cons. Evang. l. 2, c. 20, n. 48 et seq. (M, L, 34, 1100). Nihilominus *S. Joann. Chrysost.,* Homil. 26, in Matth. n. 3 (M, G, 57, 336) cum aliis asserit esse verisimile post legatos etiam ipsum immediate ad Jesum accessisse.

Denique rationalistae recentiores generatim recusant miracula, quia juxta eos de miraculis historice non constat; verum hoc ex dictis esse falsum satis probatum est. Quatenus vero plures rationalistae ad miracula repudianda nituntur agnosticismo aliisque systematibus philosophicis falsis, refutandi sunt in philosophia, ubi ea systemata demonstrantur absurda.

**324.** *Obj. 2.°* Homines, qui in Evangeliis daemonium habere dicuntur, non erant a daemone possessi, sed epileptici, insani, furiosi, melancholici et generatim nervorum infirmitate laborantes. Ergo ex daemonum expulsione nihil pro christianae religionis veritate conficitur

*Resp. N. Ant.* et *Cons.* Illi, qui in Evangeliis daemonem habuisse dicuntur, revera illum habuisse multis ostenditur: nam 1.° daemonis possessio ab aliis infirmitatibus distinguitur, ut apud Matth. IV, 24. 2.° Christus ipse suis discipulis potestatem daemonum ejiciendorum ut de re ab infirmatibus corporalibus distincta tradit, ut eruitur ex Matth. X, 8; Marc. III, 15, etc. 3.° Jesus daemones increpabat, et hi illum alloquebantur, ut habetur apud Marc. I, 24 et seq., III, 11 et seq.; Luc. IV, 33 et seq. etc. 4.° Nullo modo de infirmitate corporea intelligi possunt, quae profert Jesus, Matth. XII, 43 et seq., sc.: *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quaerens requiem, et non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi... Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se...* 5.° denique daemones in regione Gerasenorum ejecti (Matth. VIII, 28 et seq.) in gregem porcorum ingressi sunt, hosque in mare praecipitari fecerunt, quod certe corporalibus morbis applicari nequit.

Nec dicant adversarii non esse credibile tempore Christi reperiri possessos a daemone, et in aliis aetatibus non inveniri. Etenim etiam post Christum possessi a daemone non defuerunt, quemadmodum viri sapientes et pii testantur. Sed speciatim in prioribus post Christum saeculis plures adfuisse daemoniacos testatur *S. Justinus*, Apol. 2, n. 6 (M, G, 6, 454), inquiens: «Plurimos enim daemoniis agitatos in toto orbe et in urbe vestra, multi ex nostris christianis, cum per nomen Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi adjurarent, ab omnibus aliis adjuratoribus, incantatoribus, et veneficiis non sanatos sanaverunt, atque etiamnum sanant, fractis et ejectis daemonibus homines detinentibus.» Item *S. Irenaeus*. Contr. haer. l. 2, c. 32 n. 4 (M, G, 7, 829): «Alii enim daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus, et sint in Ecclesia.» Denique *S. Cyprianus*, Ad Demetr. c. 15 (M, L, 4, 555): «O si audire eos velles et videre quando a nobis adjurantur et torquentur spiritualibus flagris, et verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes et gementes voce humana, et potestate divina flagella et verbera sentientes venturum judicium confitentur! Veni et cognosce vera esse quae dicimus... Videbis nos rogari ab eis quos tu rogas, timeri ab eis quos tu times,

quos tu adoras; videbis sub manu nostra stare vinctos et tremere captivos, quos tu suscipis et veneraris ut dominos.»

Postremo volunt aliqui spiritus a Christo ejectos non fuisse angelos malos, sed animas defunctorum. Verum, quamvis ita fuisset, non tolleretur ratio miraculi, quum solo hominis imperio spiritus adigere ad fugam non sit naturale. Nihilominus prorsus afirmandum est spiritus a Christo ex corporibus ejectos fuisse angelos malos; nam iidem spiritus vocantur *satanas*, ut elucet ex Luc. XIII, 16; Matth. XII, 26; Marc. III, 23, etc.; *Satanas* vero significat angelum malum; tum quia dicitur cecidisse de coelo (Luc. X, 16), quod spiritui hominis non convenit; tum quia idem est ac diabolus, ut colligitur ex Jesu tentatione (Matth. IV, 5, 8, 10; Marc. I, 13), et diabolus est angelus malus, ut elucet ex Matth. XXV, 41. Praeterea animae humanae inter christianos non vocantur *daemones*, prout spiritus immundi a Christo expulsi nuncupantur, sed *animae, spiritus hominis*; atque haec nomina nunquam spiritibus a Christo depulsis attribuuntur.

**325.** *Obj. 3.°* Christus ad miracula patranda fidem postulabat. Ergo fidei tribuenda sunt miracula a Christo patrata, ac proinde non erant vera miraeula.

*Resp. d. Ant.*: Christus ad miracula patranda fidem postulabat semper, *N.*; aliquando, *Subdist.*: ut causam efficientem miraculi, iterum, *N.*; ut conditionem nullatenus concurrentem in efficientiam physicam miraculi, C. Christus aliquando fidem postulabat ad miraculum efficiendum, ut ii, quibus beneficium conferendum erat, aliquid praestarent, et aliquo modo ad illud recipiendum se disponerent. Sed ea fides et dispositio nullum influxum ad miraculum efficiendum, exercebat; et Jesus eodem modo cum illa fide et dispositione, ac sine illa miracula perficere poterat. Hoc autem constat, quia Jesus nullam saepe adhibuit fidem, ut in omnibus miraculis, quae in natura inanima patravit. Deinde fides, ut aliquo modo ad miraculum concurrere posset, excitanda esset in ipsa persona sananda, non in alia; Jesus autem plures sanavit, quum fides non esset in illis, sed in aliis, ut in sanatione servi Centurionis, filiae Cananaeae, filii cujusdam reguli prope Capharnaum (Joann. IV, 47), cujusdam daemoniaci (Mar. IX, 16) etc. Item fides ad summum inservire potest, ut infirmitates phantasiae et nervorum depellantur, sed nullatenus ut omne infirmitatum genus curetur, prout faciebat Jesus. Postremo nihil facere fides ad mortuos suscitandos.

**326.** *Obj. 4.°* Ut Christi miracula aliquam vim probandi haberent, patranda fuissent coram sapientium conventu, non coram populo rudi. Atqui Christus coram populo rudi sua miracula patravit. Ergo.

*Resp. N. Maj.* et *Min.* Neganda est major, quia Christi miracula ea erant, de quibus omnes, dummodo sanam mentem haberent, judicare poterant. Deinde neganda etiam est minor, quia Christus sua miracula coram omnibus sive rudibus sive sapientibus effecit.

**327.** *Obj. 5.°* Si Christus sua miracula ad doctrinam confirmandam referret, non prohiberet quominus divulgarentur. Atqui prohibuit, ut elucet ex Matth. VIII, 4; Marc. VII, 36; Luc. VIII, 56, etc. Ergo.

*Resp. D. Maj.*: non semper prohiberet quominus divulgarentur, *C.*; aliquando, *N. et Contradist. Min. N. Cons.* Christus saepe sua miracula evulgari non prohibebat, imo, ut constat ex n. 320, nonnunquam illa ad doctrinam suam confirmandam expresse adducebat. Unde prohibitio divulgationis non erat, ne miracula doctrinam probarent, sed aliae laudabiles causae, sc. tum commendatio modestiae et humilitatis, tum ne mors ejus violenta acceleraretur. Si enim ejus miracula fuissent nimis divulgata, praesertim prope Jerusalem et in locis finitimis, sacerdotes propter invidiam, jam ante tempus a Deo definitum, illum occidere conati essent: sic propter resurrectionis Lazari publicationem pontifices et pharisaei (Joann. XI, 47) concilium contra Jesum collegerunt. Nihilominus omnia Christi miracula coram pluribus patrata sunt, et omnia ad veritatem doctrinae demonstrandam revera conducunt.

**328.** *Obj. 6.°* Judaei, qui miracula Christi viderunt; ei non crediderunt. Ergo Christi miracula veritatem religionis christianae non persuadent.

*Resp. D. Ant.:* Jadaei omnes, qui miracula Christi viderunt, ei non crediderunt, *N.*; plures, *C.* et *N. Cons.* Multi judaeorum religionem christianam amplexi sunt, ut elucet ex Act. Ap. II, 41, IV, 32, VI, 7, etc., Jerosolymisque ecclesia constituta est (Act. Ap. XV, 4), atque religionis Christi propagatores ex judaeis fuerunt. Et non modo plebeii, sed etiam alii crediderunt, ut Nicodemus (Joann. III, 2), Zachaeus (Luc, XIX), Joseph ab Arimathaea (Matth. XXVII, 57), regulus quidam (Joann. IV, 53), multi principes (Joann. XII, 42) et sacerdotes (Act. Ap. VI, 7). Quod si plures non crediderunt, id non defectum efficaciae in miraculis arguit, sed quod ii aut illa signa perpendere noluerunt, aut, quamvis ea perpenderint, credere ob suas animi perturbationes et malam voluntatem recusarunt. Miracula enim etsi rite considerentur, non faciunt doctrinam immediate evidentem, sed eam evidenter credibilem reddunt; at homo potest nolle credere, ac mentem avertere ab iis, quae eum ad credendum inducunt. Unde dixit Cristus de judaeis (Joann. XV, 24): *Si opera non*

*fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum.* Et alibi (Joann. III, 19) dixit ipse Christus: *Hoc est autem judicium: quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus...* Apposite *S. Joann. Chrysost.* Contr. jud. et gent. n. 11 (M, G, 48, 828), inquit: «Et qui fieri possit, dicet quispiam, ut libros habentes (judaei) non credant? Quia tunc etiam, cum eum mirabilia operantem viderent, non crediderunt: sed hoc non est crimen ejus cui non creditur, sed eorum magis, qui in meridie caecutiunt. Ne igitur a corruptorum hominum mente rerum judicium facias; sed ab ipsa rerum veritate congruentem calculum ponas de iis, qui recta consilia sunt amplexi. Non crediderunt judaei; crediderunt gentiles... Ne igitur te ista conturbent: multis hujusmodi exemplis plena vita nostra est, tum nostro tum praeterito tempore. Alioquin vero, si non omnes, multi certe ex judaeis et tunc et nostro tempore crediderunt. Quod si non omnes nihil sane novum aut mirabile: talis quippe est ingratus animus, talis mens ratione vacua, talis anima malis affectibus occupata.»

## ARTICULUS II

### Veritas religionis christianae ex Christi resurrectione demonstratur

**329.** *Praemitt.* Resurrectio proprie talis, de qua hic est sermo, definiri potest: corporis humani ad vitam, quae morte amissa erat, revocatio. Christi resurrectio est potissimum miraculum, immo cetera omnia ab illo indirecte dependent; si enim resurrectio fuisset falsa, justa quidem causa suspicandi cetera etiam miracula fuisse falsa daretur. Atque ex hac parte est fidei fundamentum externum; est quoque internum, quatenus Christi resurrectio est dogma fidei, quod in Symbolo profitemur, et a quo nostra resurrectio dependet. Unde merito *S. Paulus,* I Cor. XV, 14, inquit: *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra.* Ipse Christus resurrectionem esse miraculum, a quo cetera

dependeant, indicat, quum dicit (Matth. XII, 39): *Generatio mala et adultera signum quaerit: et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae prophetae. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.* Item S. Matthias eligitur Apostolus, ut resurrectionis sit testis (Act. I, 22); miracula ad illam confirmandam patrantur (Act. III, 15, IV, 10, 33); denique ab Apostolis specialiter praedicatur. (Act. II, 32, IV, 2, etc.)

## Thesis I.

### Jesus Christus vere mortuus est.

**330.** Nota.—Ut veritas christianae religionis ex Christi resurrectione demonstretur, probari oportet et illum vere mortuum esse, et vere resurrexisse. Primum negant nonnulli rationalistae, ut *Gottlob Paulus,* qui Christum meram syncopen vel membrorum rigorem passum esse, et postea sensum recuperasse contendunt. Verum etiam historice et philosophice Christum vere mortuum esse certissimum est.

*Prob. 1.°* *a)* Evangelistarum testimonio. S. Joannes, qui adfuit, dicit (XIX, 30): *Et inclinato capite tradidit spiritum;* S. Matth. (XXVII, 50): *Emisit spiritum;* S. Marc. (XV, 37): *Jesus autem emissa voce magna expiravit;* denique S. Lucas (XXIII, 46): *Et haec dicens expiravit.*

*b)* Ex aliorum testimonio. Id testatur Centurio (Marc. XV, 44), Pilatus, milites (Joann. XIX, 33), Joseph ab Arimathaea et Nicodemus, Jesu amici, corpore tradendo sepulturae (Matth. XXVII, 57, Joann. XIX, 39), imo ipsi inimici permittendo corpus e cruce deponi et amicis reddi, necnon postulando custodiam ad sepulchrum (Matth. XXVII, 62 et sq.). Item ex Act. II, 23, III, 15; Rom. V, VI, 9; I Petr. III, 18, etc.

**331.** 2.° Nam agonia in horto, flagellatio, corona spinea aliaque ludibria et irrisiones adeo corpus Jesu debilitarunt, ut crucem ferre non posset (Matth. XXVII, 32), atque his addita crucifixio manibus et pedibus transfossis, causa mortis habetur plusquam sufficientissima. Quod si his adhuc extinctus non esset, certe inflicto lancea vulnere interfectus: tum quia hoc erat tale, ut in illud manus immitti posset (Joann. XX, 27); tum quia ad vitam finiendam, si forte adhuc viveret, inflictum est. Accedit quod coaevi, quique vim crucifixionis melius noscere poterant, eo quod hoc supplicium tunc

erat usitatum, omnes sive amici sive inimici, in morte Christi admittenda prorsus consenserunt, idemque fecerunt omnes usque ad posteriora saecula.

**332.** 3.° Denique si vivus sepultus esset, quod sine ullo fundamento asseritur, in sepulchro omnino mortuus esset; etenim homo gravibus vulneribus affectus et sanguine orbatus vitam retinere non poterat per totam sabbati diem, imo linteaminibus et aromatibus conditus et prorsus coopertus et inclusus ibidem esset suffocatus. Quocirca absurdissimum est, quod aliquis rationalista somniavit, nempe Jesum calidiore sepulchri aere et aromatibus e syncope evigilasse, ac propriis viribus e sepulchro prodiisse.

**333.** Dices 1.°—In morte Jesu nullus medicus eum vere esse mortuum testatus est. Ergo de ipsius morte non constat.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Nemo certe negaverit, de morte certo saepissime constare iis indiciis, quae etiam a medicinae ignaris percipiuntur, ac proinde medicorum testimonium, ut de morte certo constet, non esse necessarium. Praeterea multi medici ex iis, quae de Jesu morte tradita sunt, eam admiserunt, et S. Lucas, medicus, de ea scripsit.

Nec dicas ut tradunt periti (1), nullum adesse signum mortis certum nisi putrefactionem; et quum Christus nullum habuerit putrefactionis indicium, de ejus morte non constare. Etenim imprimis medici non ponunt putrefactionem neque ut causam mortis, neque ut aliquid, quod in ipso mortis instanti debeat haberi, sed ut signum mortis jam habitae, et ita quidem, ut non possit determinari tempus medium inter mortis instans et manifestationem putrefactionis. Quare ex eo quod Christus putrefactionem non sit passus, nullatenus colligitur eum non esse mortuum. Deinde licet putrefactio sit unicum signum certum mortis jam transactae, attamen nemo negaverit posse dari alia indicia et circumstantias, ex quibus certo appareat aut mortem jam evenisse, aut saltem intra breve tempus eventuram. Sic, v. gr. amputatio capitis est signum certum mortis aut jam habitae, aut paulo post futurae. Similiter dantur aliae vulnerationes et status morbosi, quibus positis, aut jam datur mors, aut saltem est certissime futura, saltem si nulla remedia patienti applicentur, ut apparet ex variis methodis occidendi homines, et ex medicis judicantibus mortem certo futuram ex statu infirmi.

Jam vero in Jesu Christo ea adsunt indicia et circumstantiae, ex quibus manifestum est illum, si non erat mortuus in cruce, moritu-

(1) Vide P. Ferreres, *La muerte real y aparente.*

rum in sepulchro. Sic enim requirunt, si accipiantur conjunctim, effusio sanguinis in horto, flagellatio, innumera fere ludibria et opprobria, bajulatio crucis, pendere a cruce pluribus horis per manus et pedes transfossa, apertura lateris et immissio in sepulchrum corporis obvoluti linteaminibus et conditi aromatibus. His quidem omnibus Christus vitam in sepulchro conservare naturaliter non potuit, nec inde exire, nec poterat expectare, ut a discipulis educeretur, prout inferius ostendetur. Revera, si Christus in sepulchrum vivus immissus esset, ibi post paucas horas erat moriturus; hoc enim postulabant gravia vulnera lateris, manuum et pedum, summa debilitas propter copiosam sanguinis effusionem toto tempore permansionis in cruce et denique suffocatio consecutura ex involucris et aromatibus. Postremo dicendum est Christum mortuum esse statim vel paulo post quam protulit ea verba *Pater, in manus tuas,* etc.; nam ex una parte omnes Evangelistae indicant Christum tunc mortuum esse, et post illa verba nullum signum vitae edidisse, ex altera vero medici non demonstrarunt mortem realem non concurrere saepe cum iis signis, quibus homo vulgariter existimatur mortuus.

**334.** Dices 2.°—*Fl. Josephus,* Vita ejusdem, n. 75, narrat aliquem e cruce depositum, diu postea vixisse. Ergo idem in Jesu evenire potuit.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Magna enim adest disparitas Jesum inter et illum, de quo Josephus scribit; nam Jesus tunc e cruce sublatus est, quum ab omnibus sive amicis sive inimicis ut mortuus habebatur; ille vero de quo loquitur *Josephus,* e cruce detractus, ut curaretur, ac proinde dum adhuc vivus existimabatur. Praeterea *Josephus* tradit se obtinuisse, ut tres e cruce deponerentur, et remedia illis applicarentur, tamen e tribus duos in ipsa curatione obiisse; Jesu autem nulla applicata remedia ad ejus sanationem.

**335.** Dices 3.°—Pedes Jesu transfixi non sunt. Ergo Jesus potuit vivere et ambulare post depositionem e cruce.

*Resp. N. Ant.* Imprimis enim *S. Lucas,* XXIV, 39-40, manifeste indicat oppositum, quum Jesum post resurrectionem *manus* et *pedes* discipulis ostendisse narrat. Deinde plures qui eo tempore vixerunt, in quo supplicium crucis adhibebatur, id expresse affirmant. Sic *S. Justinus,* Dial. cum Triph., n. 97 (M, G, 6, 706), inquit: «Nam cum eum (Christum) crucifixerunt, fixis clavis manus ejus et pedes foderunt.» Rursus in Apol. 1, n. 35 (eodem loco col. 383): «Illud autem, *Foderunt meas manus et pedes,* narratio erat clavorum, qui in cruce manibus ejus et pedibus infixi sunt.» Item *Tertullianus,* Adv. Marcion. l. 3, c. 19 (M, L, 2, 376), docet manus et pedes fodi

esse *proprie atrocitatem crucis*. Denique *Euseb Caes.*, Demonst. evang., l. 10 (M, G, 22, col. 783): «In cruce et manus illius (Christi) et pedes clavis transfixerunt...»

**336.** Dices 4.° — Ex Christi lateris vulnere fluxit sanguis et aqua (Joann. XIX, 34). Atqui sanguis, si Christus jam mortuus esset, non fluxisset. Ergo.

*Resp. C. Maj.* et *N. Min.* Etenim sanguis, quemadmodum periti docent, statim post mortem coagulari incipit, sed nonnisi post multas horas perfecte coagulatur. Potuit igitur post aliquas horas a morte, sanguis ex latere Christi naturaliter fluere; et ideo ille sanguinis fluxus signum vitae non erat, et si fuisset, per illud vulnus vita omnino exstincta esset. Accedit quod aqua miraculose effluxit, quum neque ex homine vivo, neque ex mortuo per incisionem solam aqua extrahi possit; quocirca, si necesse foret, idem de sanguine affirmari posset, videlicet, eum miraculose manasse. Quod quidem Patres nonnulli docent. Sic *Origenes,* Contr. Cels. l. 2, n. 36 (M, G, 11, 838) ait: «Ac aliorum quidem mortuorum corporum sanguis cogitur, nec limpida ex illis manat aqua; e mortuo Jesu corpore, res mira! sanguis et aqua, percusso latere, fluxerunt.» Item *S. Ambrosius,* l. 10, in Luc. n. 135 (M, L, 15, 1931): «Nam utique post mortem sanguis in nostris corporibus congelascit: ex illo autem incorrupto licet corpore, sed defuncto, omnium vita manabat. Aqua enim et sanguis exivit: illa quae diluat, iste qui redimat.» Vid. *Suarez,* De myst. vit. Christi, d. 41, s. 1; *Wilmers,* De relig. revel. l. 3, c. 2, a. 3, n. 355.

**337.** Dices 5.°—Jesus paulo ante mortem *voce magna* (Matth. XXVII, 50) clamavit. Ergo ejus mors non fuit vera, sed ficta.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Nam Jesus flagellis, irrisionibus aliisque tormentis et supplicio crucis per plures horas (Matth. XXVII, 45) tolerato, erat prorsus debilitatus et confectus, et revera mortuus est, prout testes oculati aliique fide digni affirmant. Quocirca magnus ille clamor paulo ante mortem non fuit naturalis, sed portento tribuendus. Mors vero Christi non fuit supernaturalis, sed naturalis, quia tormentorum et vulnerum fuit effectus, et nullo modo Christus propria voluntate se occidit, quamvis voluntarie mortem sustinuerit. Fuit tamen mors Christi violenta, nam illi illata est injuste per causas externas et contra innatam hominis inclinationem.

## Thesis II.

**Christus vitam amissam vere recuperavit per resurrectionem, idque veritatis religionis christianae ineluctabile est argumentum (1).**

**338.** Nota.—Christi resurrectionem omnes christianae religionis hostes, sive antiqui sive moderni, inficiati sunt. Contra illos, morte Christi jam demonstrata, eum in vitam rediisse ostendendum est; atque eo ipso verum miraculum, imo maximum probatur, quum resurrectionem naturaliter fieri non posse nemo negaverit, omnesque illam tanquam rem maxime miram habent. 2.ª Pars theseos est corollarium, neque aliquis resurrectionem admittens, eam infitiabitur.

*Prob. 1.ª* pars. 1.° Ex discipulorum Christi testimonio. *a*) Omnes Evangelistae eam variis modis testantur (Matth. XXVIII, Marc. XVI, Luc. XXIV, Joann, XX et XXI), de quorum auctoritate ex supra dictis constat.

*b*) Eamdem testatur S. Petrus in electione S. Matthiae (Act. I, 22), in concionibus ad populum (II, 24, 31, 32; III, 15; IV, 2), coram sacerdotibus (IV, 10); item S. Paulus in Areopago (Act. XVII, 31) et saepe in suis epistolis (Rom. VI, 4, I Cor. XV, 4, 20 etc.); denique Apostoli omnes (Act. II, 22, IV, 33) et plusquam quingenti discipuli (I Cor. XV, 6). Hoc autem testimonium ut verum omnino admittendum est; nam discipuli Christi neque erant faciles ad credendum, nec decepti sunt, nec decipere voluerunt, neque id essent consecuti, quamvis voluissent.

α) *Non erant faciles ad credendum;* etenim Mariae Magdalenae resurrectionem testanti non crediderunt (Marc. XVI, 11), nec ceteris mulieribus (Luc. XXIV, 11), nec duobus discipulis (Marc. XVI, 13), imo neque initio apparitionis factae coram Apostolis et discipulis (Luc. XXIV, 37, 41), demum neque Christi praedictiones de ipsius resurrectione intelligebant (Luc. XXIV, 21 et seq.; Joann. XX, 29, 15). Causa hujus rei fuisse videtur, partim quia acerbissimam et ignominiosissimam Jesu mortem viderant, partim quia eum nunquam moriturum (Joann. XII, 35) credebant.

β) *Non decepti sunt.*—Non enim fuerunt faciles ad credendum,

(1) In decreto *Lamentabili* hae habentur propositiones damnatae ad rem praesentem attinentes, sc.: 36. «Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit.»

37. «Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis, quam de vita Christi immortali apud Deum.»

ut probatum est, sed de veritate resurrectionis illis indubie constitit. Nam quadraginta dies illis pluries apparet (Matth. XXVIII, Marc. XVI, Luc. XXIV, Joann. XX, XXI, Act. I), non uno in loco, sed Hierosolymis, in horto, in via, ad mare Tiberiadis, in monte; non nocturno tantum, sed etiam diurno tempore, non mulieribus modo, sed etiam viris; non uni tantum vel paucis, sed non semel Apostolis congregatis, item Apostolis et discipulis simul, imo plusquam quingentis; non statim evanescit, sed moram sat longam cum illis agendo trahit; cum discipulis ambulat, familiares et longos sermones habet, manducat, manus et pedes ostendit, se palpandum praebet, Thomae incredulitatem dissipat, demum ea omnia praestat, quae cum hallucinatione aut deceptione componi nequeunt. Postremo S. Lucas, Act. I, 3, dicit: *Quibus* (discipulis) *et praebuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.*

Et quamquam corpus Christi post resurrectionem fuit in statu corporis gloriosi, non ideo impediebatur ejus perfecta visio et distinctio; corpus enim humanum gloriosum est idem, quod erat antea in statu vitae mortalis, conservatque non modo eamdem substantiam, sed etiam eamdem quantitatem easdemque qualitates, saltem in specie, necnon eumdem earum modum et dispositionem, seclusa corruptibilitate et qualibet deformitate. Quocirca Christus resurrexit eodem corpore, eadem statura, dispositione, colore, forma externa etc., et ideo optime a discipulis potuit cognosci et discerni. Praeterea corpus Christi specialiter discerni poterat propter cicatrices remanentes, ut indicatur a S. Luca, XXIV, 39, et Joanne, XX, 20, 27. Nec corpus gloriosum excludit posse manducare, attrectari, etc. Tamen licet corpus gloriosum efficiat masticationem et trajectionem alimentorum, et quidem modo vitali, non facit eorum coctionem et conversionem in propriam substantiam, quia eae actiones debito scopo carerent. Vide S. Thom. 3. p. q. 54 et sq., et Supplem. q. 79. et sq., et Suarez, De myst. vit. Christi, d. 47, et sq.

Nec sunt contra dicta, quae traduntur in Evangel. Marci, XVI, 12, sc. Jesum se ostendisse duobus discipulis *in alia effigie,* et in Luc. XXIV, 15 et sq. nempe non fuisse agnitum a discipulis cum eo colloquentibus. Etenim illa verba *in alia effigie* non significant Christum immutasse dispositionem faciei aut externam formam, quia hoc non decebat Christum gloriosum; sed discipulos accepisse formam Christi externam pro forma alius hominis: quod quidem evenire poterat aut propter diversum ornatum corporis, attemperationem vocis, modum gestus et motus, aut propter impressionem, qua sen-

sus illorum afficiebantur. Christus vero noluit statim recognosci a discipulis pergentibus Emmaus, quia non erant dispositi, quum Christum prorsus mortuum et ejus causam finitam putarent. Vide S. Thomam, 3. p. q. 54, a. 1, ad 3, et Suarez, De myst. vit. Christ. comment. in laudatum art. n. 4 et sq.

Nec discipuli a Christi cognitione impediebantur propter claritatem propriam corporis gloriosi; nam ea claritas non percipiebatur a discipulis, ut docet S. Thomas, loco proxime laudato, a. 3, ad 1. Praeterea claritas corporis gloriosi, etiam quum percipitur, non modo non impedit perfectam corporis visionem, sed eam juvat, ut declarat P. Suarez, De myst. v. Christ. d. 48, s. 7, n. 8.

γ) *Decipere noluerunt.*—Imprimis non inerat illis audacia ad id necessaria, quum in horto ob inimicorum timorem omnes fugerint, et Petrus Jesum non semel negaverit, nec erant tales viri, qui judaeos maximi criminis arguerent (Act. II, 23, III, 14, 15, etc.) novamque religionem instituere meditarentur. Neque emolumentum aliquod ob mendacium resurrectionis Christi propagatum spectare poterant: non ex parte Dei, qui mendacium abominatur; non ex parte hominum, qui, quum Christum ut malefactorem occidissent, opprobria etiam et supplicia illis attulissent. Non metus, aut amor, aut perversa voluntas vel alia causa ad resurrectionem fingendam induxit. *Non metus:* quia nec judaei nec romani aliquid mali ob Christi resurrectionem negatam illis intulissent, sed potius probarent. *Non amor Christi:* etenim, quum hic fuisset deceptor, amor erga eum deposuissent; aliunde ex mendacii diffusione, majus opprobrium et Christo et sibi merito timere poterant. Postremo *non perversa voluntas vel alia causa:* imprimis enim Apostoli et discipuli non probantur perversi, sed viri simplices, honesti et Deum timentes manifestantur (1). Attamen, licet fuissent perversissimi, tale facinus non commisissent: tum quia nihil inde sperare poterant, nisi ignominias et supplicia; tum quia aerumnas, tormenta mortemque acerbissimam pro mendacio defendendo non sustinuissent; tum denique quia, inter multos, aliqui mendacium aperuissent, et si ipsi id non fecissent, ab hostibus factum esset, quum media ad rem totam detegendam deesse non poterant.

δ) *Decipere non potuissent, licet voluissent.*—Ad id enim ne-

(1) In Epistola quidem Barnabae attributa, V, 9, (Funk, PP. AA. t. 1, 15, 1.ª edit.) Apostoli vocantur *homines omni peccato nequiores.* Verum haec non videntur dicta de omnibus Apostolis, sed de aliquibus solummodo, atque de his per quamdam hyperbolem. Accedit quod saltem postquam Christum sequuti sunt, si Judas Iscariotes excipiatur, omnes se gerebant ut viri probi, et post Christi mortem in praedicatione Evangelii se ostenderunt viri sancti et heroici. Vide Originem, Cont. Celsum, l. 1, n. 63 (M, G, 11, 778).

cesse fuisset corpus Jesu occultare, illudque suscitatum audacter praedicare. Verum enimvero, qua ratione homines timidi hoc aggredi ac perficere conati essent? Quomodo corpus e sepulchro extraxissent? Vi? Nonne pugna inter custodes et discipulos habita, atque ex sanguine effuso, ex vulneratis vel occisis tota res patefacta? Corruptione, dolo? Quomodo custodes omnes in id consensissent? Quomodo nulla ratione tanta fraus detecta esset? Sacerdotes quidem et pharisaei praemiis vel minis eos ad totam rem patefaciendam induxissent. Praeterea, quomodo Christi discipuli, inter quos plures erant mulieres, rem alto silentio jugiter servassent, neque ulla ratione fraudem aperuissent? Nonne Christi hostes sua sollertia rem invenissent ac evulgassent? Nonne hoc facile erat, quum tot resurrectionis circumstantiae, tot diversae apparitiones referrentur? Deinde, num Apostoli coram omni populo resurrectionem praedicari aussi? num hominibus deceptoribus, solo eorum testimonio, sine ullis argumentis creditum esset? Num tam insignem fraudem discipuli Christi omnes constantes usque ad mortem celassent?

Nec dicas Apostolos ceterosque discipulos, quum essent parum exculti, non habuisse ideam resurrectionis, et ideo illam testari non potuisse. Nam quilibet, quamtumvis vulgaris homo, facile concipit quid sit recuperare vitam amissam, seu ita redire ad eam vitam morte amissam, ut iterum habeatur idem homo vivus, qualis ante mortem fuerat. Homo quidem ineruditus nescit philosophice declarare quid sit resurrectio, neque utrum sit possibilis, necne; tamen facile concipit quid significetur, quum dicitur aliquis mortuus resurrexit, seu vitam amissam recuperavit.

Praeterea judaei, et ideo Apostoli, ideam resurrectionis habebant, atque futuram omnium resurrectionem credebant, ut eruitur ex II Mach. VII, 9, 11, 14, 23, ubi de septem fratribus cum matre martyrio affectis sermo est; Joan. XI, 24; Matth. XXII, 23 et sq. etc. Vide Originem. Contr. Celsum, l. 2, nn. 57 et 77 (M, G, 11, 887, 915). Quare, quum Apostoli notitiam resurrectionis habuissent, multo facilius Christi resurrectionem concipere poterant.

Postremo Apostoli vere testati sunt totum Christum, seu quoad idem corpus et eamdem animam, fuisse redivivum; tum quia in hoc consistit vera resurrectio, tum quia loquuntur de resurrectione Christi, qui erat homo verus, tum denique quia Christus, post resurrectionem, loquebatur ut homo, et dicebat (Luc. XXIV, 39): *Quia ego ipse sum,* ostenditque variis modis suum corpus vivum.

Ex dictis igitur testimonium discipulorum de Christi resurrectione prorsus admittendum esse colligitur.

**339.** 2.° *ex variis indiciis, a'*) Corpus Christi in sepulchro depositum fuit, neque inde fuit ablatum, et tamen tertia die in sepulchro non erat. Ergo ab illo per resurrectionem exiit, quia non est alia via egressum explicandi. Antecedens vero ad priorem et ultimam partem quod attinet ab omnibus admittitur; deinde secunda pars ostenditur. Nam si aliqui corpus Jesu abstulissent, ii fuissent ejus discipuli; de aliis enim nulla ratio nec suspicio adesse potest. Jam discipuli corpus non surripuerunt postquam custodes in sepulchro positi, ut probatum est sub δ). Neque antea: tum quia sacerdotes et Pharisaeos inutiliter constituisse excubias, et signasse sepulchrum non est putandum; tum quia per corporis ablationem essent quoque ablata linteamina et sudarium; tum quia mulieres et apostoli (Joann. XX) hujus facinoris erant ignari; tum denique quia discipulos timidos adeo festinasse corpus eripere, praesertim quum ex ea re nonnisi ignominiam et opprobria exspectare possent, incredibile est. Nec refert custodes dixisse discipulos furatos corpus; nam, quum ipsis dormientibus rem evenisse asseruerint, patet eos veritatem facti celasse; non enim dormire potuerunt, dum lapis revolvitur et corpus educitur. Nec minus absurdum est ponere terram dehiscentem corpus deglutiisse; non enim sudarium et linteamina ab illo separasset ac in sepulchro reliquisset.

*b'*) Principes populi et sacerdotes Apostolos mendacii et fraudis nunquam accusarunt, sed illis denuntiarunt, ne *loquerentur*, neve *docerent in nomine Jesu* (Act. IV, 18, V, 28, 40). Si autem Apostoli corpus Jesu occultassent, certe hujus criminis accusarentur, et magna ignominia coram universo populo afficerentur. Aliunde plures sacerdotes Apostolis crediderunt (Act. VI, 7).

*c'*) Apostoli et discipuli cum antea essent timidi, neque coram populo apparere auderent (Marc. XIV, 50; Joann. XX, 19), postea maxima fortitudine et constantia resurrectionem Christi praedicarunt (Act. II, 14; III, 12; VI, 8; V, 29, etc.) Haec Apostolorum mutatio, resurrectione negata non recte explicatur.

**340.** 3.° Persuasio omnium christianorum resurrectionis Christi nonnisi veritate resurrectionis admissa explicatur: α') Non enim ab Apostolorum deceptione originem ducere potest, ut probatum est sub. β) Ibi allatis addo, adversarios plures supponere Apostolos summa fiducia expectasse resurrectionem, et propterea resurrectionis imaginationem et spectrum sibi effinxisse, et pro vera resurrectione accepisse. Verun hoc neque cum dictis sub α), neque sub β) consonat. Apposite *Origenes*, Contr. Cels. l. 2, nn. 60 et 62 (M, G, 11, 891) inquit: «At Celsus... vult quosdam somniare vigilantes, et

inani opinione delusos sibi animo exhibere quae desiderent. Hoc quidem per somnium fieri, nemo absurde crediderit; idem vero vigilantibus accidere, id non fit verisimile; nisi sint extra se et mente capti, aut atra bile laborent... Quamvis igitur Celsus visiones de Jesu cum aliorum somniis, eosque qui Jesum viderunt post ejus resurrectionem cum iis comparet quos inania spectra ludificantur; nemo candidus et prudens res, quae ad Jesum pertinent, examinaverit, quin agnoscat eas esse ceteris longe magis admirabiles.»

β') Non Apostolorum fraudi, ut ostensum est sub γ) et δ).

γ') Non quod spiritualis Christi resurrectio aut apparitio animae sumpta sit pro corporis etiam resurrectione; hoc enim ad Apostolorum deceptionem revocatur.

**341.** *Prob. 2.ª p. seu resurrectio Christi veritatis religionis christianae ineluctabile est argumentum:* 1.° Quia si Christus virtute propria resurrexit, se esse Deum et ejus religionem divinam ostendit, quum hominis mortui suscitatio vires naturae creatae superet. Sin autem Deus illum suscitavit, eo ipso personam Christi et doctrinam probavit. Ergo resurrectio missionem divinam Christi et veritatem religionis christianae probat.

2.° Ipse Christus suam resurrectionem ut signum suae missionis divinae, et ideo veritatis suae doctrinae posuit, quum, judaeis quaerentibus ipsius missionis signum, respondit (Joann. II, 19): *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Haec autem verba de resurrectione dici declarat Evangelista, et discipuli ita ea intellexerunt ut constat ex vv. 21 et 22. Nec de templo hierosolymitano accipi possunt; quum enim judaei templum nullo modo essent destructuri, nec Christus ejusdem instaurationis signum facere poterat, et tantum per jocum, quod omnino est Christi improprium, ea locutus esset. Deinde Matthaeus et Marcus hanc interpretationem rejiciunt; nam vocant *falsos testes* et *blasphemantes* in Jesum (XXVI, 50, XXVII, 39; XIV, 57, XV, 29) eos, qui de templo hierosolymitano ea esse prolata Jesu attribuebant. Nec Christus illa de religione a se instituenda dixit; quia, non de re futura, sed de existente et designata per pronomen *hoc* loquebatur, nec religio nova tribus diebus instituitur.

3.° Denique Christus iterum posuit resurrectionem suam ut signum ipsius missionis divinae et veritatis a se praedicatae, et a quo cetera dependebant, quum dixit ea, quae n. 329 allata sunt.

Tanquam complementum et ad confirmationem testimonia *S. Joann. Chrysost.* et *S. August.* de hac re adducere juvat. Ille, Homil. 89 in Matth. n. 1 (M, G, 58, 782) inquit: «Quomodo (Apostoli)

persuadere turbae potuissent? quid dixissent, quid fecissent? quo animo pro mortuo stare potuissent? quam expectantes retributionem? quam mercedem? Cum viventem illum comprehensum viderent, fugerunt; et post mortem audacter pro illo loquuturi erant, si non resurrexisset? Quomodo haec cogitari possint? Quod enim nec voluissent nec potuissent resurrectionem, quae non fuisset, fingere, hinc palam est... Si ergo non resurrexisset, manifestum eos, utpote deceptos, et a tota gente propter ipsum impugnatos, aedibus et urbibus pulsos, ab illius cultu discessuros fuisse; neque enim voluissent de illo talem opinionem spargere, utpote qui decepti ab illo fuissent, et in extrema pro illo deducta pericula. Quod vero non potuissent, nisi vera resurrectio fuisset, illam simulare id certe admodum probabile est. In qua re enim fiduciam habuissent? in sermonis gravitate? At omnium imperitissimi erant. In pecuniarum copia? Neque virgam neque calceamenta habebant. In splendore generis? Viles erant, ex vilibus orti. In patriae splendore? Ex ignobilibus orti locis erant. In multitudine? non erant plures quam undecim, in variis dispersi locis. In promissionibus magistri? Nisi resurrexisset, nullam in ipsis fidem habituri erant. Quomodo autem furentem populum sustinuissent? Si namque coriphaeus ipsorum ostiariae mulieris verbum non tulit, et si reliqui illum vinctum videntes dispersi sunt: quomodo in animum induxissent, ad extrema orbis accurrere, ut fictum resurrectionis verbum plantarent? Si enim ille adversus mulieris minas non stetit, neque illi ad vinculorum conspectum, quomodo poterant adversus reges et principes et populos stare, ubi gladii, sartagines, fornaces, et mille quotidie mortes, nisi ejus qui resurrexerat virtute et gratia adjuti fuissent? Talia tantaque signa facta fuerant, et nullum eorum judaei sunt reveriti, sed illum crucifixerunt: et illis resurrectionem simpliciter narrantibus crediturі erant?»

Et *S. August.* De civ. Dei, l. 22, c. 5 (M, L, 41, 756) ait: «Incredibile est Christum resurrexisse in carne, et in coelum ascendisse cum carne: incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse: incredibile est homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem, tam efficaciter mundo, et in illo etiam doctis persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt isti, cum quibus agimus, credere; secundum coguntur et cernere; quod non inveniunt unde sit factum, si non credunt tertium. Resurrectio certe Christi, et in coelum cum carne in qua resurrexit ascensio, toto jam mundo praedicatur et creditur: si credibilis non est, unde toto terrarum orbe jam credita est?»

**342.** Dices 1.°—Si Christus vere resurrexisset, non modo ami-

cis, sed etiam inimicis, immo coram omnibus apparuisset, ut veritas resurrectionis manifestaretur. Atqui amicis solummodo apparuit. Ergo.

*Resp. N. Maj.* Christum certe ita resurrectionem suam facere manifestam oportuit, ut omne prudens dubium expelleretur, certoque de ea constaret. Hoc autem Christus abunde praestitit, quum per quadraginta dies toties ac modis tam diversis, ut supra expositum est, apparuerit. Praeterea Apostoli publicis miraculis factum resurrectionis comprobarunt, ut liquet ex Act. III, etc. Alius vero manifestationis modus a Celso, apud *Originem,* l. 2, n. 63 (M, G, 11, 395) aliisque incredulis immerito exigitur; haec enim definire et statuere non ad homines, sed ad Deum spectat. Et sicut Deus revelationem singulis immediate communicare noluit, similiter et resurrectionem immediate manifestare.

Accedit quod judaei, si veritatem sincere inquisiissent, non modo ex discipulis, sed etiam ex sepulchro vacuo, ex custodibus aliisque indiciis eam invenire possent. Praeterea S. Paulus, qui resurrectionis tempore non erat Christi discipulus, imo neque eum in vita mortali agnovisse videtur, sibi apparuisse testatus, atque vita laborum et aerumnarum plena necnon sanguinis effusione veritatem resurrectionis confirmavit.

Postremo, quamvis Christus principibus judaeorum apparuisset, hi non crederent; nam postquam vitam Jesu sanctissimam, tot ac tanta miracula viderunt, eum crucifixerunt. Quod si judaica gens Christo credidisset, non ideo rationalistae crederent, siquidem miracula Moysi aliaque V. T. a judaeis admissa respuunt.

**343.** Dices 2.°—Si Christus vere resurrexisset, custodes id divulgassent, et omnes Hierosolymae cives ad sepulchrum concurrissent. Atqui hoc non evenit. Ergo.

*Resp. N. Maj.* Custodibus enim Christus non apparuit, multoque minus animum ad resurrectionem propagandam eis injecit; sed conterriti ob strepitum lapide sepulchri revolvendo factum, et quia corpus Christi ab ipsis custodiendum evanuerat, non erant apti ad rem evulgandam, praeterquam quod principes judaeorum illos pecunia corruperunt, ac diligenter procurarunt, ne quod in sepulchro evenerat, palam referretur. Neque custodiae appositio debuit esse causa, cur hierosolymitani sepulchrum frequentarent; nam post Christi mortem omnes, qui illius discipuli non erant, rem omnino finitam credebant, neque aliquid novi expectabant. Imo ipsi discipuli, prout supra dictum est, resurrectionem credere nolebant; nam, licet de illa Jesum loquentem saepe audivissent, eam nec rite intelligebant,

neque post ignominiosam mortem, saltem indubitanter et firmiter, sperabant.

**344.** Dices 3.°—Appositio excubiarum ad sepulchrum videtur fabula. Ergo nihil pro resurrectione ex illo facto colligi potest. *Prob. Ant.* Nam de illa solus Matthaeus loquitur; item cum principes judaeorum resurrectionem non crederent, propter illam custodes constituisse non est verisimile. Accedit quod mulieres ad sepulchrum euntes nihil de custodibus dicunt.

*Resp. N. Ant.:* nam S. Matthaeus est omnino fide dignus, ut ex dictis de Evangeliorum authentia liquet; neque est ratio alicujus momenti, ut asseratur narrationem de custodibus esse Evangelio ab alio superadditam. Praeterea in re praesenti est specialis ratio pro S. Matthaei veracitate; scripsit enim, ut eruitur ex *Euseb. Caes.*, Hist. eccles. l. 3, c. 24; l. 6, c. 25 (M, G, 20, 266, 582) pro judaeis palaestinensibus; hi autem quid in passione, morte et sepultura Jesu evenerat, optime noverant, et ideo S. Matthaei multum intererat de hisce rebus veritatem dicere. Rationes vero in oppositum facile diluuntur.

Nam silentium aliorum Evangelistarum est ratio mere negativa, et testis verax propter aliorum silentium suam auctoritatem non amittit, nisi alios debuisse loqui ostendatur, quod in praesenti non fit. Praeterea causa specialis erat, ut S. Matthaeus de custodibus loqueretur, videlicet, quia inter judaeos palaestinos rumor de corpore Jesu ab Apostolis ablato existebat; talis autem rumor, cum alii Evangelistae scripserunt, aut jam omnino evanuerat, aut inter illos ad quos proxime scripserunt, nunquam extiterat. Deinde principes judaeorum, licet resurrectionem non crederent, rumorem de illa audire facile potuerunt, quum Jesus de sua resurrectione saepe loquutus esset; et ideo, ut omnis fraus et fallacia hac in re vitaretur, custodes ad sepulchrum apponere poterant. Postremo mulieres in sepulchro custodes adesse poterant ignorare, quum non positi sint statim post Christi sepulturam, neque constet hoc fuisse publicum. Accedit quod Evangelistae non omnia, quae mulieres confabulabantur, referunt.

**345.** Dices 4.°—Plura suadent resurrectionem Christi fuisse apparentem: nam Apostoli *se spiritum videre* existimarunt (Luc. XXIV, 37); Christus *evanuit ex oculis eorum* (eodem loco, v. 31), se tangere non permisit (Joann. XX, 17), januis clausis ingresus est (eodem loco, vv. 19, 26), etc. Ergo.

*Resp. N. Assert.:* omnia enim quae afferuntur, nihil evincunt. Apostoli se spiritum videre putarunt, quia rem inexpectatam et

novam videbant; verum ibidem Christum modo corporeo apparuisse traditur. Item evanuit, postquam iter cum discipulis fecit, longum colloquium habuit, recubuit, accepit panem, benedixit, etc. Verba *noli me tangere* solum videntur excludere complexum diuturnum et retardantem itionem ad fratres; sed quidquid de hoc sit, si se tangi non permiserit, non fuit ob defectum corporis; hortulanus enim a Magdalena existimatus est, et a mulieribus attrectatus (Matth. XXVIII, 9) et ut eum palpent hortatur (Luc. XXIV, 39). Postremo januis clausis domum ingredi corporis gloriosi proprium est.

**346.** Dices 5.°—In narratione Evangelistarum de resurrectione plures adsunt contradictiones. Ergo Evangelistae hac in re fidem non merentur.

*Resp. N. Ant.* Imprimis Evangelistae omnes circa resurrectionis factum et praecipuas circumstantias non discrepant, et si inter illos adesset contradictio, haec in rebus levioribus solum versaretur; jam vero testes alicujus facti auctoritatem non amittunt, etiamsi in rebus levioribus dissentiant vel sibi contradicant, nisi probetur inter se consensisse ad decipiendum, quod certe de Evangelistis nullo modo probabitur. Deinde nulla inter illos reperitur contradictio; sed quod unus narravit, alius omisit, unus de quibusdam personis dixit, et alius de illis tacuit, alius uno ordine, alius diverso res scripsit. Denique singula, quae ut contradictoria adducuntur, breviter declarabo, majore eorum explicatione interpretibus S. Scripturae relicta.

1.° Nulla in his quae de mulieribus dicuntur, invenitur contradictio. Non in tempore itineris in sepulchrum: nam *orto jam sole* S. Marci aut ad diversas mulieres, aut ad diversum iter, aut ad tempus *exitus,* non *adventus* in sepulchrum, aut ortus solis pro aurora sumitur. Item *vespere sabbati* S. Matthaei ex verbis *quae lucescit in prima sabbati* determinatur ad significandum idem ac diluculo. Non in mulierum numero; quia nullus Evangelista ita numerum definit, ut statuat nec plures nec pauciores definito quodam numero fuisse. Non in itineribus ad sepulchrum; de his enim strictim loquuntur, ab uno facile omitti potuit quod ab alio refertur. Denique idem de colloquiis inter angelos et mulieres dicatur.

2.° Nulla est contradictio in his, quae de angelis referuntur: etenim qui de uno solo angelo loquuntur, non alterum excludunt; neque singuli Evangelistae omnia verba angelorum commemorant, neque *stare* apud S. Lucam (XXIV, 4) videtur significare situm corporis, sed angelorum praesentiam et apparitionem. Item non est insolitum angelos vocari *juvenes* sive *viros*. Denique S. Matthaeus nec dicit lapidem fuisse revolutum praesentibus mulieribus, neque

angelum sedisse extra monumentum; hoc enim videtur constitisse veluti duplici cubiculo, quorum unum in quo sedebat angelus supra lapidem, erat vestibulum; et alterum, ex quo revolutus est lapis, sepulchrum proprie tale.

3.° Et ultimo nulla in apparitionibus, quae ab Evangelistis narrantur, adest contradictio. Imprimis quum Christus et Angelus apparitionem in Galilaea annuntiant, nullo modo apparitiones Hierosolymis futuras negant, praesertim quia verba Christi et Angeli ad apparitiones publicas, quales fuerunt in Galilaea, non ad privatas, sicut fuerunt Hierosolymis, referri possunt. Praeterea adest causa, cur Christus Apostolis ante profectionem in Galilaeam apparuerit, sc. quia aliter, quum resurrectionem, saltem firmiter, non credidissent, iter in Galilaeam non essent aggressi. Nec Christus Apostolis in Galilaeam statim proficisci jussit; nam tunc festa paschalia per septem dies celebrabantur, quo tempore mores judaeorum longa itinera suscipere non sinebant.

Item non est contradictio inter mandatum unum in Galilaeam eundi (Matth. XXVIII, 10), et alterum Hierosolymis manendi (Luc. XXIV, 49); prius enim ad tempus ascensione anterius, alterum ad posterius, ut ex Act. I eruitur, refertur. S. Marcus et S. Lucas in suo Evangelio plura ad Christi resurrectionem attinentia summatim narrant, nec tempus, quo evenerunt, indicant. S. Joannes apparitionem quidem ad mare Tiberiadis *tertiam* (XXI, 14) vocat, sed hoc de apparitionibus factis coram pluribus discipulis accipiendum est. Postremo Apostoli ascensioni Jesu in coelum adesse potuerunt, quum jam ex Galilaea essent reversi.

**347.** Dices 6.°—Visio Christi quam habuit Paulus (Act. IX, 3, XXII, 6, XXVI, 13) fuit imaginaria.—Sed a Paulo (I Cor. XV, 8) ceteris Christi apparitionibus aequiparatur. Ergo Christi apparitiones fuerunt solummodo imaginariae.

*Resp. N. Maj.* Rationalistae quidem ex verbo graeco, ex eo quod Paulus non videret, aliisque nullius momenti visionem illam imaginariam fuisse contendunt. Verum sive secundum textum graecum, sive Vulgatam, ex Act. IX, 17, 27, XXII, 14, XXVI, 16; I Cor. IX, 1, XV, 8, ipsum Christum Paulo vere apparuisse manifeste colligitur. Falsum vero omnino est Paulum tempore apparitionis non vidisse, sed post illam per aliquos dies non vidit. Denique S. Paulus veritatem resurrectionis Christi frequenter testatus, et speciatim Antiochiae Pisidiae (Act. XIII, 30 et sq. et I ad Cor. XV).

Nec dicas apparitiones Angelorum, hominum sanctorum et ipsius Christi in Eucharistia sub forma pueri, etc., non constare factas

esse cum corpore vivo et proprio. Ergo nec de resurrectione Christi cum proprio corpore vivo. Haec argumentatio ex paritate, quum nulla sit hic paritas ad recte concludendum, nulla est. Etenim aliae apparitiones, nec factae sunt per spatium quadraginta dierum, nec tam diversis modis, nec tot rationibus ostendendo proprium corpus vivum. Praeterea Christus se manifestavit ad persuadendam veram suam resurrectionem, et ideo ostendit se iterum habere proprium corpus vivum; angeli vero et sancti, ipseque Christus in Eucharistia in suis apparitionibus non intendebant manifestare se habere verum corpus vivum; quare non ita apparuerunt, ut certo constaret de natura corporis, quod saltem apparenter habebant. Item veritas resurrectionis Christi confirmata est miraculis, quae in Act. A. narrantur, aliisque postea patratis; non item aliae apparitiones comprobatae sunt verae respectu naturae corporis apparentis. Nec factum Raphaelis opponi potest, quum ipse Archangelus declaraverit se non esse hominem.

**348.** Dices 7.°—Christus, ut traditur apud Matth. XII, 40, *tribus diebus et tribus noctibus* debebat permanere in sepulchro, et juxta Marc. VIII, 31, nonnisi *post tres dies* resurgere, quod pharisaei, Matth. XXVII, 63, etiam affirmant. Atqui falsum est Christum tribus diebus et tribus noctibus in sepulchro permansisse, et post tres dies resurrexisse. Ergo similiter falsa existimanda sunt cetera ad resurrectionem attinentia.

*Resp. C. Maj.* et *D. Min.:* falsum est Christum tribus diebus et tribus noctibus in sepulchro permansisse, et post tres dies resurrexisse, si locutiones istae sumantur stricte et absolute, C.; si sumuntur juxta modum loquendi apud judaeos receptum, N. Mos erat inter judaeos tum designandi diem naturalem nominando diem simul et noctem, prout fit *Gen.* VII, 4; *Exod.* XXIV, 18; *Deut.* IX, 9, etc.; tum computandi tanquam dies integros partes dierum: unde, quum Christus in sepulchro tres dies incompletos fuerit, tres dies completi, i. e., tres dies et tres noctes secundum morem loquendi apud judaeos servatum computari poterant. Hic mos in Scriptura indicatur, ut *Gen.* XLII, 17; *Esther.* IV, 16, et V, 1; *Tob.* III, 10, 12; I *Reg.* XXX, 12 et 13, etc.

Praetera locutio *tribus diebus et tribus noctibus* vel *post tres dies* in Evangeliis declaratur accipi *pro tertia die*, ut eruitur ex Matth. XX, 19; Marc. X, 34; Luc. IX, 22, XVIII, 33, XXIV, 7, 46; item ex Joann. II, 19. Postremo ipsi pharisaei habebant pro eodem *post tres dies* ac *in tertium diem*, ut liquet ex Matth. XXVII, 63 et 64.

## ARTICULUS III

### Veritas religionis christianae ex apostolis confirmatur

**349.** *Praemitt.* Veritas religionis christianae confirmatur auctoritate Apostolorum, si horum missio et doctrina miraculis comprobetur. Miracula enim vera sunt sigillum Dei, ut in superioribus dictum est, ad aliquid confirmandum; quocirca ea, quae miraculis probantur, sunt eo ipso a Deo approbata, et habent characterem veritatis. Quod vero doctrina ab Apostolis tradita, fuerit religio et doctrina christiana, extra omne dubium est, quum id et ex scriptis apostolorum authenticis, et ex constanti et universali christianorum traditione aperte constet. Sic, v. g. in Act. A. I, 22, unus dicitur eligendus, ut sit cum ceteris Apostolis testis resurrectionis Christi; Petrus id testatur (II, 14 et sq.; III, 12 et sq.); Paulus affirmat se accepisse Evangelium ex revelatione Jesu Christi (*Gal. I*, 12), et omnes Apostoli se gerunt ut servi Christi et ab eo missi.

THESIS.

**Missio Apostolorum ut divina, atque eorum doctrina ut vera a Deo innumeris miraculis comprobantur.**

**350.** *Prob.* In Actibus Apostolorum narrantur innumera miracula vere talia. Atqui haec ostendunt Apostolos habuisse missionem divinam, eorumque doctrinam fuisse veram. Ergo. Probandae sunt major et minor.

*Prob maj. per partes. 1.° in Actibus Apostolorum continentur innumera miracula.*

*a)* Ascensio Christi in coelum coram Apostolis aliisque (I, 9).

*b)* Adventus Spiritus Sancti die Pentecostes supra Apostolos aliosque in coenaculo congregatos, cujus signum fuit sonus repentinus de coelo ad modum venti vehementis, et linguae tanquam ignis apparentes sedentesque supra singulos, necnon locutio diversarum linguarun (II, 1, et sq.), et immutatio Apostolorum ex viris rudibus et timidis in sapientissimos et fortissimos, quique ante adventum Spiritus Sancti non audebant apparere coram multitudine, postea apparent coram multitudine ex variis gentibus loquentes magnalia Dei (II, 11).

*Observa.* Donum linguarum ab aliquibus explicatur, quatenus omnes etiam linguam judaeorum non capientes intelligebant Apostolos per illuminationem in audientibus factam; verum haec explicatio textui (vv. 4, 8, 11) non consonat.

*c)* Multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant (II, 43).

*d*) Petrus solo imperio et manus apprehensione hominem a nativitate claudum repente sanat, quaeque curatio multis manifesta fuit, neque principes sacerdotum illam inficiari poterant (III, 1 et sq.; IV, 12 et sq.)

*e*) Ananias et Saphira solis Petri verbis eorum peccatum increpantibus subito expirant (V, 1 et sq.) Item per manus Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe (V, 12), et sola applicatione umbrae Petri infirmi valetudinem recuperabant (V, 15). Itidem spiritus immundi ejiciebantur (V, 16).

*f*) Stephanus prodigia et signa magna faciebat (VI, 8).

*g*) Philippus spiritus immundos ejicit, paralyticos et claudos sanat (VIII, 7).

*h*) Paulus Damascum iter faciens, luce improviso circumfusus, vocem de coelo audit, atque ex acerrimo Christi hoste in studiosissimum discipulum commutatur (IX, 1 et sq., XXII, 6 et sq., XXVI, 12 et sq.) Item Petrus et Aenaeam ab octo annis paralyticum sanat solo imperio, et Tabitham mortuam solis precibus suscitat (IX, 33, 36).

*i*) Paulus imperio Elymam excaecat (XIII, 1), claudum *ex utero matris* Systris perfecte sanat (XIV, 9), terraemotum subitum excitat, illique vincula solvuntur, et ostia carceris aperiuntur (XVI, 26).

*l*) Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur (XIX, 11, 12).

*m*) Item Paulus adolescentem, qui e tertio coenaculo cecidit, et mortuum existimatum, ad sanitatem perfectam revocat (XX, 9 et sq.).

*n*) Postremo idem Paulus e morsu serpentis venenosi nihil mali accipit, ac plures infirmos sine ullis remediis sanat (XXVIII, 3 et sq.).

2.° *Haec miracula vere evenerunt.*—Id elucet ex authentia Actuum Apostolorum supra demonstrata. Praeterea patrata sunt coram multis, et erant facta notu facilia, et si fraus adfuisset, detegi facillime posset. Item eventus ex illis secuti, ut hominum conversio, eorum veritatem confirmant.

3.° *Miracula paulo antea exposita sunt vere miracula.*—Nam hominem propria virtute in coelum ascendere, repente et nullo adhibito medio apparere linguas ad modum ignis, variis linguis ignotis loqui; item solo imperio, oratione aut mediis ineptis infirmitates curare, imo et mortuos suscitare, vires totius naturae creatae manifeste superat, et soli Deo extraordinarie et miraculose operanti tribui potest. Major igitur, seu in Actibus Apostolorum narrantur innumera miracula vere talia, probata est.

**351.** *Prob. Min. etiam per partes.* 1.° *Miracula exposita ostendunt Apostolos esse a Deo missos.* Imprimis Apostolos esse missos elucet ex ipso nomine, *Apostolus,* seu *missus,* quo ipsi se vocabant, et ab aliis vocabantur, et speciatim S. Paulus initio suarum epistolarum passim se nominat *apostolum Jesu Christi per voluntatem Dei.* Id ipsum asseruit Christus, quum dixit (Act. A. I, 8): *Et eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* Etiam hoc asseruit Petrus dicens (Act. II, 32; III, 15) *cujus nos testes sumus,* i. e. missi sumus ad testificandam resurrectionem Jesu Christi et ejus doctrinam; apostoli enim praedicarunt resurrectionem et doctrinam Jesu Christi ceu adimplentes suam missio-

nem, ut colligitur ex Act. et ex universa traditione christiana. Speciatim missio Pauli colligitur ex *Act. IX,* 15.

Atque haec missio Apostolorum erat divina, ut infertur ex *Act.* IV, 19, V, 29, ubi Petrus ceterique Apostoli docent praedicationem Christi ejusque doctrinae esse *audire Deum*, *obedire Deo;* et S. Paulus saepe scribit se esse Apostolum per *voluntatem Dei.* Item Jesus Nazarenus dicitur vir a Deo approbatus (*Act.* II, 22) et glorificatus (*Act.* III, 13).

Quod vero missio Apostolorum revera fuerit divina, demonstrant miracula Ascensionis, Pentecostes aliaque antea exposita; ea enim ita apparent moraliter connexa cum missione Apostolorum, ut modo morali eam confirment et probent, et ideo ostendant divinam, quum miracula sint Dei sigillum. Neque apparet alius scopus miraculorum diei Pentecostes aliorumque, nisi confirmatio missionis et doctrinae Apostolorum. Profecto, ut ex *Act.* II, 43 et sq., V, 13, aliisque locis eruitur, multitudo propter miracula mirabatur Apostolos, eosque venerabatur, et plurimi religionem christianam amplectebantur; quocirca censebatur per miracula confirmari missionem Apostolorum ut divinam, et si in hoc adesset error, Deo tribuendus esset, quum prudenter aliud existimari nequiret.

2.° *Miracula exposita ostendunt veritatem religionis christianae.*—Tum quia si quis praedicat doctrinam aliquam simulque miracula efficit, omnes judicant illam doctrinam miraculis probari a Deo ut veram, nec prudenter aliud judicari potest; tum quia S. Petrus id affirmavit (*Act.* III, 16) de miraculo sanationis hominis claudi, tum denique quia propter miracula religio christiana recipiebatur (*Act.* V, 14), et ideo in illis vis veritatis probandae agnoscebatur.

**352.** Dices 1.°—Eventus die Pentecostes, qui miraculosi putantur, non fuerunt nisi tempestas cum fulguribus et tonitruis, et confusio et terror inde orta.

*Resp. N.* prorsus *Assert.* Etenim tempestas ad unicum coenaculum non limitatur, neque inducit linguas ad modum ignis divisas et sedentes supra capita singulorum, multo minus tribuit potestatem loquendi linguas extraneas galilaeis eas (v. 7) ignorantibus, neque homines rudes et timidos in sapientes et fortissimos commutat. Nec linguae illae erant fulgura, quum non laederent, neque adesset tempestas; nec scintillae electricae, quia hae in partibus externis et prominentibus manifestantur, non intra coenaculum. Porro si facta illa essent quid naturale, non omnes stuperent et mirarentur (v. 12). Confusio vero et terror finguntur, nam concio Petri (v. 14 et sq.) contrarium omnino patefacit. Nec dicas donum linguarum etiam haberi inter sectarios et sonambulos; nam licet hoc permittatur verum, non habetur eo modo, quo Apostolis et discipulis communicatum est. Daemon quidem conatur imitari vera miracula, sicut fecit in Aegypto tempore Moysi, sed ex modo, fine ceterisque adjunctis detegi potest.

**353.** Dices 2.°—Quae traduntur de efficacia umbrae Petri (V, 15), aut sunt mera fictio, aut solum indicant illam attulisse levamen, quatenus liberabat ab aestu solis. Item sanatio paralytici (IX, 34) et suscitatio Tabithae (IX, 40) non videntur esse nisi eadem miracula, quae in Evangelio narrantur (*Marc.* II, 11-12; V, 41-42), quaeque in *Act.* iterum proponuntur.

*Resp. N. Assert.* quoad omnes ejus partes. Profecto allatae interpretationes sunt contra sensum obvium et contextum, et nullatenus, admissa

authentia actuum Apostolorum, tolerari possunt. Neque est absurdum Deum ad umbram Petri miracula esse operatum, quum hoc majorem auctoritatem illi et doctrinae tribueret: item non est absurdum Petrum patrasse miracula similia illis a Christo perpetratis, praesertim quum idem Christus dicat Apostolis (*Joan* XIV, 12): *Qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet.*

**354.** Dices 3.°—Si Apostoli et discipuli tot miracula patrassent, quot in Actibus leguntur, equidem in suis Epistolis illa non tacuissent, ut faciunt.

*Resp. N. Assert.* Nam Actus sunt liber historicus, et ideo debent narrare facta Apostolorum, praesertim mira et extraordinaria; Epistolae vero sunt exaratae ad eos docendos, qui religionem christianam ut veram jam susceperant, et ideo non erat necesse iterum proponere miracula, quibus veritas religionis comprobatur. Nihilominus Paulus miracula a Deo per eum patrata *Rom.* XV, 19, II *Cor.* XII, 12, etc commemorat.

**355.** Dices 4.°—Narratio conversionis S. Pauli, prout in *Act.* IX, XXII et XXVI narratur, contradictoria continet.

*Resp.* Omnia, quae primo intuitu contradictoria existimari possent, si rite perpendantur, non difficilem habent explicationem. Primo in IX, 7, de comitantibus Paulum dicitur *stabant stupefacti*, et in XXVI, 14 *Omnesque nos* (i. e. Paulus et ejus socii) *cum decidissemus in terram.* Verum sive latinum *stabant*, sive graecum εἱστήκεισαν non modo significare possunt situm corporis rectum, verum etiam permansionem in eodem statu vel loco; unde in praesenti sensus potest esse *permanebant in eodem loco stupefacti, non progrediebantur in itinere.* Praeterea illi qui ceciderunt, potuerunt postea surgere et *stare.* Rursus de iisdem comitibus (IX, 7) asseritur *audientes quidem vocem, neminem autem videntes;* contra in XXII, 9, *vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum.* Huic alteri difficultati duplex quoque est solutio; prima est, quatenus in priore loco asseratur auditio collocutionis Pauli, et in posteriere negetur auditio vocis Christi; altera, quatenus affirmatio ad sonum materialem, negatio ad ejus significationem referatur.

**356.** Dices 5.°—Conversio Pauli ejusque circumstantiae, sicut Renan aliique rationalistae contendunt; aut ceu figmenta habenda, aut naturaliter explicanda. Nam Paulus, v. g. caecus evasit, partim quia oculorum infirmitate laborabat, partim quia vividiores solis radii eos inflammarunt: conversus est, tum quia in sua mente doctrinam Christi jam agitabat, in eamque propendebat, tum ob visionem existimatam, quae ex vivida imaginatione et ex adjunctis ortum habuit, etc. Imo Renan asserit sibi aliquid visioni simile contigisse Bybli ob temperiem illius regionis et adjuncta.

*Resp.* Omnia allata nullo solido fundamento nituntur, atque ad verum sensum narrationis S. Lucae detorquendum unice excogitata, et ideo prorsus rejicienda. Nihil in textu de infirmitate oculorum Pauli, nihil de eorum inflammatione per radios solares, nihil de doctrinae christianae agitatione in eamque propensione, nihil de aliis multis, quae sola adversariorum effictione existunt. Contra textus caecitatem Pauli causae repentinae et extraordinariae tribuit, eamque ponit perfectam et solummodo per miraculum recuperatam; conversionem talem ponit, ut Paulus a magno christianorum hoste in summum doctrinae christianae propagatorem et observatorem repente immutatus sit, atque in novo statu inter incredibiles labores,

aerumnas et tormenta usque ad mortem constanter perseveraverit. Nec fuit res mere subjectiva aut ordinaria in illis regionibus; secus enim socii non mansissent *stupefacti* (IX, 7), nec vidissent lumen extraordinarium (XXII, 9), nec in terram cecidissent (XXVI, 14). Illud vero quod Renan expertus est, fuit sane quid omnino naturale et forte in illis regionibus frequens; verum nihil cum visione Pauli habuit simile neque in se, neque in suis effectibus.

Quod vero aliqui objiciunt, si Paulus Jesum vidisset, etiam socii, nihil est. Nam visio non fit sine influxu rei visae in videntem; Deus autem potuit impedire influxum corporis Jesu gloriosi in socios, et non in Paulum. Praeterea, ut tradit *D. Th.* 3 p. q. 54, a. 1, ad 2, homo beatus potest tribuere, aut negare visionem sui corporis. Vide dicta a. 2, dices 6.

**357.** Dices 6.°—Paulus ex sua libera voluntate conversus est Ergo ejus conversio non fuit miraculum.

*Resp. D. Ant.:* ex sua libera voluntate, quae fuerat a Deo repente et extraordinarie immutata et praeparata ad conversionem, *C.*; aliter, *N.* Admitto Paulum libere consensisse in Christo agnoscendo et religione christiana amplectenda; sed hoc ideo fecit, quia Deus repente ita immutaverat, et disposuerat ejus voluntatem, ut quodammodo morali necessitate ad religionem christianam amplectendam cogeretur. Hoc autem fuit verum miraculum; homines enim nunquam ex aliquo judiciorum et affectionum statu ad alium prorsus oppositum subito transeunt.

**358.** *Coroll. 1.m* Doctrina ab Apostolis tradita sive viva voce sive scripto est vera; nam Deus miraculis, ut suo sigillo, eam confirmavit. Nec fundamentum est, ut dicatur doctrinam viva voce traditam fuisse a Deo confirmatam, non autem scripto, aut viceversa; etenim missio Apostolorum erat ad docendam religionem a Christo ortam, nec limitata ad docendum tantum viva voce, aut tantum scripto.

*Coroll. 2.m* Ea quae Apostolorum discipuli sive viva voce sive scripto docuerunt ut vera admittenda sunt, si ab Apostolis fuerunt approbata, aut miraculis similive modo confirmata. Hujus postremae partis eadem est ratio ac de doctrina ab ipsis Apostolis tradita; prioris vero, quia per approbationem Apostoli illam suam fecerunt.

# CAPUT II

## Veritas religionis christianae ex prophetiis demonstratur

Quum prophetiae unum ex praecipuis criteriis ad veritatem alicujus religionis discernendam merito habeantur, hic de illis agi praetermiti non potest. Id autem duplici via perficietur: primo ostendendo Messiam esse in V. T. promissum et praedictum, atque hunc esse Jesum, filium Mariae; secundo adducendo prophetias stricte tales a Jesu effectas. Caput hoc sex articulos complectetur: in primo nonnulla praemittuntur; in altero de variis Messiae characteribus agetur; in tertio de ejus morte violenta, resurrectione et regno; in quarto de tempore adventus; in quinto de impletione prophetiarum in Jesu Christo; in sexto denique de prophetiis a Jesu Christo editis.

### ARTICULUS I

#### Nonnulla praemittuntur

**359.** I. Messias, a voce hebraica מָשִׁיחַ idem est ac graec Χριστός, latine *unctus*, significat Dei legatum specialissimum, antonomastice filium David, prophetam, regem Israel et gentium, atque in pace, justitia et aequitate gubernaturum. Haec definitio ex documentis et traditione judaeorum colligitur. Messiam in V. T. fuisse promissum et praedictum inficiantur rationalistae omnes et non pauci judaei recentiores, qui omnes, quamvis ad V. T. explicandum in

systemata valde diversa abeant, in recusanda praenuntiatione alicujus Dei legati extraordinarii consentiunt. Judaei vero antiquiores et plures etiam inter recentiores admittunt in V. T. Messiam seu personam particularem specialiter a Deo unctam et dilectam et Israelis liberatorem praedici.

**360.** II. Judaei coaevi Jesu Christi non modo ideam et expectationem Messiae habebant, verum etiam plures eo tempore Messiam nasciturum, et se manifestaturum arbitrabantur. Id eruitur:

1.° Ex Evangeliis. Ex Matth. XI, 3, ubi discipuli Joannis, ita Christum interrogant: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Et XXI, 9, dicitur: *Turbae autem, quae praecedebant, et quae sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna Filio David; benedictus, qui venit in nomine Domini.* Et Marc. XI, 10, scribitur: *Benedictus, qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris nostri David...* Et Luc. II, 26, 29 et seq., de Simeone: *Et responsum acceperat a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini... Nunc dimitis servum tuum, Domine... Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuae Israel.* Et Joann. I, 41: *Invenit hic* (Andreas) *primum fratrem suum Simonem, et dicit ei: Invenimus Messiam (quod est interpretatum Christus).* Et IV, 25, mulier Samaritana dicit: *Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus); cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Atque ex hoc textu infertur, etiam apud Samaritanos, qui jam a tempore Roboam erant a judaeis separati, expectationem Messiae viguisse. Vide etiam Matth. II, 2 et seq.; IX, 27; XII, 23, 32; XVI, 16; XX, 30; XXII, 42; XXIV, 5, 23, 24; XXVI, 63, 68; Marc. VIII, 29; X, 47; XII, 35; XIV, 61; XV, 32; Luc. I, 68; II, 38; III, 15; VII, 20; IX, 20; XVIII, 38, 39; XIX, 38; XXIII, 35; Joann. I, 19, 15; VI, 14; VII, 26, 27, 31, 41; X, 24; XII, 13, 14.

2.° Id ipsum manifeste constat ex Libro *Henoch*, *psalterio Salomonis*, *IV Esdrae*, *Targo Onkelos*, *Targo Jonathan*, *Libris Sibyllinis*, atque ex aliis documentis judaeorum exaratis aut paulo ante aeram christianam, aut prioribus aerae christianae saeculis, in quibus idea et expectatio Messiae expresse continetur. In his autem Messias depingitur ut rex universalis liberator Israel, a Deo specialiter missus et dilectus.

3.° Id ipsum indicatur a *Fl. Josepho*, de bell. jud. l. 6, c. 5. n. 4; item a *Tacito*, Hist. 15, n. 13, quum dicit: «Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret oriens, profectique Judaea rerum potirentur.» Item a *Suetonio*

Vesp. n. 4; ubi ait: «Percrebuerat oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur.»

**361.** III. *Messiae idea et expectatio ex Sacris Litteris desumpta est.*—1.° Id testantur traditio Judaeorum necnon documenta ab ipsis exarata, neque adest ratio, cur hac in re ipsis fidem non habeamus. Hoc ipsum in Evangeliis traditur. Sic in Matth. II, 4, 5, dicitur: *Et congregans* (Herodes) *omnes principes sacerdotum, et Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judae: Sic enim scriptum est per prophetam.* Marc. XII, 35, 36, 37: *Et respondens Jesus dicebat docens in templo: Quomodo dicunt scribae Christum filium esse David? Ipse enim David dicit in Spiritu Sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipse ergo David dicit eum Dominum, et unde est filius ejus?* Item dicit Zacharias, Luc. I, 69, 70: *Et erexit cornu salutis nobis: in domo David pueri sui: Sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum ejus...* Joann. I, 45: *Invenit Philippus Nathanael, et dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, et prophetae, invenimus Jesum Filium Joseph a Nazareth.* Petrus, Act. II, 25 et seq.; III, et sq. etc., diversa Scripturae loca ut agentia de Messia allegat, idque coram judaeis facit. Denique plura alia loca in Evangeliis, praesertim S. Matthaei, adsunt, in quibus adducitur V. T. ut varios Messiae characteres testificans.

2.° Idea et expectatio messianica non potuit ex ipsis judaeis naturaliter oriri; nam hoc non ducit originem ex judaeorum indole, nam aliae gentes ex stirpe semitica, quum similem indolem haberent, eam ideam et expectationem non consecuti sunt. Neque ex eorum ambitione, quum aliae nationes dominatus cupidissimae nihil simile ideae messianicae excogitarint. Neque ex desiderio propagandi cultum unici veri Dei; quia ex hoc ad summum habuissent desiderium et spem obtinendi, ut verus Deus ab omnibus coleretur; sed minime cogitassent id adipiscendum per regem universalem et per unicam personam determinatis characteribus ornatam. Praeterea omnia enumerata et quaecumque afferri possunt ad summum genuissent desiderium aliquod et conjecturam dominationis universalis; sed nullo modo dedissent firmam persuasionem Messiae venturi, qualis apud judaeos vigebat, et multo minus illius notas personales detexissent. Neque ea idea ex christianis in judaeos est deducta; existit enim in judaeorum documentis ante aeram christianam exaratis, et inter judaeos christianorum inimicissimos etiam vigebat. Aliunde in Scripturis V. T. idea et expectatio messianica continetur, ut ex dicendis

in articulis proximis constabit; quocirca judaeos ex illis ideam et expectationem messianicam hausisse dicendum est, quum ea ex alia origine derivari non potuissent.

**362.** IV. *Libri prophetias messianicas continentes multo tempore ante Christum jam existebant.*—Hoc in Introductione ad vetus Testamentum demonstratur, atque in genere probatur eo, quod judaei constanter admiserint illos libros ut authenticos, et scriptos multo ante Christum, et speciatim ex Fl. Josepho, Contr. Appion. l. 1, n. 8; neque apparet ratio, cur universa gens in hoc consentiret, nisi ipsa rei veritas. Neque christiani libros jadaeorum effingere aut immutare potuerunt, quum judaei christianorum inimicissimi hoc non tolerassent. Apposite *S. August.* in Psal. LVI, n. 9 (M, L, 36, 666), inquit: «Propterea adhuc autem judaei sunt, ut Libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus Paganis istas litteras. Et ne forte dicant duri ad fidem quia nos illas christiani composuimus, ut cum Evangelio quod praedicamus finxerimus Prophetas, per quos praedictum videretur quod praedicamus; hinc eos convincimus, quia omnes ipsae litterae quibus Christus prophetatus est, apud judaeos sunt, omnes ipsas Litteras habent judaei. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos.»

Deinde constat versionem LXX fuisse terminatam tempore *Ptolemaei evergetis*, atque ideo plusquam saeculo ante Christum; quare, quum in LXX contineantur omnes libri V. T., omnes multis annis ante Christum existebant. Id probatur ex prologo Ecclesiastici, ubi Jesus, filius Sirach, affirmat tempore *Ptolemaei Evergetis* (Ptolemaei VIII, Evergetis II) adfuisse in Aegypto versiones legis, prophetarum et ceterorum librorum.

Atque hoc ipsum confirmant *S. Irenaeus,* Contr. haer. l. 3, c. 2 (M, G, 7, 946), *Clemens Alex.,* Stromat. lib. 1, c. 22 (M, G, 8, 890), *Eusebius Caes.* praep. evang. l. 8, c. 2, et sq., l. 13, c. 12 (M, G, 21, 587, 1098), et Hist. eccl. l. 7, c. 32 (M, G, 20, 727), etc. Id ipsum, saltem de lege mosaica, tradunt *Fl. Josephus,* Contr. Apion. l. 2, n. 4; *Philo*, De vita Moysi l. 2.

Quocirca prophetiae messianicae sunt verae prophetiae; nam, ut ex earum expositione patebit, agunt de rebus contingentibus et quae naturaliter praevideri nequeunt, et tamen scriptae sunt multis annis, imo saeculis integris, ante eventus contingentes, quos praedicunt.

**363.** V. *Lex mosaica data erat pro israelitis non pro aliis nationibus.* Id ostenditur 1.° quia lex pro illis solis lata est, quibus est promulgata; non fuit autem promulgata nisi israelitis, ut ex Pen-

tateucho constat. Item in *Deuter. IV*, 8, 9, ponitur lex ut beneficium speciale solis israelitis concessum.

2.° Lex mosaica postulabat, ut in uno loco tantum sacrificia offerrentur, et singulis annis omnes viri ter congregarentur; hoc vero ad omnes gentes extendi non poterat. Ergo. Major continetur in *Exod. XXXIV*, 23, et *Deuter. XII*, 13, 14. In priore loco traditur: *Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel.* Et in posteriore: *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: sed in eo, quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum offeras hostias, et facias quaecumque praecipio tibi.*

Unde, quum lex mosaica esset norma, qua respublica israelita erat moderanda, apparet illam ad universas gentes non esse extendendam, nec gentes teneri illam legem profiteri. Quare prophetiae messianicae, quae de regno universali et de lege et doctrina pro omnibus gentibus loquuntur, manifeste ad novam oeconomiam novumque rerum ordinem instituendum se referunt.

**364.** VI. Ut ex V. T. vaticiniis veritas religionis christianae judaeis Messiam promissum et praedictum concedentibus probetur, sufficit ostendere Messiam promissum jamdudum advenisse, huncque esse Jesum Nazarenum. Verum contra rationalistas aliosque judaeos ostendendum quoque est Messiam seu legatum Dei extraordinarium, omnium gentium ducem, fuisse promissum et vaticinatum. Id autem non ex uno vel altero tantum vaticinio obtinendum est, sed ex pluribus, ut veritas certius manifestetur, et characteres Messiae melius detegantur, atque ita in hujus notitiam securius veniamus.

Verum ut vaticinia aliquid probent, prout ex disputatis n. 234 et sq. liquet, necesse est ea impleri. Quocirca ut ex vaticiniis messianicis aliquid concludatur, opus est ostendere ea convenire uni personae particulari, quae sit Messias, et hoc non casu, nec conjecturis, nec humana praescientia, sed ex divina praedictione. Atque ad id consequendum demonstrabitur in Vetere Testamento fuisse praedictam aliquam personam, cujus characteres nulli conveniunt regi, sacerdoti, prophetae, nulli personae particulari aut collectioni V. T., et solummodo Messiae expectato a judaeis accomodari posse. Deinde ostendendum est omnes characteres messianicos optime convenire Jesu Christo, et quidem non casu, quum casus posset ad summum dari circa unum vel alterum characterem, non vero circa complexum plurium; non humana praescientia, quia haec non se extendit ad tempora futura, ut praevideat notas et mores alicujus personae futurae post integra saecula; non scientia angelica, quia

neque angeli futura contingentia modo certo propriis viribus cognoscere possunt. Quare tantum restat, ut characteres messianici conveniant Jesu Christo ex divina revelatione, et ideo hic est verus Messias et Dei legatus.

## ARTICULUS II

### de variis Messiae characteribus

**365.** *Praemitt.* Prophetiae, quibus characteres Messiae deteguntur duplici praesertim via proponi possent: una esset, si initium a prophetiis antiquioribus sumeretur, et juxta antiquitatis ordinem afferrentur; altera, si conjungerentur prophetiae, quae de eodem Messiae munere vel charactere tractant. Prior via est aptior, ut divinae providentiae oeconomia patefiat, et appareat prophetias posteriores esse antiquarum declarationes; verum esset nimis longa et repetitionibus obnoxia; posterior est expeditior et meliore modo notas messianicas depingit, et omnino tenenda, si res compendio, ut fit in praesenti, agatur. Tamen, ut modus agendi divinae providentiae etiam manifestetur, in prima thesi incipiam ab antiquioribus prophetiis, quibus potius salus et bona a Messia afferenda, quam personales characteres praedicuntur. Deinde in ceteris thesibus de Messiae ortu, humilitate, mansuetudine, de praecursore ipsum praeeunte, de muneribus necnon de aliis vitae publicae adjunctis et circumstantiis sermo erit. In his etiam oeconomia divinae providentiae in revelatione Messiae detegi potest, si documentorum, quibus res messianae continentur, antiquitas perpendatur, quod facile erit cognoscenti plus minusve aetatem, qua varii S. Scripturae libri scripti sint.

#### Thesis I.

**Deus Adamo, Abraham, Isaac et Jacob salutem et bona spiritualia a Messia in omnes gentes afferenda promisit, atque ideo ipsum Messiam ex ipsis oriturum.**

**366.** Nota.—*Salus* hic sumitur pro ultimi finis consecutione, et *bona spiritualia* pro mediis quibus ille obtinetur. Haec bona spiri-

tualia in thesi sumuntur in genere, non cum perfecta eorum determinatione et explicatione.

Promissio facta Adamo ita traditur in *Gen.* III, 14, 15: *Et ait Dominus ad serpentem... Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.*

Promissiones factae Abrahamo, narrantur in *Gen.* XII, *2*, 3, ubi scribitur: *Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universae cognationes terrae.* Et XVIII, 17, 18: *Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quae gesturus sum; cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, et benedicendae sint in illo omnes nationes terrae?* Item XXII, 16 et sq.: *Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli, et veluti arenam quae est in littore maris: possidebit semen tuum portas iuimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae.*

Isaac similiter dixit Dominus, *Gen.* XXVI, 4: *Et mulliplicabo semen tuum sicut stellas coeli: daboque posteris tuis universas regiones has: et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.*

Postremo dixit Dominus Jacob, *Gen.* XXVIII, 13, 14: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac: terram in qua dormis, tibi dabo et semini tuo. Eritque semen tuum quasi pulvis terrae: dilataberis ad occidentem, et orientem, et septentrionem, et meridiem: et benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae.*

**367.** *Prob. 1.ª p. seu Adamo, Abraham, etc., fuisse promissa salutem et bona spiritualia.* Nam Adamo, ut ex *Gen.* III, 15, eruitur, promisit Deus mulierem seu potius ejus semen esse contriturum caput serpentis, i. e. diaboli, seu de diabolo triumphaturum. Atqui mulieris semen de diabolo non triumpharet, nisi salutem et bona spiritualia hominibus afferret, nam aliter omnes homines in aeternam ruinam inciderent, et ideo diabolus, non modo non contereretur, sed plenum triumphum reportaret. Ergo. Vide Tract. de Verbi Divini Incarnatione, d. 19, a. 1, n. 1041 et seq.

Deinde singulis aliorum, sc. Abraham etc., promisit Deus ut in locis paulo ante laudatis traditur: *In te, in semine tuo benidicentur universae cognationes terrae, omnes gentes terrae.* Atqui Deum alicui benedicere est illi bona promittere vel conferre; atque in locis

allatis *benedicere* ita accipi, etiam ex contextu elucet, quia aliae promissiones ibidem contentae efficaciter induxerunt bona promissa. Ergo. Quod vero hic agatur de benedictione, quae salutem et bona spiritualia adducet, sic ostenditur:

*a)* Deus Adae juxta dicta promisit salutem et bona spiritualia. Atqui promissio Adae facta est eadem, etsi minus explicita, quae continetur illis verbis *in te, in semine tuo benedicentur omnes gentes;* aliter enim non apparet, qua ratione promissio illa adimpleta sit. Ergo.

*b)* Nulla benedictio bona temporalia afferens ex semine Abrahae in omnes gentes derivata est. Ergo neque a Deo promissa est; nam divinae promissiones absolutae, ut est haec, frustrari nequeunt. Hanc autem benedictionem esse absolutam elucet, tum ex verbis quibus exprimitur, tum quia quadam emphasi fit, tum quia aliae promissiones simul cum illa factae sunt absolutae.

*c)* Postremo benedictiones, de quibus in locis supra adductis fit mentio, in bonum posteritatis Abrahae factae sunt. Sed prosperitas et bona temporalia gentium potius in detrimentum posteritatis Abrahae redundarent; etenim quo potentiores gentes, eo magis israelitae oppressi et vexati fuerunt.

**368.** *Prob. 2.ª p. seu salutem et bona spiritualia in omnes gentes esse effundenda.* Nam *a) universae cognationes terrae, omnes gentes terrae*, de se significant omnes gentes totius orbis, neque est ratio limitandi. *b) Universae cognationes terrae, omnes gentes terrae* nec significant nationes israelitis finitimas tantum, neque solam Abrahae posteritatem. Ergo significant nationes omnes totius orbis, quum medium congruenter designari non possit. *Prob. Ant. Non significant nationes finitimas tantum,* quia hae generatim, aut ab israelitis devictae et exterminatae sunt, aut vice versa, eos vicerunt et vexarunt, et neutro modo habetur specialis benedictio. Neque propagatio cultus veri Dei in nationes vicinas fuit adeo notabilis, ut propter illam saepe praediceretur tanquam magna res *in te benedicentur omnes gentes.* Accedit quod *Gen. XXVI*, 4, expresse ponuntur ut distinctae *universae regiones hae* (vicinae) *et omnes gentes terrae. Deinde non significant solam Abrahae posteritatem:* tum quia iste nullo modo est sensus obvius, tum quia omnes gentes semini Abrahae contraponitur.

Dices.—Omnes gentes contraponuntur semini Abrahae sumpto pro unico individuo, non autem sumpto pro tota posteritate. Ergo sensus potest esse omnes gentes, i. e. posteritas Abrahae benedicenda est per unum individuum ejusdem posteritatis.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Nam in laudatis textibus semen Abrahae ponitur ut distinctum ab omnibus gentibus; in facta autem hypothesi omnes gentes etiam essent semen Abrahae. Praeterea si omnes gentes essent Abrahae posteritas, sensus esset per unum Abrahae semen benedicetur reliquum; qui quidem sensus ex verbis nullatenus colligitur.

**369.** *Prob. 3.ª p. seu salutem et bona spiritualia a Messia esse afferenda. a) Quia semen in quo benedicendae sunt omnes gentes* est idem, quod contriturum erat caput diaboli, hoc autem fuit unicum. *b)* Quia tota posteritas Abrahae salutem et bona spiritualia non attulit, sed haec, ut in aliis prophetiis declaratur, ab unico individuo adducta sunt. Unde Paulus ad *Galat III*, 16, scribit: *Abrahae dictae sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: et semini tuo qui est Christus.* Hoc autem unicum individuum non potest esse nisi Messias, qui juxta posteriora vaticinia in omnes gentes bona spiritualia allaturus erat. Quod vero Mesias seu individuum illud benedictiones in omnes gentes allaturus, ex Abraham, Isaac et Jacob sit exoriturus, vaticinia supra adducta manifeste asserunt.

**370.** Dices 1.°—Juxta textum hebraicum *in te* vel *in semine tuo benedicentur omes gentes* facit sensum reflexum (1), ac si diceretur omnes gentes sibi apprecabuntur vel exoptabunt felicitatem posteritatis Abrahae. Ergo in laudatis textibus non est sermo de bonis per Messiam afferendis.

*Resp. N. Ant.*; nam *S. Hieronymus* et omnes antiqui interpretes sensum textus hebraei bene callentes sensu passivo verterunt, neque est solida ratio ab eorum interpretatione discedendi, saltem quoad sensum. Unde si permittatur sensus reflexus, ita explicanda est promissio, sc. omnes gentes sibi benedicent ob bona ipsis venientia ex semine Abrahae, h. e. se beatas existimabunt ob bona ex semine Abrahae accepta; nam omnes aliae benedictiones, quae in locis laudatis continentur, sunt efficaces; quare simili modo judicandum est de illa, quae tanquam aliquid valde magnum et ceterarum complementum ponitur. Accedit quod in adversariorum interpretatione non est ratio, cur gentes potius sibi prosperitatem hebraeorum, quam Assyriorum, Chaldaeorum aliorumque populorum exoptarent.

**371.** Dices 2.°—*Semen* in locis laudatis non sumitur pro unico individuo posteritatis, ut liquet ex *Gen. XXII*, 4, etc. Ergo ibi non

(1) Verbum hebraeum בָּרַךְ habetur in forma hithpahel (Gen. XXVI, 18 XXVI, 4) quae facit sensum reflexum: tamen in aliis locis (Gen. XII, 3; XVIII, 18; XXVIII, 14) est in forma niphal, quae facit sensum passivum.

est sermo de Messia. Item in aliis ex locis adductis dicitur *in te benedicentur*, in aliis *in semine tuo.*

*Resp.* Semen potest sumi pro unico individuo et pro tota posteritate; utrum vero uno vel altero modo sumatur id ex contextu, adjunctis, scopo vel materia, de qua agitur, dignoscendum est. Jam vero in locis adductis aliquando sumitur pro tota posteritate; sed quum omnibus gentibus contraponitur, pro unico individuo accipitur, ut requirunt rationes supra adductae. Deinde locutionis *in te*, *in semine tuo*, sunt aequivalentes, nam omnes gentes per ipsam Abrahami personam benedictionem non acceperunt, et ideo *in te*, idem est ac *in semine tuo.* Unde in praefatis locis, ubi eadem promissio repetitur, in aliis ponitur *in te*, in aliis *in semine tuo;* atque XXVIII, 14, simul ponitur *in te,* et *in semine tuo*, ut duae expressiones aequivalentes et se invicem explicantes.

*Observa.* Quum Noe dixit, *Gen. IX*, 26: *Benedictus Dominus Deus Sem* absdubio vaticinatus est Messiam ex stirpe Sem esse nasciturum; non enim videtur Noe aut id ignorasse, aut filiis suis non communicasse.

## Thesis II.

**Messias nasciturus erat Bethlehem ex stirpe David et ex virgine.**

**372.** Nota.—Vaticinium *Michaeae,* V, 2, volunt nonnulli judaei loqui de Zorobabele, et rationalistae de Messia ficto et desiderato a propheta. Item in vaticinio *Isaiae, VII*, 14, juxta rationalistas nihil supernaturale praenuntiatur, sed ibi de conceptione et partu cujusdam adolescentulae jam existentis tempore prophetae sermo est, et puer natus ideo fuit felix omen, quia ante tertium ejus annum judaei de suis hostibus triumpharunt.

*Prob. 1.ª* p. *seu Messiam esse nasciturum Bethlehem. Mich. V,* 2, et sq. dicitur: 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.* 3. *Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet: et reliquiae fratrum ejus convertentur ad filios Israel.* 4. *Et stabit, et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui: et convertentur, quia nunc magnificabitur, usque ad terminos terrae.* 5. *Et erit iste pax.* In textu adducto sermo est de Messia. Atqui hic Bethlehem traditur nasciturus. Ergo. *Major* et *Minor* probandae sunt.

*Prob. Maj.* Nam sermo est de *dominatore,* cujus *egressus ab initio, a diebus aeternitatis,* cujus imperium se porriget *usque ad*

*terminos terrae, et erit iste pax.* Atqui istae notae magno illi Dominatori seu Messiae a judaeis expectato optime quadrant, non autem alii. Ergo. Deinde ponitur ut specialissima gloria Bethlehem ortus *Dominatoris* ex illa; non esset autem gloria specialissima illius talis ortus, nisi *dominator* esset Messias; nam aliter aestimanda esset saltem aequalis gloria, Davidem ex Bethlehem ortum esse. Neque admitti potest ibi de Zorobabele agi, nam iste nec Bethlehem natus est, neque ejus *egressus ab initio, a diebus aeternitatis.* A fortiori rejiciendum est commentum de ficto Messia, quum nullum sive in textu, sive in traditione habeat fundamentum.

*Prob. Min. seu Messias nasciturus Bethlehem.* Hoc dicitur aperte in textu, sc., *ex te mihi egredietur dominator in Israel.* Id ipsum ex judaeorum sensu confirmatur; nam quum Herodes ex principibus sacerdotum et scribis sciscitaretur *ubi Christus nasceretur,* responsum est ei, *in Bethlehem Judae,* prout tradit Matth. II, 5. Item quidam judaei, ut scribit Joann.VII, 42, dixerunt: «Nonne Scriptura dicit quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?»

Dices.—Apud Matth. II, 6, dicitur: *Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima est in principibus Juda...* Apud Mich. vero: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus est in millibus Juda...* Ergo non videtur certo de vaticinio constare.

*Resp.* Imprimis sive apud Matth., sive apud Mich. eodem modo ortus Messiae ex oppido Bethlehem traditur. Deinde S. Matth. adducit et approbat testimonium judaeorum, quatenus affirmat locum ortus Messiae; quod vero ad cetera attinet, videtur solum narrare quod judaei dixerunt. Postremo principes sacerdotum dixisse videntur *nequaquam minima est in principibus Juda* propter nativitatem Messiae ex illa; contra apud Mich. dicitur ita parva, ut non sit digna habere principem vel praefectum praesidentem mille familiis ratione parvi numeri incolarum.

**373.** *Prob. 2.ª p. seu Messiam ex stirpe David nasciturum.* 1.° ex *Jeremia.* XXIII, 5, ubi dicitur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum: et regnabit rex, et sapiens erit: et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter: et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster (juxta hebraeum Jahve vel Jehova justitia nostra)* (1). In adducto textu sermo est de germine, quod erit ex stirpe David, justum, rex, sapiens, faciens judi-

(1) יְהוָה צִדְקֵנוּ

cium et justitiam, salvans Juda, quodque vocabitur Dominus justus noster, vel, juxta hebraeum, Deus justitia nostra, ut ex ipsis verbis textus manifestum est. Atqui haec de Messia dicuntur. Ergo Messias est ex stirpe davidica. *Prob. Min.* Etenim ab aetate Jeremiae nullus rex ex stirpe davidica ortus est, qui sit justus, faciens judicium et justitiam, quique vocatus sit Dominus justus noster, nisi solus Messias. Praeterea interpretes generatim sive judaei, sive christiani, sive antiqui, sive recentes vaticinium hoc de Messia interpretantur.

2.° Ex *Isaia* XI, 1, ubi scribitur: *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Textus hebraeus ad litteram dicit: *Et egredietur surculus ex trunco Isai, et ramus ex radicibus ejus fructum feret* (1). In hoc loco sermo est de Messia. Sed hic ex radice davidica nasciturus dicitur. Ergo. Minorem seu illum, de quo sermo est in loco adducto, ex stirpe davidica esse nasciturum concedunt omnes: etenim Isai seu Jesse fuit pater David, et licet alios filios praeter David genuerit, unius David est nota genealogia. Atque stirpem David in textu laudato indicatur fore humilem et abjectam, quum Messias oriatur; etenim secundum textum hebraeum Messias ex trunco (2) arboris *succissae,* sive ex trunco abjecto oriturus praenuntiatur. Difficultas igitur est in *majori,* quam rationalistae pernegant.

*Prob. Maj. seu in textu laudato agi de Messia.* Ille de quo ibi est sermo, ut legenti caput apparet, specialissimo modo accipiet spiritum Domini (juxta hebraeos Jahve sive Jehova), ita faciet justitiam aequitatemque servabit, ut justitia et fidelitas sint ejus cingulum; eam afferet pacem, ut animalia ferocia cum mansuetis convivere possint, atque omne nocumentum arceatur; erit vexillum populorum, atque ad eum accurrent gentes et reliquiae Israel et Juda. Atqui omnes isti characteres simul sumpti nonnisi Messiae a judaeis expectato quadrant. Ergo. Accedit quod, ut testatur *S. Hieron.* in hunc locum, *virgam et florem de radice* Jesse, *ipsum Dominum* (Messiam) *judaei interpretantur.*

Rationalistae contendunt in loco laudato agi de Zorobabele, vel de Ezechia, vel de Manasse; verum hoc nullatenus admitti potest, quum characteres allati, saltem si simul accipiantur, nulli eorum conveniant.

**374.** *Prob. 3.ª p. seu Messiam ex Virgine nasciturum.* In *Isai.* VII, 14, dicitur: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.*

(1) וְיָצָא חֹטֶר מִגֵּזַע יִשַׁי וְנֵצֶר מִשָּׁרָשָׁיו יִפְרֶה׃

(2) גֶּזַע

*Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Ex quibus sic argumentor: Emmanuel ex virgine nasciturus dicitur. Sed Emmanuel est Messias. Ergo. Probanda est major et etiam minor.

*Prob. Min.* Emmanuel, de quo sermo est VII, 14, et VIII, 8 et 10, est unus idemque Emmanuel: tum quia eodem nomine designatur, tum quia in utroque loco ponitur, ut signum confidentiae et liberationis populi judaici, prout ex contextu apparet; tum denique quia solida ratio duplicis Emmanuelis ponendi deest. Rursus *parvulus,* de quo loquitur propheta, IX, 6, est idem Emmanuel; nam hic, VIII, 8, est Dominus terrae Judaeae, et adeo fiduciam excitat, ut propheta, vv. 9 et 10, propter Emmanuelem dicat hostibus: *Congregamini, et vincimini... confortamini, et vincimini... inite consilium, et dissipabitur, loquimini verbum, et non fiet;* denique ipse ratione nominis est *nobiscum Deus.* Jam vero *parvulus,* IX, 6, etiam est Dominus terrae Judae, quum futurus sit *super solium David et super regnum ejus;* item maxime fiduciam excitat, cum sit *Deus fortis,* et aequivalenter dicitur etiam *Deus nobiscum;* quum sit Deus fortis natus ad pacem hominibus afferendam. Ergo revera Emmanuel est unus cum *parvulo nobis nato.*

Atqui *parvulus,* IX, 6, 7, est Messias; illi enim tribuuntur characteres solius Messiae proprii, sc. esse principem pacis, sedere super thronum Davidis in aeternum, principatum ejus multiplicari et perpetuo conservari, atque in judicio et justitia exerceri. Ergo Emmanuel est Messias.

*Restat probanda major seu Messiam ex Virgine nasciturum.* Id ostenditur: 1.° quia LXX vim vocabuli hebraici callentes reddiderunt παρθένος, quod virginem proprie talem significat. 2.° S. Matthaeus pro judaeis scribens vaticinium Isaiae, VII, 14, applicat Mariae illibata virginitate concipienti et parienti. Id autem loquens judaeis minime faceret, si Isaias non esset locutus de virgine. 3.° vocabulum quod in textu hebraeo (1) pro latino *virgo* habetur, ad significandam puellam, quae sit virgo proprie talis, usurpatur. Dubius tantum est locus Prov. XXX, 19; verum ex loco dubio nihil confici potest; aliunde etiam ibi vocabulum hebraeum sumi videtur pro virgine, quae saltem exterius putabatur talis. 4.° ibi praenuntiatur conceptio et partus quae erunt signum; nullum autem est miraculum conceptio et partus adolescentulae non virginis. Nec dicas signum saepe non

(1) Vocabulum עַלְמָה sexies in Vetere Testamento reperitur, sc. Gen. XXIV, 43, Exod. II, 8, Psal. LXVII, 26, Cant. I, 2, VI, 7, Proverb. XXX, 19, et in omnibus his locis praeter postremum, qui est dubius, significat virginem.

accipi pro vero miraculo, ut elucet ex VIII, 18; etenim, quamvis non semel ita sit, nihilominus VII, 14, sumitur pro vero miraculo. Nam Deus dabat signum ad erigendam fiduciam Achaz et populi judaici circa liberationem Judaeae a potentia regum Syriae et Israel; ad quod sane erat aptum miraculum proprie tale, quo divina omnipotentia manifestatur, non autem merum signum. Praeterea Deus obtulerat Achaz, v. 11, facere signum sive in profundo inferni, sive in excelso supra, atque ideo facere verum miraculum; quocirca, quum Deus postea sine petitione Achaz signum dederit, non dedisse verum miraculum ut signum non est existimandum.

**375.** Dices 1.°—Vocabulum hebraicum pro latino *virgo* etymologiam ex arabico ducit, et secundum hanc etymologiam minime virginem significat.

*Resp.* Vox hebraica posita pro latina *virgo* ex arabico derivari non constat, ut ostendunt eruditi. Praeterea, et quod ad rem facit, aliud est nominis etymon, aliud ejus significatio; haec enim etymologiae non semper respondet. Jam vero in praesenti vocabulum hebraem *halmah*, quodcumque sit ejus etymon, secundum usum biblicum puellam virginem significat. Id confirmat *S. Hieron* dicens, Comm. in Isa. (M, L, 24, 108): «Et quantum cum mea pugno memoria nunquam arbitror *alma* in muliere nupta legisse, sed in ea quae virgo est; et non solum virgo sit, sed virgo junioris aetatis...»

**376.** Dices 2.°—Id quod ita est futurum ut non nisi post plura saecula eveniat, non potest adhiberi ut signum rei parum distantis. Atqui si in loco Isaiae laudato de virgine et de Messia ageretur, id quod est longe post futurum, ut signum eventus parum distantis poneretur. Ergo.

*Resp. N. Maj.* Miraculum, quantumvis longinquum, dummodo de illo certo constet, divinae omnipotentiae vim revera manifestat, et ideo non est, cur poni nequeat ut signum rei minus distantis, sed requirentis speciale auxilium divinae virtutis. Ita virgo concipiens et pariens vim divinae omnipotentiae ostendit, et licet hoc ponatur, futurum, si certum sit esse futurum, non ideo desinit esse signum divinae omnipotentiae, et ut tale proponi potest. Jam vero de eo quod Isaias nomine Dei testabutur, certo constabat, quum auctoritas Isaiae ut prophetae nota esset; quare non erat ratio prudens dubitandi, quamvis propheta, rem adeo miram ut virginem concipientem et parientem attestaretur.

**377.** Dices 3.°—Signum ab Isaia non in virgine concipienti et parienti ponitur, sed in Emmanuelis nativitate. Ergo.

*Resp.* In utroque ponitur signum a propheta, quum utrumque ut

quid extraordinarium praenuntiet. Praeterea Emmanuel aut Messias esse dicitur, aut puer cum solis naturalibus dotibus genitus. Si primum, eo ipso commendatur sensus virginis concipientis et parientis, nam summae praerogativae et excellentiae Messiae nativitatem ex virgine postulabant. Sin alterum assumatur, signum quod a Deo datur non est verum miraculum, prout contextus requirere videtur.

**378.** Dices 4.°—Emmanuel tempore Isaiae natus est; nam juxta v. 16 *antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum* reges Syriae et Israel regno spoliabuntur, quod quidem aetate Isaiae evenit. Ergo falsum est Emmanuelem post plura saecula nasciturum, et esse Messiam.

*Resp. N. Ant.* et ad hujus *Prob.* dico τό *antequam sciat,* etc., non poni ad tempus nativitatis pueri indicandum, sed ad indicandum tempus, quod transibit a praedictione Isaiae usque ad punitionem regum Syriae et Israel: unde sensus videtur esse iste, sc. ab hac praedictione quam nunc facit Isaias usque spoliationem regum Syriae et Israel non transibit tantum temporis, quantum a nativitate Emmanuelis, quocumque tempore sit haec, usque ad aetatem, qua sciat reprobare malum et eligere bonum. Etenim, quum Isaias Emmanuelem ejusdemque infantiam prae oculis haberet, mirum non est eum assumpsisse aetatem Emmanuelis a nativitate usque ad tempus discretionis ut mensuram durationis transiturae ab editione prophetiae ad ruinam regibus Syriae et Israel inferendam. Hanc explicationem existimo meliorem illa, quam indicavi in Tract. de Verb. Div. Incarn., d. 19, a. 6, n. 1144.

Praeterea Emmanuel non potest esse Ezechias aut alius filius Achaz, aut aliquis filius Isaiae, aut alius puer tempore Isaiae natus; nulli enim eorum illa, quae de Emmanuele in c. 9, vv. 6 et 7 dicuntur, conveniunt. Speciatim Emmanuel non est filius Isaiae, de quo fit mentio VIII, 3, nam hic, praeterquam quod ejus pater et mater expresse nominantur, vocabatur, non Emmanuel, sed *Accelera spolia detrahere: Festina praedari.* Quare si nullus puer aetate Isaiae natus est, cui convenienter tribui possit esse Emmanuelem, talis pueri nativitatem tempore prophetae in VII, 16 non indicari concludendum est. Vide plura de hac re apud *P. Murillo*, Jesucr. y la Igl. Rom. l, 4, c. 6; *Corluy,* Spicil. dog. bibl.; *Knabenbauer,* Comment. in Isa.

**379.** Dices 5.°—Signum, quod v. 14 praedicitur, non est ad fausta, sed ad adversa nuntianda, nec v. 16 ad cladem regum Syriae et Israel, sed ad Iudaeae devastationem refertur, et idcirco Emmanuel butyrum et mel comesturus vaticinatur. Ergo proxime dicta ruunt.

*Resp. Neg.* omnia in antecedenti asserta. Imprimis signum ad fausta nuntianda datum est; nam Isaias nomine Dei obtulerat regi Achaz praebere signum ad veritatem liberationis Judaeae a potestate regum Syriae et Israel testandam, et licet Achaz signum petere recusarit, nihilominus Isaias nomine Dei illud praedicit et promittit; quare talis signi praedictio et promissio ad Judaeae liberationem denotandam dirigi videtur. Praeterea nomen Emmanuel Deum nobis faventem, non adversantem significat.

Deinde v. 16 ad cladem Rasin et Phacee refertur, nam textus sive hebraeus, sive graecus LXX sensu obvio hoc significant; et sic indicatur tempus adimpletionis rei propter quam significandam praebitum est signum, et confirmatur quod v. 7 asseritur. Nec refert Achaz indignum signo prospero fuisse; quia Deus etiam perversis benefacit, et signum non in favorem Achaz, sed ad significandum stirpem davidicam, ex qua Messias erat nasciturus, non evulsum iri a regibus Syriae et Israel datum fuisse videtur. Et licet v. 9 Deus dixerit: *Si non credideritis, non permanebitis*, non erat necesse eam punitionem statim fieri, sed poterat differri. Aliunde punitio ob Achaz incredulitatem inferendam jam v. 17 et sq. denuntiatur. Nec objicias fieri abrupte transitum a v. 16 ad 17; nam hoc in prophetis non est infrequens, praeterquam quod antea, v. 9, Achaz esse puniendum, nisi crediderit, jam erat denuntiatum; et ideo transitus non est adeo abruptus, quum determinetur id, quod paulo antea modo generali praedictum erat.

Postremo ex comestione butyri et mellis ab infante Emmanuele argumentum validum ad Judaeae devastationen colligendam fieri nequit; interpretes enim variis modis ea verba commentantur. Inter alias interpretationes non ostenditur absona, quam *S. Hieron.*, Comment. in hunc locum (M, 24, 110) cum aliis PP. et commentatoribus tradit, videlicet Emmanuelem praedici butyrum et mel comesturum, ut confirmetur eum futurum verum hominem et simili modo ac ceteros infantes nutritum iri. Nec ex eo quod v. 22, comestio butyri et mellis solitudinem et devastationen terrae significet, eadem significatio v. 15 illis verbis tribuenda est; nam v. 22 ad tempus captivitatis referri videtur; nativitas vero Emmanuelis tempore remotiore futura erat.

**380.** Dices 6.°—Si v. 16 ad cladem regis Rasin et Phacee referretur, coaevi Isaiae putassent Emmanuelem proxime esse nasciturum, maxime si admitteretur explicatio superius adducta de verbis illis, *Quia antequam sciat* etc. Ergo.

*Resp. N. Assert.:* tum quia propheta tono vocis alioque signo non

esse sermonem de nativitate Emmanuelis proxima indicare poterat; tum praesertim quia ex cc. IX, XI, aliisque Isaiae locis, in quibus de Messia seu Emmanuele agitur, nativitatem Messiae ab aetate Isaiae valde distantem fore colligitur. Sic, v. g. ex vv. 11 et 12 c. XI, qui ad aetatem Messiae referuntur, eruitur Messiam nonnisi post captivitatem babylonicam esse venturum.

### Thesis III.

**Messias praecursorem habiturus erat, futurusque mitis et humilis, rex spiritualis omnium gentium.**

**381.** Nota.—Praecursor in praesenti dicitur ille, qui judaeos ad Messiam recipiendum praeparabit. Rex spiritualis est ille, qui suam potentiam et auctoritatem ad spiritualia bona hominibus afferenda dirigit. Omnes hujus theseos partes etiam historice sunt certae.

1.ª p. *seu Messias praecursorem habebit. Prob.* Nam apud *Malach. III,* 1, dicitur: *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis; et angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* In hoc textu sermo est de Messia, ut a. 4, thes. 3.ª probatur. Atqui ante *Dominatorem* seu Messiam venturum dicitur mittendus *angelus* seu legatus ad viam praeparandam, atque ideo praecursor. Ergo. Quod vero praecursor venturus sit ad animos judaeorum parandos, non ad materialem viam sternendam, honores et fastum disponendum, elucet ex eo, quod Messias est mitis, humilis et rex spiritualis.

**382.** 2.ª p. *seu Messias erit mitis et humilis. Prob. 1.º* ex *Isa. XLII,* 1, et sq., ubi dicitur: 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet.* 2. *Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris,* 3. *Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium.* 4. *Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium: et legem ejus insulae expectabunt.* 5. *Haec dicit Dominus Deus, creans coelos, et extendens eos: firmans terram, et quae germinant ex ea: dans flatum populo, qui est super eam, et spiritum calcantibus eam.* 6. *Ego Dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te. Et dedi te in foedus populi, in lucem gentium:* 7. *Ut aperires oculos caecorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.* In hoc loco sermo est de Messia. Atqui ille, de quo

hic agitur, est mansuetus et humilis; nam ea, quae vv. 2 et 3 de illo praedicantur, hoc indicant, et licet metaphorae *calamus quassatus* et *linum fumigans* varias patiantur interpretationes, tamen ibi modum agendi mansuetum et pacificum significari indubium videtur. Neque in textu hebraeo est aliquid, quod praefatae explicationi contradicat, sed illi potius magis favet; nam ubi in vulgata dicitur *neque accipiet personam,* in hebraeo ad litteram dicitur *non levabit* (1), ubi subaudiri debet, ut notat *S. Hieron.* in hunc locum (M, L, 24, 421), *in altum vocem suam.* Constat igitur de minori.

*Prob. Maj. seu ibi de Messia sermonem esse.* Etenim ille, de quo ibi loquitur propheta, est a Deo electus, ipsi placens ac ejusdem spiritum accepit, judicium gentibus proferet, mansuetudine et lenitate insignietur, insulae legem ejus expectabunt, eritque foedus populi israelitici, lux gentium atque caecorum oculos aperiens. Atqui haec omnia simul sumpta Messiae a judaeis expectato optime quadrant, neque alius allegari potest, cui omnes memorati characteres conveniant. Ergo.

2.° ex *Zach. IX,* 9, 10, ubi dicitur: *Exulta satis* (hebr. *valde*), *filia Sion, jubila* (hebr. *vociferare*), *filia Jerusalem: Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator* (hebr. *salvatus, victor*): *ipse pauper* (hebr. *afflictus, mansuetus*), *et ascendens super asinam* (hebr. *asinum*), *et super pullum filium asinae* (hebr. *asinarum*). 10. *Et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli: et loquetur pacem gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terrae.* In hoc loco sermo est de Messia. Atqui ille, de quo hic est sermo, praedicitur mansuetus et humilis; nam praedicitur *justus, pauper, ascendens super asinam, loquens pacem,* ac simul habens dominium universale, quae quidem, praesertim simul sumpta, mansuetudinem et humilitatem indicant. Ergo. *Prob. Maj.* Etenim ille, de quo est sermo, dicitur *rex* Jerusalem, *justus, salvator, loquens pacem gentibus* et habens *potestatem usque ad fines terrae,* qui sane characteres Messiae et nulli alii quadrant. Quod vero *fines terrae* sint fines universae terrae, non solius Palaestinae, colligitur; tum quia rex ille loquetur pacem *gentibus,* ac proinde non solis palaestinensibus, tum quia vocabula hebraea (2) pro latinis *fines terrae* semper usurpantur ad fines universae terrae significandos, ut fit in I Reg. II, 10; Psal. II, 8; Is. LII, 10; Jer. XVI, 19, etc.

(1) Versus 2.$^{us}$ in habraeo dicit: לֹא יִצְעַק וְלֹא יִשָּׂא וְלֹא־יַשְׁמִיעַ בַּחוּץ קוֹלוֹ׃

(2) עַד־אַפְסֵי־אָרֶץ

**383.** Dices 1.°—Ubi in Vulgata, *Isa. XLII*, 2, et in textu hebraeo scribitur *servus meus... electus meus,* LXX verterunt *Jacob puer meus... Israel electus meus.* Ergo non certo constat ibi de Messia sermonem esse.

*Resp. N. Cons.*; etenim aut hac in re versio LXX est deserenda, aut *Jacob* et *Israel* hic Messiam significant. Ratio est, quia in hoc loco Jacob et Israel si non significarent Messiam, aut totum populum Israel, aut saltem principaliores, aut sanctiores populi denotarent. Profecto, nequeunt significare totum populum; nam is neque fuit mansuetus et humilis, nec judicium gentibus protulit, neque insulae legem ejus (juxta textum graecum neque *in nomine ejus gentes)* expectarunt, nec fuit lux gentium, et oculos caecorum aperiens; haec autem omnia illi convenire deberent, ut esset persona, de qua propheta loquitur. Similiter significare nequeunt principaliores aut sanctiores populi israelitici, quia neque hi judicium gentibus protulerunt, neque legem eorum insulae expectarunt, neque fuerunt lux gentium. Unde plures versionem graecam hac in re esse deserendam autumant, quum neque in textu originali hebraeo, neque in Vulgata, neque in versione Theodotionis habeantur vocabula *Jacob* et *Israel*, nec Matth. XII, 18, ea adducat. Alii vero, ut plures PP. graeci, inter quos *Euseb. Caes.*, Demonst. evang. l. 8 (M, G, 22, 587), et *S. Cyrill. Alex.* In Isa. l. 3, t. 5, XLII (M, G, 70, 850), interpretantur Jacob et Israel pro Messia esse positos. Sic *S. Cyrillus Alex.* dicit: «Jacobum autem et Israelem eum (Christum) vocitat, quasi natum ex sanguine Jacob secundum carnem, qui cognominatus est quoque Israel. Ex his duabus solutionibus pro nostro scopo quaelibet sufficit.

Ex dictis in hac responsione et in probationibus colligitur neque Isaiam, neque alium prophetam aut collectionem prophetarum, neque aliquem regem Israel aut Juda, neque Cyrum esse *servum* et *electum* Dei, de quo loquitur Isaias; etenim nulli eorum conveniunt omnes characteres, qui *servo* et *electo* Dei tribuuntur.

**384.** Dices 2.°—XLII, v. 7, sermo est de liberatione a captivitate babylonica. Ergo non est sermo de Messia.

*Resp.* Quae dicuntur in v. 7, sc.: *et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris* accipienda sunt metaphorice, ut ex contextu elucet. Nam eidem servo et electo Dei, nisi contextui violentia fiat, tribuitur placere Deo, hujus spiritum habere, judicium gentibus proferre, esse mansuetum et benignum, legem ferre quam insulae expectabunt, vocari in justitia, esse in foedus Deum inter et populum judaeum, et in lucem gentium ad oculos caecorum aperiendos atque ad educendos e carcere vinctos: haec

autem omnia simul sumpta neque Cyro, neque alii duci, neque alicui prophetae, neque alii viro insigni ex his, qui tempore liberationis a captivitate babylonica vixerunt, applicari rite possunt; quocirca v. 7, ad liberationem a captivitate babylonica referri nequit. Aliunde, quum esse *in lucem gentium et aperire oculos caecorum* metaphorice accipienda sint, simili modo accipiantur oportet ea, quae ad eductionem e carcere referuntur.

**385.** Dices 3.°—Propheta de servo Dei jam existenti et praesenti loquitur, non de futuro. Ergo non loquitur de Messia.

*Resp. N. Ant.* Prophetae enim, licet de re futura agant, ut de praesenti et existenti saepe loquuntur, quia ad visionem suam rerum futurarum ut praesentium se referunt. Praeterea Isaiam hic de re futura agere, ex v. 9 est manifestum.

**386.** Dices 4.°—In XLII, vv. 6 et 7, ponitur Messias ut doctor gentium. Atqui in aliis Scripturae locis haec nota Messiae non tribuitur. Ergo.

*Resp. N. Min.* Imprimis, licet in uno solo loco Messias praedicaretur doctor gentium, non esset, cur haec nota illi negaretur. Praeterea falsum est in aliis locis doctrinam et scientiam non poni ut notam temporis messianici, quum ex Isa. II, 3, XI, 9, Mich. IV, 2, contrarium appareat.

**387.** Dices 5.°—Propheta loquitur in prima persona singulari. Ergo non loquitur de Messia, sed de se ipso vel de re ad ipsum pertinente.

*Resp. N. Ant.* et *Cons.* Non enim ipse propheta pro se loquitur, sed Deus introducitur loquens, ut a prophetis saepe fit.

**388.** 3.ª p. *Messias erit rex. Prob. 1.°* ex Psal, II, 6, ubi legitur: *Ego constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Et secundum versionem *S. Hieron.*: *Ego autem ordinavi regem meum super Sion montem sanctum meum.* Et ad litteram textus hebraei (1): *Et ego unxi* (effudi) *regem meum super Sion montem sanctum meum...* Ille de quo hic loquitur Psalmista, est rex, prout ipsis verbis textus, et secundum Vulgatam, et hebraeum et LXX, elucet. Atqui persona de qua loquitur Psalmista est Messias. Ergo.

*Prob. Min. a)* Psalmista de illo loquitur, qui ita est Dei filius et a Deo genitus, ut jus haereditarium in gentes et in fines terrae habeat; hoc enim ex vv. 7 et 8 eruitur. Atqui nec David, nec Salomon, neque alius princeps Israel, et multo minus principes exteri, vi divi-

(1) וַאֲנִי נָסַכְתִּי מַלְכִּי
עַל־צִיּוֹן הַר־קָדְשִׁי :

nae filiationis jus haereditarium in gentes et in fines terrae habuerunt, et solus Messias hoc sibi vindicare potest. Ergo. *b*) Psalmista de illo scribit, qui jus dominandi in omnibus gentibus et in remotissimis terrae finibus possidet, ut ex v. 8, colligitur: tum quia illi sine ulla limitatione jus in gentes et in fines terrae tribuitur; tum quia vocabula quae in hebraeo habentur (1), nationes ethnicas in genere et remotissimos terrae fines significare solent. Atqui jus dominandi tam universale Messiae quidem congruit, sed nulli alii regi vel principi, sive judaeo, sive extero, convenienter aptari potest, praesertim quum de jure dominandi juste et legitime sermo sit. Nec quidquam adversarii proficiunt, quum dicunt hebraeos tantum cognovisse nationes vicinas, et ideo de remotis non esse loquutum psalmistam; nam Aegyptum incoluerunt, et commercium cum phoeniciis per regiones etiam longinquas navigantibus habebant. *c*) Rebellio, de qua loquitur Psalmista vv. 1-3 est directe adversus ipsum Deum, hoc autem rebellioni contra Messiam, utpote qui Dei legatus specialissimus sit, optime congruit, non item rebellioni adversus alios principes; nam haec indirecte solummodo esset contra Deum. *d*) Adhortatio ad finem Psalmi posita vv. 10-13, propria scopi immediati regni messianici est, non item aliorum regnorum.

Quod si aliqui, ut *Lagrange*, Rev. bibl., Januario, 1905, negarent nomen *rex*, v. 6, in textu originali reperiri, id imprimis contra communen sententiam et sine fundamento sufficienti facerent; deinde, etiam omisso nomine *rex,* dignitas regia illius, de quo in Psalmo agitur, ex ejus dominio universali sufficienter probatur.

**389.** Dices 1.°—Psalmus rebellionem adversus Deum et Christum ut jam praeteritam narrat. Ergo argumentum Psalmi nón est res futura, ac proinde neć Messias.

*Resp. D. Ant.:* Psalmus rebellionem ut jam praeteritam narrat respectu temporis, in quo Psalmista vivebat, *N.*; respectu aliorum eventuum, quos Psalmista intuebatur, *C.* Prophetae res futuras ut praesentes et praeteritas saepe depingunt, quia eas describunt ea ratione, qua per visionem illis manifestantur; visio autem prophetica res futuras, tanquam si jam essent partim praesentes et partim praeteritae, multoties videre faciebat. Profecto quum res futurae ad tempora inter se distantia pertinerent, si longinquiora ut praesentia delineantur, proximiora ut praeterita repraesentari necesse est.

(1) וְאֶתְּנָה גוֹיִם נַחֲלָתֶךָ
וַאֲחֻזָּתְךָ אַפְסֵי־אָרֶץ :

**390.** Dices 2.°—Rex, ut ex v. 9, eruitur, virga ferrea subditosque confringendo gubernavit. Atqui haec a rege Messia sunt prorsus aliena. Ergo.

*Resp. N. Maj.;* Messias enim virga ferrea recturus, ac subditos ut vas figuli confracturus dicitur, non quod acerbe et tyrannice gubernet, sed ad indicandam ex una parte potentiam, firmitatem et constantiam regni messianici, et ex altera debilitatem infirmitatemque eorum, qui illi adversantur, licet coram hominibus vere potentes sint; aliter namque adhortatio ad obediendum Deo et Christo ejus ut regi non esset aequa, neque obedientia, prout asseritur versu ultimo, beatitudinem afferret.

**391.** Dices 3.°—Argumentum psalmi est quid ideale et fictum. Ergo nihil ex illo pro vero Messia.

*Resp. N. Ant.;* etenim si Psalmista de re aliquando existenti loqueretur, non aliter de ea ageret, ac facit; quocirca non adest fundamentum sufficiens ad asserendum de re ideali et ficta loqui. Aliunde omnia in Psalmo contenta revera evenerunt et eveniunt in Christo et in Ecclesia ab eo fundata. Accedit quod ea potestatis amplitudo usque ad fines terrae, nisi futura certo cognosceretur, non esset verisimilis, et ideo a Psalmista non proponeretur.

**392.** Dices 4.°—In Psalmo de rege potestatem temporalem exercente sermo est. Atqui hoc Messiae non congruit. Ergo.

*Resp. N. Maj.* Psalmus agit quidem de rege magnam potentiam habente, sed utrum finis illius potentiae sit immediate spiritualis, an temporalis, aperte non dicit; tamen ea, quae ad finem Psalmi habentur, regnum spirituale potius quam temporale innuunt.

**393.** *2.° ex Psal. LXXI* (hebr. LXXII). In hoc Psalmo de rege valde eximio sermo est, ut legenti Psalmum manifestum fit. Atqui talis rex est Messias. Ergo. *Prob. Min.* Nam rex ille veniet cum suavitate (v. 6), adducet justitiam et abundantiam pacis in perpetuum (v. 7), inopem et afflictum liberabit, eisdem indulgentiam tribuet, atque a violentia eripiet (vv. 4, 12-15), suo tempore bona abundabunt (v. 16), ejus imperium erit aeternum (v. 5), et in universum orbem se porriget (vv. 8-10), omnesque gentes et reges ei servient (v. 11), atque ei benedicent et beatum habebunt. Atqui isti characteres Messiae omnino quadrant, et nulli alii aptari possunt, ut rem consideranti liquet. Ergo.

**394.** Dices 1.°—Plures catholici interpretes pro rege, de quo Psalmus loquitur, Salomonem accipiunt. Ergo rex non est Messias.

*Resp.* Nonnulli quidem catholici interpretes aliquos versus ad litteram Salomoni attribuunt, tamen simul asserunt sensu mystico con-

venire Messiae, imo plures versus non posse applicari Salomoni, nisi quatenus hic Messiam repraesentat, ac pro eo ponitur. Nihilominus omnia immediate et ad litteram de solo Messia esse accipienda verius videtur; nam omnes versus ad eamdem personam se referunt, et aliqui Salomoni convenire nequeunt. Neque absurdum est Davidem, si auctor Psalmi sit, cecinisse gloriam Messiae occasione translationis regni in Salomonem, quum hic typus Messiae existeret.

**395.** Dices 2.°—Psalmus a v. 5 ad 11, ubi characteres messianici potissimum habentur, est interpolatus. Ergo esse messianicum non patet.

*Resp. N. Ant.;* nam, etsi aliqui id asserunt, rem non probant, et nihil ex historia vel traditione pro se afferunt. Quod vero, ut contendunt illi, v. 4, debeat immediate conjungi v. 12, non apparet; nam in 4 potest innui solummodo id, quod inferius magis evolvitur. Aliunde, licet interpolatio permitteretur, non tolleretur psalmum veram prophetiam continere; nam prout adstat in Vulgata, habetur quoque in versione LXX, et ideo plusquam integrum saeculum ante Christum jam existebat.

**396.** Dices 3.°—Argumentum Psalmi est quid ideale et merum auctoris desiderium; quare nihil ex illo confici potest.

*Resp. N. Assert.;* nam antiqui judaei de re vere futura illud acceperunt, atque omnes interpretes antiqui, sive graeci, sive latini, quorum plures vim textus hebraei optime callebant, per futurum absolutum verterunt.

**397.** Dices 4.°—In Psalmo de rege temporali, qualis non est Messias, agitur; unde ex illo Messias non ostenditur.

*Resp. N. Assert.;* etenim in Psalmo non est sermo de bellis, nec de tributis exigendis, nec de aliis, quae exercitium potestatis temporalis requirant, sed omnia regi spirituali applicari possunt. Immo de rege spirituali sermonem esse sufficienter indicatur; nam rex ille in aeternum durabit, suam potestatem in universum orbem cum omnium subditorum pace et benevolentia porriget, erit valde amans pauperum afflictorumque, necnon justitiae et aequitatis; characteres autem ejusmodi supremae potestati spirituali optime congruunt, non item supremae potestati temporali; haec enim neque in aeternum durabit, neque in universum orbem se porriget, neque ad multas nationes, sine bellis et odiis se extendet, nec principes temporales, praesertim si valde potentes sint, solent esse amatores pauperum et afflictorum, justitiae et aequitatis in omnibus servandae.

**398.** *3.° ex Isa. IX, 6-7*, ubi scriptum est: *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus*

*super humerum ejus; et vocabitur... princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solium David et super regnum ejus sedebit: ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum...* In hoc textu de Messia agitur, ut n. 374 probatum est. Atqui ille, de quo hic agitur, est rex; hoc enim requirunt verba, saltem si conjunctim accipiantur, *principatus super humerum ejus*, *princeps pacis*, *multiplicabitur ejus imperium*, *super solium Davit et super regnum ejus sedebit*. Ergo.

4° *Ex Jerem. XXIII*, 5, 6, cujus verba allata sunt n. 373. Ibi sermo est de rege, ut elucet ex verbis *regnabit rex*. Atqui rex iste est Messias, ut probatum est ibidem. Ergo. Eadem veritas probari potest ex *Zacharia*, IX, 9, allato, n. 382.

**399.** *Observa.* Messias rex, ut tenet traditio judaeorum et christianorum, jam fuit praedictus a *Balaam*, quum Num. XXIV, 17-19, dixit: «Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel: et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumaea possessio ejus: haereditas Seir cedet inimicis suis: Israel vero fortiter aget. De Jacob erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis.» Certe *stella ex Jacob, virga de Israel, qui dominetur* non videtur esse nisi Messias rex. Vide *P. Patritium*, De interpret. Script. l. 2, q. 7; *Hummelauer*, in Num. XXIV.

Item Messias ut rex praedicitur a *Nathan*. propheta, quum inter alia, II Reg. VII, 12 et sq., nomine Dei haec Davidi praenuntiabit: «Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium: qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea. Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in aeternum ante facien tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter. Eadem praedictio repetitur in I Paral. XVII, 11 et sq., necnon in Psal. LXXXVIII et CXXXI.

In Psal. LXXXVIII, 28 et sq., dicitur de Davide et ejus stirpe: «Et ego primogenitum ponam illum excelsum prae regibus terrae. In aeternum servabo illi misericordiam meam: et testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in saeculum saeculi semen ejus: et thronum ejus sicut dies coeli. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam: et in judiciis meis non ambulaverint: si justitias meas profanaverint: et mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo: neque nocebo in veritate mea: neque profanabo testamentum meum: et quae procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel juravi in sancto meo, si David mentiar: semen ejus in aeternum manebit. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum: et testis in coelo fidelis.» Hae quidem praedictiones absolute et sine ulla conditione asserunt thronum

Davidis futurum perpetuum, quae, quum in regno temporali, quod in captivitate babylonica desiit, non impletae sint, referendae sunt ad Messiam regem et ejus regnum, quatenus Messias futurus erat rex ex davidica stirpe et ejus regnum aeternum. Vide *P. Murillo.* Jesuc. y la Igl. Rom., l. 4, s. 3, c. 2, *P. Corluy*, Spicileg. t. 1, p. 384 et seq.

**400.** 4.ª p. *Messias erit rex spiritualis.* Ex locis allatis ad probandum Messiam potestate regia donatum iri elucet eum futurum esse talem regem, ut abundantiam justitiae et pacis necnon liberationem afflicti et inopis afferat, potestatemque ejus ad omnia loca et tempora se porrigat, atque omnes nationes ei pacifice serviant. Atqui rex ejusmodi non potest esse nisi spiritualis; potestas enim tam universalis, si esset temporalis et terrena, non staret cum pace subditorum, atque in spoliatione et bello niteretur. Vide etiam dicta nn. 397 et 398. Praeterea rex Messias subiturus erat multa ludibria et opprobria et mortem violentam a suis inimicis illatam, ut inferius art. III ostenditur; haec autem non conveniunt regi temporali universali et perpetuo.

*Observa.* Messiae potestas regia spiritualis non excludit jus gubernandi omnia regna etiam temporaliter, sed Messias hoc jure uti noluit, licet illud haberet.

## Thesis IV.

**Messias futurus quoque erat legislator et propheta, atque ut servus Dei ab Isaia descriptus est, necnon ut filius hominis a Daniele.**

**401.** Nota.—Quid legislator significet, ipsum nomen dicit. Deinde propheta in genere definiri potest: homo a Deo specialiter missus ad veritatem docendam conservandamque, necnon ad futura praedicenda. Postremo Messias vocatur Servus Dei, non in demissionem, sed in gloriam, quatenus fidelissime adimplevit omnia, ad quae a Deo missus erat, et ideo adamussim voluntatem divinam fecit. Aliunde Messias recte dici potest servus, qnatenus ut homo a Deo dependebat, eique obsequium et subjectionem debebat.

**402.** 1.ª p. *seu Messias legislator. Prob. 1.º ex Deut.* XVIII, 15 et sq. ubi scriptum reperitur: 15. *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* 16. *Ut petisti a Domiuo Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini*

*Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.* 17. *Et ait Dominus mihi: bene omnia sunt locuti.* 18. *Prohetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum similem tui: et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quae praecepero illi.* 19. *Qui autem verba ejus, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Ut ex hoc textu Messias ut *legislator* ostendatur, duo probanda sunt: 1.° ibi sermonen esse de Messia; 2.° Messiam *legislatorem* praedicari. Ad primum quod attinet, omnes catholici sermonem de Messia aliquo modo ibi fieri concedunt, sed de ratione differunt. Quatuor sunt sententiae: 1.ª docet ad litteram non esse locutionem de Messia, sed ad hunc sensu typico tantum referri. Altera contendit vi textus aequaliter de omnibus prophetis sermonem fieri, neque aliquem specialiter designari. Hae quidem sententiae a paucis inter catholicos interpretes defenduntur. Tertia est communior et vult quidem de omnibus prophetis mentionem fieri, sed principaliter et specialiter de Messia. Quarta denique tenet de solo Messia ibi agi. Hanc sententiam defendunt plures SS. PP., et ex interpretibus *Patritius, Murillo*, Jesucr. y la Igl. aliique. Quaelibet ex his duabus postremis sententiis pro praesenti scopo sufficit, tamen ultima videtur verior, et satis probari argumentis statim subjiciendis, quae non modo sermonem esse de Messia, verum etiam de illo solo ostendere videntur.

*Deut. XVIII, 15,* et *sq. sermo est de Messia.—a)* Ex ipsis verbis textus id eruitur, nam propheta in singulari ponitur, et omnia pronomina et verba illum respicientia etiam in singulari habentur, quod in hebraeo fieri non solet, quum nomen singulare ut collectivum accipitur; quare, quum sensus collectivus non demonstretur, *propheta* debet sumi pro unico propheta. Deinde est sermo de propheta, qui erit sicut Moyses; Moyses autem, ut constat ex *Num.* XII, 6-8; *Deut.* XXXIV, 10, non fuit propheta sicut ceteri; quocirca hic non promittitur quicumque propheta, aut series prophetarum, sed specialis et extraordinarius, qualis futurus erat Messias. Postremo, ut ex vv. 16 et 17 eruitur, Moyses promissionem in monte Horeb factam secundum populi petitionem hic repetit; petitio autem populi, *Exod.* XX, 19; *Deut.* V, 27, fuit, ne Deus illi immediate loqueretur, sed per prophetam. Quocirca Deus populo in Horeb promisit etiam ad tempus futurum *(suscitabit, suscitabo)* prophetam, qui nomine Dei illi immediate loqueretur. Hic vero propheta futurus erat lator legis divinae; quia, ut ex adjunctis colligitur, populus prophetam a Deo postulavit ut lex divina illi communicaretur, de hoc enim in Horeb agebatur. Jam vero post Moysen nullus futurus erat lator

legis divinae, nisi Messias. Propheta igitur in futurum promissus erat Messias.

*b)* Judaei tempore Christi vaticinium allatum de propheta unico ac per excellentiam, atque ideo de Messia accipiebant, prout ex variis N. T. locis colligitur. Sic, v. g., *Joannes,* VI, 14, scribit: *Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere propheta* (graece ἀληθῶς ὁ προφήτης), *qui venturus est in mundum.* Item VII, 40: *Ex illa ergo turba, cum audissent hos sermones ejus, dicebant: Hic est verè Propheta* (graece ἀληθῶς ὁ προφήτης). Vide etiam *Matth.* XXI, 11; *Joann.* I, 21. Ex his locis infertur populum expectasse prophetam per excellentiam; hic autem partim non potest esse alius praeter Messiam, partim ejus notitia non videtur propagata in populum nisi ex traditione desumpta ex *Deut.* XVIII, 15 et sq., quia in nullo alio loco Messias vocatur propheta (ὁ προφήτης). Id ipsum confirmat *Philippus, Joann.* I, 45, dicens Moysen de Messia scripsisse; nihil autem Moyses de Messia ut a se praedictum scripsit, nisi quod in loco laudato *Deut.* habetur. Postremo confirmat hoc quoque mulier samaritana, quum, *Joann.* IV, 25 dicit: *Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus). Cum ergo venerit ille nobis annuntiabit omnia.* Etenim samaritani solum Pentateuchum recipiebant, et nullibi in Pentateucho ea de Messia indicantur, nisi in *Deut.* XVIII, 18.

*c)* Apostoli, discipuli Christi et ipse Christus judaeis contestantur Moysen in loco adducto de solo Messia locutum esse. Id ex *Act.* III, 22, elucet, ubi Petrus ita loquitur: *Moyses quidem dixit: Quoniam prophetam suscitabit vobis Dominus Deus noster de fratribus vestris, tamquam me, ipsum audite juxta omnia quaecumque locutus fuerit vobis.* Hoc ipsum ex verbis *Stephani, Act.* VII, 37, colligitur, ita se habentibus: *Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam me, ipsum audietis.* Petrus autem et Stephanus non ita essent locuti judaeis, nisi hi persuasum haberent solum Messiam designari. Denique ipse Christus, *Joann.* V, 45-46, inquit: *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederitis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit.* Atqui si Moyses non esset auctor vaticinii circa Messiam, sed merus relator, non accusaret judaeos, verum hi a vaticinii auctore accusarentur. Ergo Moyses ex Christi sententia fuit auctor alicujus vaticinii Messiam respicientis, quod quidem designari nequit, nisi hoc, quod in praesenti agitatur, sit.

*d)* Doctores christiani antiqui, viri et probitate et sapientia

ornati, de solo Messia laudatum textum interpretati sunt. Sic *Origenes,* in *Exod.,* Homil. 12, n. 3 (M, G, 12, 385), inquit: «Gavisus est sine dubio Moyses, quod eum de quo dixerat: *Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester...* nunc adesse cernebat, et fidem facere sermonibus suis. Et ne cunctaretur in aliquo, audit paternam vocem dicentem: *Hic est Filius meus dilectus...*» Eamdem tradit interpretationem Homil. 1, in *Jerem.,* n. 12 (M, 12, 385), Comment. in *Matth.* t. 17, n. 14 (M, 13, 1518), Comment. in *Joann.* t. 6, n. 4 (M, 14, 214). Item *Eusebius Caes.,* Demonst. Evang. l. 3, n. 2 (M, G, 22, 167), dixit: «Similia vero ipse quoque Moyses hoc oraculum interpretans ad populum ait: *Prophetam de fratribus meis tanquam me suscitabit Dominus...* Num igitur ex iis qui post Moysen extiterunt prophetae, Isaias... aut alius quispiam... Moysi conferendus extitit? nequaquam. Sed ex illis tandem quis unquam Moysi similia effecit? nusquam poteris dicere. Sed quisque illorum (prophetarum) a primo ad novissimum quosqumque instituebant et docebant, ad ipsum Moysen remittebant... Nullum igitur horum illi similem dixeris: atqui Moyses de uno dumtaxat certe ac definite loquitur. Quemnam igitur alium Moysi similem futurum prophetam canit oraculum illud, nisi Salvatorem et Dominum nostrum Jesum Christum? Idem asserit inferius l. 9, col. 690. Item *S. Cyrillus Alex.,* Contr. Julian. l. 8 (M, G, 76, 898), de nostro oraculo dicit: «Quod utique maxime declarat, oraculi sensum non ad unum e prophetis pertinere, sed procul dubio ad ipsum, qui ex Deo Patre secundum naturam Deus ineffabiliter est genitus...» Eamdem interpretationem multis aliis in locis, praesertim in Joann. Evang. ll. sectatur.

Eamdem explicationem ex PP. graecis tradunt *Archelaus,* Act. disp. n. 43 (M, 10, 1501); *Methodius,* Serm. de Simeon. et An. n. 11 (M, 18, 375); *Athanasius,* Orat. 1 contr. Arian. n. 54 (M, 26, 126); *Cyrill. Hier.,* Cat. 12, n. 17 (M, 33, 743); *Titus Bostrens.,* Adv. manich. l. 3, c. 6 (M, 18, 1226); *Epiphanius,* Haer. 42, n. 27 (M, 41, 743), Haer. 54, n. 3, c. 966, Haer. 69, n. 37 (M, 42, 259); *Greg. Nyss.,* Testim. adv. jud. n. 21 (M, 46, 203); *Joann. Chrysost.* De Christ. divinit. homil. 12, n. 1 (M, 48, 803) aliique. Latini etiam eamdem interpretationem generatim consectantur, ut *Tertullianus,* Adv. Marc. l. 4, c. 22 (M, 2, 444); *S. Cyprianus,* Testim. adv. jud. lib. 1, c. 17 (M, 4, 688); *Lactantius,* Divin. inst. l. 4, c. 17 (M, 6, 500); *Philastrius,* De haer. n. 119 (M, 12, 1242); *Gaudentius Brix.,* Serm. 9 (M, 20, 909); *S. Augustinus,* Adv. Faustum. l. 16, c. 15 (42, 324), aliique.

**403.** Dices 1.° — Contextus omnino requirit ut *propheta* pro

prophetis generatim accipiatur; nam a v. 9 ad 14 sermo est de falsis prophetis, et his v. 15 et sq. opponuntur veri prophetae, qui sub nomine *propheta* in singulari designantur. Ergo.

*N. Assertum:* nam verus sensus a v. 15 ad 20, prout ex vv. 16 et 17 eruitur, non ex contextu ejusdem capitis, sed ex his quae dicta et facta sunt in *Exod.* XX, et in *Deut.* V desumendus est. Jam vero ex his locis deducitur Deum promisisse prophetam, qui populo legem divinam communicaret; Propheta autem ejusmodi post Moysen non fuit nisi Messias. Versus 9 et sequentes usque ad 14 inclusive, sensum completum faciunt, neque eorum explicatio ex sequentibus repetenda est: unde quae asseruntur v. 14, sc.: *Tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es,* videntur referri ad institutionem adeundi sacerdotes, ad quos populus in dubiis et etiam pro rebus futuris recurrere debebat, ut colligitur ex *Deut.* XVII, 9 et sq.; I *Reg.* XXII, 15, XXIII, 9, etc. Nihilominus locutio de falsis prophetis potuit esse occasio loquendi de propheta per excellentiam.

Simili de causa, etsi v. 20 et sq. sit sermo de prophetis in genere, non ideo in vv. praecedentibus etiam de illis agitur; sed occasione sumpta ex propheta per excellentiam, modus verae prophetiae a falsa distinguendae declaratur.

**404.** Dices 2.°—In *Deut.* XVI, XVII, et initio XVIII sermo de institutione judicum, regis et sacerdotum habetur. Ergo simili modo necesse est ibidem sermonem de institutione prophetarum fieri, ac proinde XVIII, vv. 15 et sq. de prophetis in genere agitur.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Ratio negationis est, quia prophetae non erant institutio permanens, sicut judices, sacerdotes et per plura saecula etiam reges; verum Deus pro sua voluntate prophetas opportuno tempore mittebat. Aliunde prophetae commendatione per Moysen non indigebant, ipsi enim extraordinaria missione et sanctitate se commendabant.

*Deut. XVIII, 15 et sq. Messias anuntiatur legislator.* Nam annuntiatur ut similis Moysi; huic autem esse legislatorem maxime convenit. Item v. 19 intimatur stricta obligatio illius prophetae audiendi, quod quidem legislatoris proprium est.

**405.** *1.ª p. prob. 2.° ex Isa. XLII, 1-6,* ubi de Messia agitur, ut ex dictis n. 382 constat. Atqui de illo praedicatur potestas legifera; nam *judicium gentibus proferre*, *ponere in terra judicium*, *legem ejus insulas expectare*, *dari in foedus populi*, sine potestate legifera non recte explicantur, imo haec indicant potestatem ferendi legem fundamentalem, quia novum foedus inter Deum et populum, prout hic significatur, est nova lex fundamentalis. Ergo.

Nec textus originalis hebraeus sensum a Vulgata distinctum facit.

**406.** *Eadem p. prob. 3.° ex Jerem. XXXI, 31* et *sq.*, ubi traditur: *Ecce dies veniet, dicit Dominus: et feriam domui Israel et domui Juda foedus novum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti: pactum, quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicet Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam: et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum.* Hic, ut ex verbis ipsis manifestum est, novum foedus inter Deum et populum Israel feriendum praedicitur. Atqui hoc novum foedus non ab alio quam a Messia feriendum erat; nam omnia oracula, quae mutationem oeconomiae in Israele supponunt aut annuntiant, nonnisi ad tempora messianica jure referri possunt, ut, v. g. ea, quae ab Isaia LX et sq. praenuntiantur. Ergo.

Dices. — Jeremias non agit de novo foedere ineundo, sed de instauratione veteris: unde ad finem capitis de iterata urbis Jerusalem aedificatione sermo est.

*Resp. N. Assert.;* nam foedus ineundum vocatur *novum, et non secudum pactum quod pepigi cum patribus eorum,* quae quidem vera non essent, si de sola foederis antiqui instauratione ageretur. Praeterea ibidem vv. 33, 34, jam innuitur aliquod magnum discrimen inter novum et vetus pactum; in novo enim Deus uberiorem gratiam communicabit, et per eam ita hominum mentes illuminabit, ut humanum magisterium minus necessarium praedicetur; et per auxesim excludi videatur. Quod vero de Jerusalem iterum aedificanda nuntiatur, non ad materialem urbis constructionem refertur, sed ad centrum et sedem regni spiritualis; nam ea urbs dicitur *aedificanda Domino,* et extendenda ad loca etiam immunda, quae fient *sanctum Domini,* et *non evellenda nec destruenda ultra in perpetuum;* quae quidem proprietates Jerusalem materialiter sumptae accomodari non possunt.

**407.** *2.ª p. seu Messias est propheta.* Haec pars constat ex *Deut. XVIII,* 15 et sq.; ubi sermo est de propheta, qui ex dictis n. 402 est Messias.

**408.** *3.ª p. seu Messias ut servus Dei ab Isaia describitur. Prob. 1.°* ex *Isa. XLII,* 1-9, ubi, sicut ostensum est n. 382, sermo est de Messia, quique vocatur *servus meus,* i. e. Dei, quum Deus loquatur.

*2.° ex Isa. XLIX, 3, 5, 6,* ubi Messias vocatur *Servus meus,*

i. e. Dei vel Jahve sive Jehova. Quod vero hic de Messia sermo sit, liquet; nam de illo predicatur specialissima Dei protectio (vv. 2, 5), eximiis praerogativis et dotibus ornari (vv. 1, 2), alloqui *insulas* et *populos de longe* (v. 1), *esse lucem gentium, salutem Jahve usque ad extremum terrae* (v. 6), *foedus populi* (v. 8), etc. Ii autem characteres nonnisi de Messia congruenter accipi possunt, sicut de similibus. XLII, 1-9, n. 382 dictum est.

*3.° ex Isa. L,* ubi v. 10 nominatur Servus suus, i. e. Jahve, quique ex contextu eumdem esse apparet, qui a v. 4 ad 9 inclusive introducitur loquens. Is autem est Messias, nam est specialiter eruditus ad docendos lassos et doctrinam á Deo continuo accipit (v. 4), adeo obediens ut nunquam Deo resistat (v. 5), et patienter toleret percutientes corpus suum, vellentes genas, increpantes, in eum conspuentes (v. 6), Deum ita auxiliatorem habet (vv. 7, 9), ut confidenter dicere possit: *Quis contradicet mihi? Quis est qui condemnet me?* (vv. 8, 9); ejus inimici *quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos.* Isti characteres nonnisi de Messia congruenter praedicari possunt.

Etiam ex *Isa. LII,* 13 et sq. Messiam ut servum Dei describi probari potest, ut ex art. sequenti constabit.

**409.** Dices 1.°—In XLIX, 1, nom est sermo de Messia; nam persona de qua ibi agitur, repente introducitur loquens; hoc vero de persona incognita, qualis eo tempore erat Messias, non fit. Ergo.

*Resp. N. Assert.* et probationem; etenim Messias jam erat cognitus ex his, quae de illo praedicta erant sive ab eodem *Isaia, IX, XI, XLII,* etc., sive per *Psalmos II, LXXI,* etc.

**410.** Dices 2.°—In V. T. Messias proponitur ut rex, quod quidem in *Isa. XLIX* non fit.

*Resp.* Etiam in hoc loco indicatur Messias futurus rex, sed, quamvis non indicaretur, non ideo aufertur sensus messianicus; quia necesse non est, quoties de aliqua persona agitur, omnes illius characteres laudare, nec verum est in V. T. Messiam jugiter describi ut regem.

**411.** Dices 3.°—In LI non est sermo de Messia, et nihilominus ibi designantur characteres Messiae.

*Resp.* Si non sit sermo de Messia, saltem de salute aliisque bonis a Messia afferendis agitur, quibus characteres similes Messiae conveniunt, illis tanquam effectibus, huic tanquam causae.

Ceterae difficultates quae objici possent, aliae solvendae sunt ex dictis n. 383 et sq., aliae in art. sequenti solventur. Animadverto tamen primo, in XLIX Servum Dei compellari *Israel*, quod recte fieri

potest: tum quia sicut Jacob, vocatus Israel, fuit radix populi Israelitici, sic Messias futurus erat radix novi Israelis, novi populi Dei; tum quia Messias est praecipuus ex Jacob originem ducens; tum denique propter alias analogias. Animadverto secundo, vel ex solo v. 6, XLIX patefieri Servum Dei non esse vel totum Israel, vel sanctiores populi, vel prophetas omnes, vel aliquem regem aut prophetam a Messia distinctum; quia nulli horum versus ille convenienter aptari potest.

**412.** *4.ª p. seu Messias ut filius hominis a Daniele describitur. Prob.* ex *Dan. VII,* 13, 14, ubi legitur: *Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit: et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient: potestas ejus, potestas aeterna, quae non auferetur: et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Hic agitur de illo, qui *quasi filius hominis veniebat.* Sed hic est Messias; nam illi convenit venire cum nubibus coeli, habere regnum universale et perpetuum, qui quidem characteres null nisi Messiae aptari possunt. Nec refert dici *quasi filius hominis;* nam particula *quasi* saepe non est diminuens, et in praesenti, quum non agatur nec de Deo in se considerato, nec de angelo, non potest agi nisi de homine, qui simul erat Deus, ut indicatur illa locutione *cum nubibus coeli venire;* nam apparere hoc modo in pluribus Scripturae locis tribuitur Deo. Vide *Knabenbauer,* Comment. in Dan. VII, 14-17.

## Thesis V.

**Messias praedictus est verus Deus, sacerdos, necnon multa miracula patraturus.**

**413.** Nota.—Ex dictis abunde liquet Messiam futurum verum hominem, atque ex afferendis hic etiam verum Deum fore ostenditur. Qua ratione haec duo inter se concilientur, non est hujus loci accurate explicari, sed ad theologiam dogmaticam pertinet. Ad praesens sufficit patefacere, partim utrumque Messiae secundum S. Scripturas convenire, partim conjunctionem divinitatis et humanitatis in eadem persona a ratione naturali impossibile demonstrari non posse, quum Deus infinite potens et excellens sit, et solummodo imperfectissime ab homine cognoscatur. Sacerdos dicitur ille, qui legitime et specialiter institutus est ad sacrificium proprie tale offerendum, ut erant Aaron et ejus filii juxta *Lev. VIII.* Denique quid

sit miraculum supra expositum est. Assertio posita, etiam considerata mere historice, solide probatur.

**414.** *1.ª p. seu Messias praedicitur verus Deus Prob. 1.º* Ex *Isa IX,* 6, ubi scribitur: *Parvulus enim natus est nobis... Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Parvulus* est Messias, ut probatum est n.º 374. Sed illi tribuitur divinitas. Ergo Messias praedicitur verus Deus.

*Prob. Min. a)* Quia ibi sermo est de perfectionibus et proprietatibus *parvuli nati;* inter has autem numeratur esse Deum sive divinitatem habere: et sicut aliae proprietates vere illi *parvulo* tribuuntur, de divinitate similiter judicandum est. Neque admittenda est versio chaldaea, qua epitheta *Admirabilis, Consiliarius,* etc. tribuuntur Jahve, non *parvulo nato;* tum quia omnes aliae versiones et antiqui interpretes contrarium affirmant, tum quia ibi juxta contextum non de divinis perfectionibus declarandis, sed de parvuli conditione agitur.

*b)* Quia licet, ut volunt plures moderni, legatur *Deus fortis,* et sic *fortis* sit appositum Dei, non inde vis probationis imminuitur; nam vocabulum *fortis* significatum vocis *Deus* non restringit, sed unum ex divinitatis attributis patefacit: et ipse *Isa. X,* 21, verum Deum nuncupat *Deum fortem.*

*c)* Vocabulum quod in hebraeo (1) pro latino *Deus* reperitur, ad significandum Deum solet adhiberi, ut liquet ex *Gen. XXXV,* 7; *Num. XII,* 13; *XXIII,* 22, etc.; et speciatim *Isa.* ut V, 16; XII, 2; XIV, 13, etc., nomen illud ad significandum Deum aut verum aut *falsum* constanter usurpat; in praesenti vero non potest accipi nisi de Deo vero, quum falsus deus non sit *fortis,* et ideo a propheta non sic vocaretur.

**415.** Dices 1.º—Apud *Ezech.* XXXI, 11 (2) et XXXII, 21 (3), adest in hebraeo idem nomen, cui in *Isa.* tribuitur significatio *Deus,* quod tamen *Deum*, non significat.

*Resp.* Imprimis si in Ezech. sine significatione *divinitatis* idem nomen reperiretur, quod in *Isa.* IX, 6. Deum significat, nihil inde contra traditam interpretationem inferri posset, quia in locis laudatis Ezechielis ex contextu de vero Deo non agi est manifestum. Deinde in XXXII, 21 habetur quidem idem vocabulum, sed in numero plurali, quo numero verum Deum non significat; in altero autem loco

(1) אֵל גִּבּוֹר
(2) אֵל גּוֹיִם
(3) אֵלֵי גִבּוֹרִים

per appositum *gentium* determinatur nomen ad significandum aut Deum falsum, aut creaturam potentem.

**416.** Dices 2.°—Isaias aut per exaggerationem locutus est, aut fortitudinem divinam, i. e. magnam solummodo significare voluit. Accedit quod Septuaginta et nonnullae aliae versiones omittunt nomen Deus.

*Resp. N. Assert.;* etenim Isaiam non esse locutum per exaggerationem ex ejus veracitate, sanctitate aliisque dotibus eruitur, et praeter rationalistas nullus alius similem exaggerationem vidit. Neque *fortis* potest sumi substantive, et *Deus* adjective: tum quia vocabulum hebraeum pro latino *Deus* constanter sumitur substantive, tum quia in hebraeo substantivum jugiter praecedit adjectivum, et ibi nomen, quo significatur *Deus* habetur ante *fortis.*

Quod attinet ad Septuaginta aliasque versiones dicendum earum auctoritatem cedere textui originali hebraeo aliisque plurimis versionibus, quibus *parvulus* asseritur Deus, praesertim quia versiones illae sensum genuinum textus hebraei non negant, sed illum non fideliter reddunt.

Praeterea Septuaginta juxta aliquos revera habent nomen Θεός, et ita in quibusdam exemplaribus reperitur. *S. Hieron.* Comm. in hunc locum (M, L, 24, 128), de Septuaginta inquit: «Qua nominum majestate perterritos Septuaginta reor non esse ausos de puero dicere, quod aperte Deus appellandus sit, et caetera: sed pro his sex nominibus posuisse, quod in hebraico non habetur, *magni consilii angelum...*»

**417.** 2.° ex *Mich. V,* 2, ubi legitur: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.* Haec postrema verba ad litteram textus hebraei ita vertenda sunt: *Et egressiones ejus a tempore prisco, a diebus aeternitatis* (1). In hoc loco de Messia agitur, ut probatum est n. 372. Sed Messiae tribuitur existentia aeterna, ac proinde divinitas, quum solus Deus sit ab aeterno, neque ad existentiam aeternam alii personae tribuendam adest solidum fundamentum. Ergo. Quod vero Messiae tribuatur existentia aeterna, ostenditur; nam verba *egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis* non significant originem temporalem; nam haec a propheta ponitur adhuc futura: item non significant stirpem remotam Messiae, tum quia stirps alicujus remota non sit ipsius egressus, et nemo proprie egressum habeat, nisi jam existat; tum quia habere

(1) וּמוֹצָאֹתָיו מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם

stirpem valde remotam in genere est quid commune omnibus hominibus, quum omnes ab Adamo et Noe originem ducant. Unde ea verba nonnisi de origine, et existentia aeterna Messiae accipi possunt. Nec refert verbis *ab initio* vel *a prisco tempore, a diebus aeternitatis* exprimi aeternitatem veluti si tempore et successione constaret, nam in Scripturis divina attributa secundum modum concipiendi hominum saepe exprimuntur, et ideo per similitudines et analogias cum rebus corporeis. Sic, v. g. Psal. XXXIII, 16, praedicantur de Deo oculi et aures ad manifestandam perfectam Dei scientiam et benignitatem in precibus audiendis; in Exod. VI, 6, bracchium ad potentiam denotandam; in Job. XI, 8, altitudo, profunditas et longitudo ad immensitatem significandam, etc. Similiter aeternitas dicitur *ab initio* vel *a prisco tempore, a diebus aeternitatis* ad indicandum esse ante omne tempus et semper.

**418**. 3.° *ex Malach. III, 1,* ubi dicitur: *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis; et angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Hic de Messia agitur, uti inferius a. 4 probabitur. Sed asseritur Deus. Ergo. *Prob. Min.* Tum quia ipse Deus qui loquitur est Messias venturus, quum dicat *praeparabit viam ante faciem meam;* tum quia *Dominator* in hebraeo exprimitur per vocabulum constanter significans verum Deum, si articulo afficiatur, ut hic afficitur (הָאָדוֹן), et hac significatione usurpatur *Exod.* XXIII, 17, XXXIV, 23; *Isa.* I, 24, III, 1, etc.; tum denique quia templum hierosolymitanum, quod soli Deo dicatum est, appellatur *templum suum*, i. e. Messiae.

Dices.—Si Messias esset Deus, quum sit etiam homo, simul esset Deus et homo, quod repugnat.

*Resp.* Nullatenus ostenditur repugnantia in hoc, quod eadem persona sit Deus simul et homo; quia, licet humanus intellectus id capere non possit, neque potest probare hoc repugnare; Deus enim, quamvis humanitati alicui uniatur, non mutatur, non aliquid acquirit vel amittit, sed se habet ut perficiens humanitatem eamque ad dignitatem infinitam attollens.

**419**. *Observa.* Non desunt alia quoque V. T. loca, quibus divinitas Messiae continetur, speciatim in Psal. II, 7. Nam in hoc loco de Messia sermo est, ut n. 388 ostensum est, et Jehova dicit de illo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Haec autem verba sensu proprio significant Messiam esse a Deo vere genitum, et ideo accepisse naturam divinam, et esse Deum. Et nisi ita esset, non intelligeretur, qua ratione propter generationem dominium universale

competeret Messiae, prout illi tribuitur. Nec refert *Paulum Act.* XIII, 33, hunc locum resurrectioni Christi applicare, et ad *Hebr.* V, 5, sacerdotio; etenim generatio aeterna in Christo est fundamentum et resurrectionis et sacerdotii; et idem Paulus ad *Hebr.* I, 5, videtur hunc textum de generatione aeterna interpretari. Nihilominus hoc argumento supersedeo, quia mysterium Trinitatis supponit, quod quidem veritate religionis christianae jam demonstrata opportunius traditur.

**420.** *2.ª p. seu Messias praedicitur vere sacerdos. Prob.* ex *Psal.* CIX (hebr. CX) 4, ubi legitur: *Juravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Hic de sacerdote proprie tali agitur: tum quia nomen *sacerdos* de se hoc significat; tum quia Melchisedech, ut ex *Gen.* XIV, 18, eruitur, erat proprie sacerdos, atque ideo etiam ille, qui est sacerdos *secundum ordinem Melchisedech.* Sed ille, qui hic sacerdos vocatur est Messias. Ergo. *Prob. Min.* Nam, ut ex contextu elucet, illi tribuitur *tu es sacerdos*, cui Deus (Jahve seu Jehova) dicit *sede a dextris meis,* eidemque tradit *virgam* potestatis, inimicos omnes subjicit ac sacerdotium aeternum secundum ordinem Melchisedech donat. Atqui characteres isti Messiae optime conveniunt; etenim quum sit Deus, ei convenit sedere a dextris Dei, quum sit rex universalis, ut supra ostensum est, debet inimicos omnes habere subjectos, et quum sit Deus et homo, illi congruit munus sacerdotis et mediatoris Deum inter et homines. Ergo. Aliunde laudati characteres nulli alii quadrant; nulli enim puro homini convenit sedere a dextris Dei; nec fuit aliquis rex Juda, qui simul fuerit sacerdos, neque aliquis sacerdos populi israelitici habens sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, et multo minus illud in perpetuum possidens. Quocirca hypotheses rationalistarum contendentium sacerdotem de quo loquitur Psalmus, esse aliquem regem aut summum pontificem populi israelitici subsistere nequeunt.

**421.** Dices 1.°—Notiones hominis sedentis a dextris Dei habentisque sacerdotium aeternum secundum ordinem Melchisedech sunt omnino a V. T. alienae, si ut res vere futurae accipiantur. Ergo Psalmus aut de re ideali vel ficta loquitur, aut originis recentis est.

*Resp. D. Ant.:* notiones hominis sedentis a dextris Dei et habentis sacerdotium perpetuum secundum ordinem Melchisedech sunt a V. T. alienae, ut res naturaliter cognitae. C.; ut cognitae divina inspiratione et revelatione, *N.* et *N. Cons.* Difficultas supponit prophetiam stricte talem esse impossibilem, verum eam nullatenus repugnare supra ostensum est. Deinde in Psalmo de re vere futura

sermo est, quia nulla est ratio in oppositum, nisi falsa suppositio de impossibilitate prophetiae, et modus loquendi rem maximi momenti futuram postulat.—Nec refert aliqua verba esse praeteriti temporis, id enim est secundum morem prophetarum exprimendi res prout ab illis visas. Postremo Psalmus non est originis recentis, sed Davidi tribuendus est; namque et in textu originali, et in versionibus inscribitur Psalmus David, quae quidem communis consensio in ea inscriptione afferenda non explicatur, nisi revera Psalmus sit Davidis ut auctoris. Item Christus loquens cum Pharisaeis (Matth. XXII, 43; Marc. XII, 36; Luc. XX, 42) Davidem auctorem Psalmi facit. Similiter S. Petrus judaeos alloquens (Act. II, 34).

**422.** Dices 3.°—Indicatur vv. 5 et 6 modus agendi severus et tyrannicus, qui Messiae non convenit.

*Resp. N. Assert.* Ibi indicatur Messiam summam potestatem habiturum, et aliquando omnes inimicos ei subjiciendos; de modo autem nihil dicitur. Accedit quod si esset tyrannus, non adeo in prioribus versibus laudaretur. Praeterea vv. 5 et 6 juxta aliquos ad Jahve seu Jehova, non ad Messiam, referuntur.

**423.** *3.ª p. seu Messias multa miracula patrans. Prob.* ex *Isa XXXV*, 5, 6, ubi legitur: *Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: quia scissae sunt in deserto aquae, et torrentes in solitudine.* Hic varia praedicuntur miracula qualia sunt restituere sensum visus, auditus, facultatem ambulandi et loquendi. Atqui haec ad Messiam referuntur. Ergo Messias multa miracula patraturus praedicitur.

*Prob. Maj.* Imprimis verba Isaiae non metaphorice, sed ad litteram accipienda sunt: tum quia sensus litteralis in hoc loco est unicus obvius, et non ostenditur necessitas sensus metaphorici; tum quia S. Matthaeus judaeis loquens, XI, 5, ea verba ad litteram sumit; tum quia ibi sermo est de magna rerum spiritualium copia, quae quidem magis declaratur, si in ipsa corpora per communicationem sanitatis redundat, praesertim quum ipsa corporum sanatio in salutem spiritus ordinetur. Deinde de curationibus miraculosis ibi agitur, nam curationes juxta medicinae regulas sunt quid ordinarium et omnibus temporibus commune; ibi autem res extraordinaria et non communis omnibus temporibus manifeste commemoratur.

*Prob. Min. seu ea ad Messiam referri.* Nam sermo est de bonis spiritualibus adducendis, quia ea v. 2, *ad gloriam Domini et decorem Dei nostri* diriguntur; faciunt, v. 8, *semitam et viam sanctam,* per quam *non transibit pollutus,* nec *mala bestia,* v. 9;

ducent, v. 10, *ad laudem et laetitiam sempiternam;* quae quidem bonis spiritualibus, non aliis, conveniunt. Imo de tanta horum copia sermo est, ut *terra deserta*, v. 1, *et solitudo*, i. e. terra derelicta, inculta et infructuosa, ut sunt magni peccatores et infideles, in abunde germinantem et fructificantem, et in amoenitatem et fertilitatem Libani, Carmeli et Saron convertatur, h. e. in homines abunde ferentes fructus justitiae et sanctitatis. Et hoc ipsum aliis verbis traditur v. 7, et sq. Atque cum magna bonorum spiritualium copia habebitur specialiter praesentia divina et ejus auxilium, v. 4. Haec autem omnia tempori Messiae principaliter conveniunt, ut ex LXI et aliis ejusdem Isa. locis colligitur.

**424.** Dices 1.°—Quae antecedunt et subsequuntur vv. 5 et 6 sunt metaphorica. Ergo idem judicium de iis, quae vv. 5 et 6 continentur, ferendum est.

*Resp. Trans. Ant.* et *N. Cons.* Etenim si antecedentia et consequentia sumuntur metaphorice, ideo est, quia ibi ut probatum est, sermo est de bonis spiritualibus, et vv. 1, 2, 3, 7, etc., si accipiantur ad litteram et secundum immediatam verborum significationem nihil spirituale significant. Contra v. 5 et 6 secundum immediatam verborum significationem denotant miracula, quae quidem ad bona spiritualia multum conducunt; nam ostendunt divinam potentiam, et movent ad Deum reverendum, colendum et amandum. Nec verba *quia scissae sunt in deserto aquae*, *et torrentes in solitudine* requirunt, ut proxime antecedentia faciant sensum spiritualem; etenim abundantia donorum spiritualium, qualis per *aquas in deserto et torrentes iu solitudine* significatur, etiam in bonum corporis per miracula convenienter redundare possunt; sic enim et confirmatur veritas donorum spiritualium, et corpus simul cum anima perficitur. *Trans.* tamen *Ant.*, quia ea, quae vv. 4 et 10 habentur, etiam non metaphorice accipienda sunt.

**425.** Dices 2.°—In XXXV non est sermo de tempore messianico, sed de reditu judaeorum in Palaestinam ex babylonico exilio; nam quae in hoc capite scripta sunt, similia reperiuntur his, quae in XLIX, 9-13, XL, 1, 2, 9, XLII, 16, XLIII, 19, 20, LXII, 10, habentur, ubi de reditu ex babylonico exilio agitur. Ergo.

*Resp. N. Assert.* et vim *Prob.* Imprimis quae continentur vv. 5 et 6, sive accipiantur de miraculis, sive sensu spirituali, tempore reditus non evenerunt. Tunc namque talia miracula esse facta nullibi constat; neque ostenditur tunc homines a statu caecitatis et surditatis mentis ad lumen et auditionem spiritualem transiisse, neque claudos in via salutis et alienos a loquela rerum spiritualium accepisse

viam salutis et loquelam rerum divinarum; saltem non evenerunt haec modo adeo notabili, ut praedicerentur, neque in *Ll. Esdr.* ubi narratur reditus, aliquid de iis refertur. Aliunde, si Messias excipitur, nulli alii personae aptantur: Messiae igitur tribuenda sunt, nec tantum virum, ut erat Isaias, falso locutum esse putandum est, nisi certo probetur, nec casu tot circumstantias ad Messiam pertinentes divinare potuit. Quocirca quae antecedunt et consequuntur vv.'5 et 6, similiter de tempore messianico ratione connexionis accipienda sunt. Atque id ipsum postulat sensus obvius, praesertim in v. 8 et sq. Nec loca quae opponuntur, aliquid evincunt; nam aliqua, ut XLIX, 9-13, LXII, 10, manifeste ad tempus messianicum se referunt; reliqua vero generatim, licet de reditu ab exilio babylonico agere permittatur, tempori messianico, saltem sensu mystico, quoque alludunt, neque integram impletionem habent in reversione ab exilio. Unde non est mirum in illis reperiri similia quaedam his, quae in XXXV continentur.

## ARTICULUS III

### De morte violenta et resurrectione Messiae necnon de regno messianico

*Praemitt.* Inter characteres Messiae in V. T. descriptos eminent ejus passio et mors cum circumstantiis variis: item propagatio regni ab illo instituti. Hac de causa in hoc articulo de illis specialiter tractatur. His conjungenda gloriosae Messiae resurrectionis praedictio.

#### Thesis I.

**Passio et violenta Messiae mors earumque circumstantiae variae in V. T. distincte praenuntiatae sunt.**

**426.** Nota.—Quamvis thesis plura affirmet, ea tamen simul et ad modum unius partis probanda sunt potissimum ex *Isa. LII*, 13-15 et *LIII* et ex *Psal. XXI*, ubi de Messiae passione cum variis circumstantiis et morte violenta agitur. Rationalistae omnes in duobus locis laudatis sermonem esse de Messia pernegant; verum in plures sententias scinduntur, ut explicent, de quo ibi agatur. Alii enim in

priore loco contendunt agi de toto populo Israel, alii de parte ejusdem selectiore, alii de sacerdotibus, alii de prophetis, alli de Ezechia, alii de Isaia, alii de Jeremia, etc., et in posteriore aut de Davide, aut de Ezechia, aut de Jeremia, etc. At omnes christiani cum pluribus judaeis antiquis ibi de Messia agi merito tenent. Praeter duos locos laudatos etiam ex aliis nonnullae circumstantiae passionis confirmabuntur.

**427.** *Prob. 1.°* ex *Isa. LII,* 13—*LIII,* 12, ubi de Messia sermo est. Atqui de illo inter alia haec dicuntur: v. 14. *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum.* 3. *Despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem: et quasi absconditus vultus ejus* (vel ad sensum textus hebraei potius: *facies ab eo avertent)* (1) *et despectus, unde nec repatavimus eum...* 5. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum* (i. e. pax nostra consecuta per punitionem Servi Jehova), *et livore ejus sanati sumus.* 7. *Oblatus est quia ipse voluit* (hebraice: *vexatus est et ipse se submisit)* (2), *et non aperuit os suum: sicut ovis* (hebraice *unum e pecore)* (3) *ad occisionem ducetur, et quasi agnus* (hebraice *ovis)* (4) *coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* 8. *De angustia et de judicio sublatus est* (i. e., vexatione et judicio iniquo tollitur e vivis)... *quia abscissus est de terra viventium* (i. e., occissus est): *propter scelus populi mei percussi eum...* 12. *Ideo dispertiam ei plurimos: et fortium dividet spolia* (i. e., in praemium mortis violentae plurimi doctrinam ejus amplectentur, et etiam potentes ei subjicientur), *pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.* In his autem manifeste praedicitur fore, ut Messias sit despectus et abjectus ut infimus inter viros, sustinens dolores molestiasque, et tanquan nihil reputatus; propter generis humani scelera vulneratus et attritus, sua punitione et livore hominibus pacem et sanitatem afferens, ad vexationem et occisionem tacens ductus, judicio iniquo condemnatus et occisus, inter sceleratos reputatus, et pro offensoribus rogans. Ergo Isaias Messiae mortem ejusque varias circumstantias depingit.

*Prob. Maj.* seu in *Isa. LII,* 13 - *LIII,* 12, *de Messia sermonem*

(1) וּכְמַסְתֵּר פָּנִים מִמֶּנּוּ
(2) נִגַּשׂ וְהוּא נַעֲנֶה
(3) כַּשֶּׂה
(4) וּכְרָחֵל

*esse*. Imprimis Servus Jehova, de quo ibi est sermo, originem temporalem habet humilem (v. 2), et tamen exaltabitur et sublimis erit valde; deinde quum sit innocens (v. 9), propter hominum scelera erit despectus, tanquam nihil reputatus, dolores, molestias, livorem sustinebit, iniquo judicio condemnabitur, et occidetur, inter sceleratos reputatus (v. 10); atque haec omnia tolerabit se submittendo et tacendo (v. 7), et pro offensoribus rogando (v. 10); postremo in praemium passionis et mortis violentae (v. 15), asperget (i e, expiabit) gentes multas, et a regibus magna reverentia habebitur, hominibus pacem et salutem afferet (v. 5), videbit semen longaevum (v. 10), justificabit multos (v. 11), dispertientur ei plurimi, et etiam potentes illi subjicientur. Isti autem characteres simul sumpti nulli collectioni aut individuo, si Messias excipiatur, quadrant. Ergo servus Jehova est Messias. Et revera characteres enumerati Messiae congruunt; nam hic juxta *Isa. XI*, 1, debet esse ex stirpe Davidis in statu abjectionis n. 373, exaltari et in omnes gentes potestatem exercere juxta Psal. II, et LXXI, afferre pacem et salutem juxta Isa. IX, XLII, et XLIX, etc., occidi juxta Dan. IX, 26, etc. Aliunde Messiae regi spirituali, ut supra ostensum est, pacem et salutem allaturo, omnino convenit virtute heroica et sanguinis effusione regnum et subditos sibi comparare. Accedit quod Servus Jehova LII, 13—LIII, 1-12, characteres similes habet, et ipsum nomem, cum Servo, de quo fit mentio XLII, et XLIX; sed hic, ut ostensum supra, n. 408 et sq., est Messias. Ergo. Nec refert in aliis locis Scripturae non describi Messiam ut victimam; sufficit enim in uno loco ita describi, ut hanc notam, ut propriam Messiae, afferre possimus. Tamen etiam in aliis Scripturae locis de passione Messiae agitur.

*b*) Id ipsum confirmatur ex antiquis judaeis in Servo Jehova Messiam agnoscentibus, necnon ex communi christianorum consensu, saltem usque ad saeculum XVIII. Vide *Ottiger,* Theol. fund. p. 1, s. 2, c. 3, a. 2, § 43.

**428.** Dices 1.° *Isaias*, *LII*, 13—*LIII*, 1-12, non loquitur de Messia, sed de calamitatibus aut totius populi in exilio babylonico, vel inter populos christianos et paganos post destructionem Jerusalem a Tito, aut melioris partis populi, aut Isaiae aut Jeremiae aut alius prophetae,. aut alius viri justi incogniti. Profecto XLI, 9 et 10, XLIII, 10, XLIV, 26, etc. servus Jehova non est Messias. Ita judaei posteriores et rationalistae omnes.

*Resp. N. Assert.;* nulla enim ex allatis interpretationibus subsistere potest. *a*) Servus Jahve nequit esse totus populus judaicus; quia persona de qua ibi agitur, in singulari constanter ponitur, et quae ad

eam se referunt, similiter in singulari usurpantur; nec populus totus *abscissus est de terra viventium,* nec habuit unicam *sepulturam, nec tradidit in mortem animam suam.* Item totus populus ad occisionem se submittens et tacens non ductus est, neque iniquitate et dolo caruit (v. 9), nec justus fuit (v. 11). Accedit quod Servus Jahve reputatus est tanquam nihil a populo, ipse iniquitates populi portavit, et propter illas vulneratus et attritus est, et *propter scelus populi mei* (i. e. Jahve vel Isaiae, et utroque modo ad populum judaeum refertur) percussus; quocirca, quum Servus populo judaeo contraponatur, ab illo distinguatur necesse est. Sine fundamento autem opponunt adversarii esse gentes, quae loquantur v. 4 et sq., asserantque populum judaeum propter nationes extraneas pati: nam ex contextu et sensu obvio ibi loquitur propheta, et non gentes; et in Scriptura nullibi populus judaeus pro gentibus patiens ponitur, sed contrarium habetur in eodem Isa. XLIII, 3-4, XLVII, etc.; item punitiones populi tribuuntur peccatis ejus, ut IV Reg. XXI, XXIV, 3, 20; Deut. I, XXVIII, etc. Postremo totus populus nec sibi, nec aliis pacem et sanitatem attulit, nec patientiae et afflictionis suae eos fructus reportavit, qui v. 15, et v. 10 et sq. commemorantur. Nec refert totum populum alibi *Servum Jahve* vocari, etenim hoc nomen vel uni vel pluribus creaturis rationalibus applicari potest: unde, cui revera applicetur, non ex solo nomine, sed ex contextu et ex aliis notis dignoscendum est.

*b)* Servus Jahve non est collectio aut justorum populi judaici, aut prophetarum, aut sacerdotum: nam in locis laudatis omnia personam singularem indicant; aliunde et justi et prophetae et sacerdotes simul cum reliquo populo afflicti sunt, neque alicubi in Scriptura continetur aut justos, aut prophetas, aut sacerdotes pro reliquo populo esse passos et castigatos. Exilium babylonicum aliaeque calamitates toti populo communes fuerunt. Item nec justi, nec prophetae, nec sacerdotes exilium babylonicum aliasque calamitates tacendo et se submittendo passi sunt, sed totis viribus eas a populo et a se ipsis avertere conati sunt. Postremo nec justi, nec prophetae, nec sacerdotes pro reliquo populo occisi et sepulti sunt, neque eos fructos reportarunt, qui vv. 15, 10-12, indicantur.

*c)* Servus Jehova non est Israel *idealis*, ut volunt nonnulli rationalistae, i. e. Israel qui debebat esse juxta leges et constitutionem a Deo datas populo, non Israel qui fuit; etenim de Israele *ideali* praedicari nequeunt, quae v. 2 et sq. illi tribuerentur.

*d)* Postremo Servus Jahve non est Isaias, nec Jeremias, neque alia persona singularis a Messia distincta; nulli enim, si Messias

excipiatur, conveniunt omnes caracteres Servo Dei LII, 13—LIII, 1-12, attributi; speciatim de nullo praedicari potest ita eum esse pro populo passum et occisum, ut deinde *aspergeret gentes multas, super ipsum continerent reges os suum* (v. 15), *ut videret semen longaevum* (v. 10), etc.

**429.** Dices 2.°—Ubi Vulgata (v. 8) dicit *percussi eum*, in hebraeo ad litteram habetur *percussi illos* (1): item ubi (v. 9). Vulgata decit *pro morte*, in hebraeo decitur *pro mortibus* (2). Ergo Servus Dei non est persona singularis.

*Resp. N. Ant.* et *Cons.* Etenim ad primum quod attinet, pronomen quod in hebraeo adest, solet quidem significare *illos*, sed etiam adhibetur ad significandum *illum* sive *eum*, ut fit, v. g. Isa. XLIV, 15; Gen. IX, 26; Job. XX, 23, XXII, 2, etc. Unde, quum duplicem significationem habere possit, ea amplectenda est, quae contextui congruat; haec autem est acceptio pro *eo* vel *illo*, quia in contextu non est sermo de percussione populi, sed personae singularis. Ad alterum dicendum in hebraeo ad litteram legi *pro mortibus ejus*, et ideo, licet *mors* sit in plurali, pronomen est in singulari, et personam singularem indicat.

**430.** Dices 3.°—Servus Jahve post violentam mortem *videbit semen longaevum* (v. 10), *videbit, saturabitur, justificabit multos* (v. 11), etc. Atqui haec personae singulari convenire nequeunt; nam persona singularis post mortem nec videt, nec saturabitur, etc. Ergo Servus Jahve est collectio personarum, et mors debet sumi eo modo, quo collectioni convenire potest, sive metaphorice.

*Resp. C. Maj.* et *N. Min.* Ad *Prob. Min.* dico personam mortuam posse resurgere, et post resurrectionem omnia illa ei convenire possunt. Quocirca in v. 10 et sq. indicatur Messiae futura resurrectio.

**431.** Dices 4.°—Quae de Servo Jahve v. 2 et sq. afferuntur, narrantur ut praeterita. Ergo ad Messiam venturum non referuntur.

*Resp. Trans. Ant.* et *N. Cons.* Etenim prophetae res futuras ut praeteritas vel praesentes saepe depingunt: partim quia res descriptas ad visiones habitas frequenter referunt, non ad tempus quo eveniunt; partim ut vividiore modo exprimantur. Aliunde ex v. 10 et sq. agi de persona futura colligitur. *Trans. Ant.*, quia non semel verbum ponitur in futuro, ut in v. 7, etc.

**432.** Dices 5.°—*Matthaeus* VIII, 17, allegat v. 4 de *languoribus*, etc. ut significantem ablationem infirmitatum, non earum

(1) נָגַע לָמוֹ
(2) בְּמוֹתָיו

tolerantiam. Ergo Isaias de afflictione Servi Jahve non agit.

*Resp. N. Ant.* et *Cons.* Antecedens quidem, eo quod Matthaeus Isaiam in confirmationem curationis miraculosae infirmitatum adducit, in quantum Christus sustinendo poenas peccatorum (hae per *languores* significantur), eas abstulit quoad sufficientem pro illis satisfactionem, et plures etiam quoad effectum, v. g. auferendo infirmitates, quae sunt effectus et poenae saltem peccati originalis. Etiam abstulit infirmitates, quia poenas sustinuit, quatenus per tolerantiam passionis meruit patrare miracula, quibus infirmitates auferri possunt. Negavi etiam *Cons.*, quia, licet v. 4, de infirmitatum tolerantia non ageretur, tamen in aliis de passione plurium malorum manifeste tractatur. Accedit quod in aliis locis N. T. textus Isaiae de malis tolerandis accipitur, ut I Petr. II, 24; Act. VIII, 32; I Cor. XV, 3, etc.

**433.** Dices 6.°—Servus Jahve sepulturam inter impios (v. 9) habebit. Sed hoc Messiae non convenit. Ergo.

*Resp. N. Maj.* Sensus enim v. 9 non est Servum inter impios sepultum iri, sed occisores Servi id praeparasse et intendisse; verum deinde quod praeparaverant et intenderant, exsecutioni non mandarunt.

**434.** *Prob. 2.° ex Psal. XXI* (hebr. XXII). In hoc psalmo de Messia agitur. Atqui in illo circumstantiae plures mortis Messiae violentae describuntur. Ergo.

*Prob. Maj.*, seu *in Psal. de Messia agitur.* Is, qui in Psalmo loquitur, ab utero matris est colens Deum eique confidens et ab illo specialiter dilectus (vv. 9-11), Deo gratias ob preces exauditas tribuit, eumque laudat ac ejus gloriam procurat (vv. 23-26), tam eximiae virtutis ostenditur, ut contra hostes, qui illum atrociter vexarunt nihil proferat indignum, iram aut impatientiam indicans, neque in eos, postquam exauditus est, invehatur; denique ipse facit, ut gentes omnes divites et pauperes ad Deum convertantur (vv. 28 et sq.). Jam vero omnes isti characteres simul sumpti, praesertim conversio omnium gentium solius Messiae sunt characteres. Praeterea haec interpretatio messianica confirmari quoque potest testimonio antiquorum judaeorum, ut videre est apud *Ottiger,* Theol. fund. p. 1, s. 2, c. 3, a. 2, § 43.

**435.** Dices 1.°—Conversio gentium non tribuitur illi, qui in Psalmo loquitur.

*Resp. D. Assert.:* non tribuitur expresse, *C.;* non colligitur ex ipso Psalmo tribuendam illi esse, *N.* Etenim ille, qui in Psalmo ponitur loquens, in priore parte (vv. 1-22) suas afflictiones et vexationes

narrat, et in secunda (vv. 23 et sq.) ob preces suas exauditas Deo gratias agit, et alios ad colendum et laudandum Deum inducit: quocirca conversio gentium illi tribuenda est, quum sit omnino conjuncta et connexa cum antecedentibus (vv. 23-26), in quibus ducit homines ad Deum ipse, qui antea suas afflictiones et vexationes narrat. Praeterea conversio omnium gentium est quid proprium Messiae et temporis messianici, ut constat ex dictis de Messia ut rege et ex aliis prophetiis supra allatis, et magis ex dicendis de regno messianico constabit; et aliunde sanctitas et patientia illius qui loquitur et eximia ejus liberatio, quae in secunda parte indicatur, suadent illum esse Messiam. Postremo ille qui tantas afflictiones et vexationes sustinuit, quales in prima parte narrat, non potest in secunda parte gratias agere ob liberationem ab illis, nisi quia de morte et de hostibus per resurrectionem triumphavit, et tanquam praemium conversionem gentium consecutus est.

**436.** Dices 2.°—Quae in Psalmo de gentium conversione narrantur, sunt mera desideria. Ergo nihil inde pro Messia concluditur.

*Resp. N. Ant.;* nam sensus obvius verborum sive in Vulgata, sive in originali significant veram conversionem, non mere desideratam. Item ea conversio ita ponitur certo futura, ut v. 30 narretur tanquam praeterita.

**437.** Dices 3.°—1.ª p. Psal. (vv. 1-22), et 2.ª (vv, 23-32) sunt duo Psalmi distincti; nam in 2.ª parte habetur rhytmus diversus a prima. Ergo nec de eadem persona in 1.ª et 2.ª parte agitur.

*Resp. N. Ant.* quod ex differentia rhytmi non probatur; haec enim sufficienter explicatur eo, quod in 1.ª parte de rebus ingratis et molestis, in 2.ª vero de laetis et prosperis tractatur. Unitas Psalmi elucet, quia ille ipse, qui in priore parte divinum auxilium instanter deprecatur, in 2.ª gratias agit Deo, aliosque ad eum laudandum et colendum inducit, nullumque est indicium variationis personae loquentis. Accedit quod in hebraeo et in omnibus versionibus ponitur ut unicus Psalmus. Item integer Psalmus sive in hebraeo, sive in versionibus per inscriptionem *Carmen Davidis*, huic ut auctori tribuitur; et licet rationalistae negent, nullam rationem in traditione fundatam afferunt, et non habent nisi argumenta intrinseca, quae rem minime evincunt.

**438.** *Prob. Min.,* seu *in Psalmo circumstantiae plures mortis Messiae violentae describuntur.* Nam Messias habetur ut opprobrium et abjectio populi (v. 7), inimici verbis et gestibus eum derident, ipsique ironice dicunt: *Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum;* ipsum circumdant ut tauri, ut leones

rugientes, ut canes, ut malefici (vv. 13, 14, 17); ejusdem vestimenta sibi diviserunt, et super vestem ejus miserunt sortem (v. 19); idemque deficit viribus veluti aqua effusa, arescit et vehementem sitim patitur (vv. 15, 16); ejusdemque ossa disjunguntur, ad pulverem mortis deducitur (vv. 15, 16), ejus manus et pedes fodiuntur, atque omnia ipsius ossa dinumerantur. Quocirca vexationes et tormenta Messiae cum variis eorum circumstantiis clare describuntur, et ideo etiam mors violenta; nam tot et tanta tormenta mortem necessario intulerunt. Neque ibi de solis terroribus et minis, aut dé sola aerumnarum et tormentorum imaginatione sermo est; omnia enim indicant vexationes et tormenta re ipsa inflicta, et narrantur tanquam si jam evenissent. Jam ab initio Psalmi Messias dicit se a Deo derelictum et suos clamores ab auxilio obtinendo esse remotos, deinde addit se esse opprobrium et abjectionem populi, ab omnibus derisum, et propter vexationes esse effusum velut aquam et cor suum liquefactum, etc.; quae quidem omnia, nisi Psalmista ponatur fallax et illusor, vera sunt et re ipsa existentia. Nec refert Messiam (v. 23 et sq.) gratias agere ob liberationem; non enim, prout ex antecedentibus colligitur, gratias ob liberationem a tormentis et morte agit, sed propter restitutionem ad vitam et fructus ex violenta morte consecutos. Item non refert tribulationem vocari proximam (v. 12), nam id quod est praesens et jam urget vocatur etiam proximum.

**439.** Dices.—Qui in Psalmo loquitur non est Messias, sed David, aut Ezechias, aut Jeremias, aut totus populus, aut aliqua selectior ejus pars. Item incredibile est Davidem nomine Messiae loqui. Postremo in hebraeo non adest *foderunt manus meas et pedes meos* (circumdant vel quid simile).

*Resp. N. Ant.* quoad omnes partes. *a)* Primo Psalmus alii a Messia distincto non convenit. Non Davidi, quia huic nunquam hostes ossa disjunxerunt et ad pulverem mortis deduxerunt, neque manus et pedes foderunt, neque vestimenta diviserunt; nec David fuit auctor conversionis omnium gentium. Ob similes causas neque Ezechiae, neque Jeremiae, neque aliis justis V. T. recte applicari potest. Minus adhuc toti populo, aut alicui ipsius parti convenire potest; etenim ille qui loquitur, de persona singulari agit, quum mentionem faciat de uberibus et ventre matris suae, de suis ossibus, corde, lingua, faucibus, manibus, pedibus, vestimentis, anima; atque a populo et ceteris fratribus se distinguit (v. 23 et sq.), quae quidem omnia soli personae singulari convenire queunt.

*b)* Secundo non est incredibile Davidem pro altero loqui, quum a poetis hoc saepe fiat; quod vero personam Messiae non extituri nisi

post plura saecula induerit, id quidem naturaliter est impossibile, sed non per divinam inspirationem.

*c)* Tertio retinenda est, saltem ad sensum quod attinet, lectio Vulgatae, sc. *Foderunt manus meas et pedes meos:* etenim versio Septuaginta, syriaca peschito, et *S. Hier.,* omnes tres ex hebraeo immediate translatae, sensum Vulgatae habent; id autem, quum illae versiones diversis temporibus, locis, et a distinctis personis sint confectae, non facile explicatur, si in originali non habebatur idem Vulgatae sensus. Quocirca sensus textus hebraei (1) primigenii existimandus est conformis Vulgatae. Praeterea, licet textus hebraeus ordinarius seu masoreticus lectionem Vulgatae non habeat, non desunt tamen codices hebraei illam habentes. Accedit quod vocabulum in textu masoretico positum potest esse participium plurale terminatum per jod propter apocopam, aut propter statum constructum, et significare *confodientes.* Denique contextus interpretationi *ut leo* pro *foderunt,* quam volunt adversarii, non favet: tum quia in verbo quod antecedit vocabulum controversum adest accentus athnach, qui potius indicat ultimam partem versus esse separandam ab anteriore; et tamen juxta adversarios esset conjungenda, et ex illa supplendum verbum *circumdant* vel simile; tum quia leonis proprium non est circumdare praedam, sed in eam insilire.

Nec refert versionem Aquilae continere *foedarunt manus meas,* etc., et paraphrasim chaldaicam *mordentes sicut leo manus,* etc.; nam partim haec duplex versio non est tantae auctoritatis, sicut aliae tres antea commemoratae; partim Vulgatae non contradicunt; quum per effosionem manus et pedes foedentur, et per morsus metaphorice significari possit transforatio.

Ad extremum viri eruditissimi, ut *Eusebius Caes.,* Demont. Evang. l. 10, in Psal. XXI (M, G, 22, 759) et Comm. in Psal. XXI (M, G, 23, 210), et *Theodoretus,* In Psal. XXI (M, G, 80, 1018) tanquam unicam Vulgatae lectionem tradunt.

**440.** *Prob. 3.° seu potius quaedam passionis Messiae circumstantiae ut praedictae afferuntur. a)* Messiam traditurum esse suum corpus percutientibus, genas suas vellentibus, et non aversurum faciem suam ab increpantibus et conspuentibus praedicitur Isa. L, 6, his verbis: *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem non averti ab increpantibus, et conspuen-*

(1) Textus hebraeus v. 17 in praesenti ita habet: כִּי סְבָבוּנִי כְלָבִים
עֲדַת מְרֵעִים הִקִּיפוּנִי
כָּאֲרִי יָדַי וְרַגְלָי :

*tibus in me*. Haec autem ad Messiam referri constat ex dictis n. 408.

*b)* Messias aestimandus erat triginta argenteis, et pretium hoc projiciendum erat in templum, ut vaticinatur *Zacharias,* XI, 12, 13, his verbis: *Et dixi ad eos: si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam: et si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos: et projeci illos in domum Domini ad statuarium.* Quod vero haec ad Messiam referantur, probatur: tum quia ipse Deus dicitur aestimatus triginta argenteis, hoc autem optime convenit Messiae, qui secundum dicta est Deus et homo; tum quia pretium est adeo 'vile respectu personae aestimatae, ut ea aestimatio sit magnum scelus propter quod societas judaeorum in punitionem sit dissolvenda, et alia mala sint inferenda, prout vv. 14 et sq. denuntiatur. Nec refert v. 12 loqui ipsum prophetam gerentem vices boni pastoris; nam bonus pastor a propheta ibi repraesentatus, ut ex dictis colligitur, non potest esse nisi Messias.

*c)* Messias transfigendus est, ut traditur a *Zacharia,* XII, 10, his verbis: *Et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae et precum: et aspicient ad me quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* Porro verbum *confixerunt* accipiendum de vera transforatione: tum quia vis vocabuli latini, et praesertim hebraei (1) sic requirit; tum quia magnus planctus, de quo in eodem versu et sq. mentio fit, cum supplicio et transforatione bene concordat; tum quia cum textu hebraeo versiones generatim consentiunt. Quocirca hac in re deserendi sunt Septuaginta, qui aliter verterunt.

Deinde configendus est Messias; nam ipse qui loquitur est transfodiendus, loquitur vero Deus: quare ipse Deus configendus est, quod sane, quum in natura divina fieri nequeat, in humana perfici opus est, et ideo in Messia, qui est Deus-homo, uti supra ostensum est.

**441.** Dices.—In nonnullis codicibus hebraeis non legitur *aspicient ad me,* sed *ad eum;* quare non ipse Deus loquens est configendus.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Revera lectio Vulgatae retinenda est; nam eam habent meliores codices hebraei et major versionum pars; aliunde sive *ad me,* sive *ad eum,* nisi ad Deum referatur, non est ad quem referri possit.

(1) דָּקָרוּ

*d)* Messias occidendus est, ut habetur apud *Dan.* IX, 26, sic: *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.* Hoc de Messia dictum esse colligitur ex dicendis in art. 4, circa Danielis prophetiam.

### Thesis II.

**Messias praedicitur resurrecturus.**

**442.** Nota.—Haec res catholicis indubia est ex *Act.* II, 25 et sq., et XIII, 35 et sq.; verum etiam incredulis et rationalistis aliquo modo ostendi potest. Jam dictum est supra in *Isa.* LIII et in *Psal.* XXI indicari Messiae resurrectionem; in praesenti specialiter probatur.

*Prob.* ex Psal. XV, 10, ubi secundum Vulgatam legitur: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Ille, qui hic per Davidem loquitur, dicit se resurrecturum. Sed est Messias. Ergo.

*Prob. Maj.* In prima parte versus, sive juxta Vulgatam sive juxta textum hebraeum loquens asserit animam suam non derelictum iri in inferno (hebr. Scheol) (1), seu in loco, quo justi in V. T. post mortem descendebant, atque ideo supponit se moriturum et in infernum descensurum. Deinde in secunda parte versus affirmat se non visurum corruptionem, quod ad solum corpus referri potest. Hoc autem est affirmare ipsius resurrectionem; tum quia per resurrectionem proximam post mortem corpus a corruptione omnino liberatur, neque est ratio, ut asseratur ibi agi de conservatione perpetua corporis mortui a corruptione; tum quia statim loquens subjungit, v. 11, *notas mihi fecisti vias vitae*, i. e. ostendes mihi iterum viam vitae, seu iterum mihi vitam largieris, quod nonnisi ad corpus referri potest, quum anima non moriatur. Accedit quod loquens v. 11, dicit se saturatum iri gaudio coram Jehova, et ad hujus dexteram habiturum jucunditatem in perpetuum; hoc vero de brevi cursu vitae praesentis accipi non potest, nec de sola anima, quum loquatur homo de felicitate sua, et ideo totius personae: quare dicendum est, si vis vv. 10 et 11 simul consideretur, loquentem asserere se paulo post mortem fruiturum perpetua felicitate animae et corporis, ideo proxime post mortem resurrecturum.

*Prob. Min.* seu *sermonen esse de Messia.* Nam juxta probata

(1) שְׁאוֹל

in superioribus Messias futurus erat legatus Dei specialissimus, rex universalis, imo Deus et homo; tali autem personae respondet non corrumpi, sed proxime post mortem resurgere. Praeterea de nulla persona intelligi potest quod vv. 10 et 11 asseritur, nisi de Messia accipiatur; etenim nullus rex, sacerdos, aut propheta V. T. resurrexit, nisi fuerit post adventum Messiae et ex hujus virtute. Nec Psalmus loquitur de collectione; quia nonnisi valde improprie tribuitur collectioni descendere in infernum, nec in V. T. fuit aliqua collectio habens in Deo eam fiduciam in Psalmo descriptam, et saturanda gaudio in aeternum coram Jehova. Item nec de justo generatim agitur; quia justo in genere non convenit vitare corruptionem, et paulo post mortem vitam recuperare, et frui gaudio in aeternum coram Jehova. Denique Psalmum ad Messiam referri, confirmatur eo, quod S. Petrus et S. Paulus, locis supra citatis, judaeos alloquentes illum Messiae applicarent, quod non fecissent, si a judaeis non agnosceretur ut Psalmus messianicus.

**443.** Dices 1.°—In v. 10 Psalmista asserit se a morte liberatum iri, quod quidem in utraque parte versus, diversis vocibus, tradit.

*Resp. N. Assert.* Nam Psalmista, quicumque fuerit, revera mortuus est, ac proinde nonnisi magna levitate et jactantia se non moriturum affirmare potuisset; hoc autem non est dicendum de viro tam justo, sicut Psalmista manifestatur. Deinde auctor Psalmi est David, ut ex titulo et constanti judaeorum et christianorum traditione colligitur; prudentiae autem et indoli Davidis non convenit ita se jactare, et tam leviter et false rem maximi momenti affirmare. Praeterea, sive juxta Vulgatam et LXX, sive juxta textum hebraeum, in priore parte versus agitur de anima non dereliquenda in inferno, ac proinde de anima a corpore separata. et de persona jam mortua: quare in 2.ª parte versus de eadem persona affirmari nequit eam non esse visuram mortem, nisi statuatur unum hemistichium alteri contradicere.

**444.** Dices 2.° — In hebraeo pro vocabulo corruptio habetur *schahhath* (1); hoc autem vocabulum a *schuahh* (שׁוּחַ) derivatum non significat corruptionem, sed *foveam*, *supulchrum* vel aliquid simile. Ergo in secundo hemistichio non esi sermo de liberatione a corruptione.

*Resp. N. Ant.* et *Cons.* Etenim versio *LXX*, *S. Hier.* et aliae antiquae vocabulo *schahhath* tribuerunt significationem *corruptio:* unde, quum auctores illarum versionum bene callerent vim vocabuli

(1) שַׁחַת

hebr. *schahhath,* ab eorum interpretatione non est recedendum. Similis significatio eidem vocabulo in aliis Scripturae locis tribuenda est, ut Job, IX, 31; XVII, 14. Quocirca nomen substantivum *schahhath* (שַׁחַת) in hoc loco et in aliis non est derivandum a schuahh (שׁוּחַ), sed a schahhath (שַׁחַת), licet etiam habeatur, ut revera habetur, nomen schahhath a verbo schuahh derivatum. Hac interpretatione secundum hemistichium bene concordat cum primo: in uno asseritur animam Messiae non derelictum iri in inferno; in altero Messiam non subjiciendum esse corruptioni, ac proinde suscitandum. Etiam hac ratione leges parallelismi, licet non omnino stricte, sufficienter servantur.

**445.** Dices 3.°—Non possunt poni in ore Messiae vv. 3 et 4. Ergo nec ceteri versus illi conveniunt, quum in toto Psalmo eadem sit persona loquens.

*Resp. N. Ant.* et *Cons.* Imprimis persona loquens in toto Psalmo videtur eadem, sc., David nomine Messiae et hunc repraesentans. Neque absurdum est Davidem nomine Messiae loqui, quia, licet naturaliter hoc facere non posset, divina inspiratione ad id faciendum moveri poterat. Deinde ex vv. 3 et 4 nihil firmum contra interpretationem messianicam inferri potest, nam illorum sensus est dubius, et inter innumeras interpretationes nulla praevaluit. Postremo non desunt interpretationes probabiles vv. 3 et 4, quae Messiae applicari queunt. Sic, v. g., Messias poterat loqui de beneficiis a Jehova in sanctos dispensatis et de detestatione illorum, qui sanctos insectabantur.

**446.** Dices 4.°—In secundo hemistichio v. 10 in hebraeo (1) non legitur *sanctum tuum*, sed potius *pios tuos* in plurali.

*Resp. N. Assert.* Nam contextus postulat, ut legatur *sanctum tuum* vel *pium tuum* in singulari, quum in toto Psalmo persona singularis loquatur. Accedit quod omnes versiones antiquae habent nomen in singulari, et in codicibus hebraeis legendum esse nomen hoc in singulari indicatur.

## Thesis III.

**Regnum Messianicum justitia et sanctitate splendens per universum orbem propagandum est, atque jugiter duraturum.**

**447.** Nota.—*Regnum messianicum,* ut ipsum nomen dicit, est illud, quod Messiam ut regem et supremum caput agnoscit. Dicitur

(1) חֲסִידֶיךָ

*splendens justitia* et *sanctitate*, tum quia in illo est exercitium omnium virtutum, tum quia per hoc a ceteris regnis et societatibus distinguitur. Ejus propagatio per universum orbem sumitur, quatenus in multis et disjunctis terrae regionibus erunt numerosae communitates ad illud pertinentes, et fere in omnibus erunt aliqua ipsius membra. Porro dicitur *in aeternum durabit*, quatenus regnum visibile, de quo tantum hic agitur, usque ad finem mundi perseverabit.

*Prob. 1.°* Regnum messianicum fore universale constat ex Psal. II et LXXI (hebr. LXXII) supra n. 388 et sq. adductis. Deinde fore splendens justitia et sanctitate colligitur ex Isa. IX, 6, supra n. 398 allato, et ex Jerem. XXIII, 5, supra eodem loco. Denique fore aeternum continetur in Psal. LXXI, n. 393, necnon in Isaia, loco paulo antea laudato. Hoc regnun universale et justitia splendens indicatur quoque in promissionibus Abraham, Isaac et Jacob factis, de quibus n. 366 et sq. dictum est.

**448.** *2.° ex Isa. LIV-LV, 13 et LX-LXII, 12.* In his capitibus sermo est de imperio universali, quodque justitia, sanctitate et cultu Jahve splendet, atque in aeternum durabit. Sed imperium hujumodi est regnum messianicum; etenim praefati characteres nulli imperio, nisi soli regno messianico conveniunt. Praeterea etiam pax, character regni messianici tribuitur illi imperio LIV, 10, 13, et LX, 17; imo ipse Messias ponitur ut dux et praeceptor hujus regni spiritualis LV, 4, et LXI, 1-3. Ergo.

*Prob. Maj. a) Imperium universale.* Hoc indicatur LIV, 3, quum dicitur: *Ad dexteram et ad laevam penetrabis, et semen tuum gentes hereditavit...* Et LV, 4-5 *Testem populis dedi eum, ducem et praeceptorem gentibus... Gentes ad te current.* Et LX, 3 et sq.: *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient...* Et vv. 10-11: *Et aedificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi... Et aperientur portae jugiter... ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur.* Et v. 16: *Et suges lac gentium, et mammilla regum lactaberis...* Et LXI, 5-6: *Et stabunt alieni, et pascent pecora vestra: et filii peregrinorum agricolae et vinitores vestri erunt. Vos autem sacerdotes Domini... fortitudinem gentium comedetis, et in gloria earum superbietis* (i. e. earum gloria erit vestra gloria). Et LXII, 2-3: *Et videbunt gentes justum tuum* (i. e. justitiam tuam), *et cuncti reges inclytum tuum* (i. e. gloriam tuam)... *Et eris corona gloriae in manu Do-*

*mini, et diadema regni in manu Dei tui.* Haec autem omnia diversis modis imperium universale exprimunt.

*b) Justitia, sanctitate et cultu Jahve splendens.* Nam LIV, 13-14, dicitur: *Universos filios tuos doctos a Domino: et multitudinem pacis filiis tuis. Et in justitia fundaberis...* Et LV, 5: *Et gentes... ad te current propter Dominum Deum tuum, et sanctum Israel qui glorificavit te.* Et LX, 13, 17, 18: *Gloria Libani ad te veniet, abies et buxus, et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis tuae, et locum pedum meorum glorificabo... Et ponam visitationem tuam pacem, et praepositos tuos justitiam. Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio...* Similia asseruntur LXI, 1, 2, 3, 8, 9, et sq., et LXII, praesertim v. 12. Ex his autem manifeste apparet imperium illud sanctitate, justitia et vero cultu Jahve futurum esse splendens ac valde praestans.

*c) In aeternum durabit.* Nam LIV, 8, 10 dicitur: *Et in misericordia sempiterna misertus sunt tui... Misericordia mea non recedet a te, et foedus pacis meae non movebitur.* Et LV, 3, 13: *Et feriam vobiscum pactum sempiternum... Et erit Dominus nominatus in signum aeternum, quod non auferatur.* Et LX, 15: *Ponam te in superbiam saeculorum, gaudium in generationem et generationem.* Similia habentur eodem capite, vv. 19 et 20, et LXI, 8, et LXII, 4. In his durantionem illius imperii usque ad finem mundi affirmari liquet.

**449.** Dices.—In illis quinque capitibus. LIV, LV, LX, LXI, LXII, non de eadem re agitur.

*N. Assert.:* etenim manifestum est in omnibus illis capitibus de eodem imperio agi, quum similibus characteribus ornatum appareat. Aliqui, ut *P. Condamin,* Le livre d'Isaie, tenent in omnibus illis agi de nova Jerusalem ut repraesentante centrum regni messianici; atque ideo haec interpretatio consentit cum nostra, juxta quam ibi agitur de regno messianico.

**450.** ex *Dan II*, 34, 35, 44, ubi praedicitur: *Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: et percussit statuam in pedibus ejus ferreis, et fictilibus, et comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, aes, argentum, et aurum, et redacta quasi in favillam aestivae areae, quae rapta sunt vento: nullusque locus inventus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram... In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur: com-*

*minuet autem, et consumet universa regna haec: et ipsum stabit in aeternum.* In verbis allatis sermo est de regno universali: tum quia non potest regnum coeli comminuere omnia alia quatuor regna (sc. juxta communem interpretationem, regnum babylonicum, persicum, Alexandri magni et romanum), nisi ad universum orbem se extenderet; tum quia v. 35 comparatur monti, *qui implevit universam terram.* Item sermo est de regno, quod nunquam dissipatibur, nec alteri populo tradetur, et ideo in perpetuum durabit. Denique est sermo de regno fundato in justitia et sanctitate; nam ejus auctor vocatur Deus coeli, ut origo coelestis hujus regni indicetur, atque ideo non fore regnum terrenum, sed coeleste, et in justitia et sanctitate fundatum. Praeterea nullum fuit regnum mere temporale, quod in perpetuum duraverit, neque est fundamentum ad id asserendum de aliquo aut existenti aut futuro. Quocirca ibi agitur de regno universali, perpetuo et fundato in justitia et sanctitate; regnum autem hujusmodi non potest esse nisi messianicum.

**451.** Dices 1.°—*Lapis*, de quo sermo fit v. 34, est, juxta plures, ipse Messias. Sed Messias non implevit terram. Ergo.

*Resp. C. Maj.* et *D. Min.;* Messias non implevit terram per se ipsum seorsim consideratum, *C.;* per illos, qui eum ut caput et regem agnoverunt, *N.*

**452.** Dices 2.°—Regnum messianicum non comminuit alia quatuor regna. Sed hoc fecit *regnum*, cujus auctor v. 44 dicitur Deus coeli. Ergo.

*Resp. D. Maj.:* regnum messianicum non comminuit alia regna cladibus, devastatione similive modo, *C.;* destruendo idololatriam, depellendo falsam doctrinam et pravos mores, ac inducendo opposita, *N.* Regnum messianicum alia regna vere contrivit, quia idololatriam, falsam doctrinam, pravos mores subvertit, atque cultum veri Dei, coelestem doctrinam, coelestesque mores vigere fecit.

**453.** Dices 3.°—Regnum quartum non est imperium romanum, sed aliud antiquius, ut contendunt rationalistae et nonnulli catholici. Ergo nec regnum, cujus auctor dicitur Deus coeli est messianicum; quia hoc incepit, quum imperium romanum maxime florebat.

*Resp. N. Ant.* Nam ex ipso textu constat primum regnum fuisse babylonicum, atque inde infertur tria regna futura quoque universalia instar babylonici: tum quia regna particularia quolibet tempore fuerunt multo plura quam quatuor; tum quia alia tria babylonico assimilantur. Aliunde illa quatuor ut sibi immediate succedentia ponuntur: quare; quum post babylonicum regna aliquo modo universalia immediate unum post aliud in dominio universali succedentia

fuerint regnum persicum, Alexandri Magni et romanum, haec sunt regna, quae a Daniele praedicuntur. Speciatim quartum esse romanum etiam confirmatur eo, quod, ut traditur v. 40, debet dominari in illis locis, ubi alia tria dominium exercuerunt; imperium autem quod post regnum persicum et Alexandri in Graecia et Asia minori dominatum est, non fuit nisi romanum. Denique quatuor regna capitis secundi sunt eadem, quae in capite septimo laudantur, ut interpretes communiter docent, neque fuudamentum solidum in oppositum adest. Jam vero quarta bestia seu regnum capitis septimi eos habet characteres magnitudinis, universalitatis, terribilitatis, fortitudinis ac ferreae constantiae, qui soli imperio romano convenienter aptantur.

**454.** Dices 4.°—In capite septimo propheta post regni quarti descriptionem transit ad judicium universale et ad finem mundi. Ergo quum imperium romanum ad finem mundi non existat, quartum regnum non est romanum.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Nam prophetae saepe ex visione unius rei ad aliam rerum valde distantium transeunt, praeterquan quod illa quatuor regna et judicium universale connectuntur, quatenus hoc de illis sententiam justam feret ac supplicium sumet. Accedit quod vv. 8 et 24 etiam aliqua post imperium romanum et ante judicium universale indicantur.

*Observa 1.°* regnum messianicum ex multis aliis locis colligitur, ut ex. *Isa. II*, 2 et sq.; *Jer. III*, 17, *XXXIII*, 14 et sq.; *Ezech. XVII*, 22 et sq,; *XXXIV*, 23 et sq·; *XXXVII*, 22 et sq.; *Joel. III*, 17 et sq.; *Am. IX.* 11, et sq.; *Os. II*, 18 et sq.; *Mich. IV*, 1, et sq.; *VII* 12, et sq.; *Soph. III*, 9 et sq.; *Zach. II*, 10 et sq., *VI*, 9 et sq.; *Mal. I*, 11. 2.° prophetae, quum de instauratione reipublicae judaicae post captivitatem babylonicam loquuntur, frequenter ad praedicendum regnum et salutem messianicam transeunt, vel etiam sub instauratione jadaica aetatem messianicam repraesentant.

## ARTICULUS IV

### De tempore adventus Messiae

**455.** *Praemitt.* Praecipua vaticinia hic proponuntur, quibus tempus, quo Messias venturus erat, designatur. Unum ex illis ad tempora antiquiora pertinet, reliqua aut in captivitate babylonica

aut post reditum ex illa sunt edita. Ponuntur ultimo loco, tum quia aliqua ex illis ab ultimis prophetis exorta sunt, tum quia locum determinatum non exigunt.

## Thesis I.

### Ex Gen. XLIX, 10, Messiam promissum jam pridem advenisse colligitur.

Nota 1.°—In *Gen. XLIX*, 10 legitur; *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus, et ipse erit expectatio gentium* (1). In hoc loco catholici communiter admittunt sermonem esse de Messia, et communiter quoque, aut fere communiter, ex eodem loco illum jam pridem advenisse colligunt. Ut thesis probetur, utrumque praestandum est, sc., et ostendere in loco laudato de Messia sermonem esse, et ex eodem eum jam advenisse inferri.

**456.** Nota 2.°—Antequam thesim probem, nonnulla statuere opus est.

1.° Verba allata non ad universam hebraeorum gentem, sed ad Judam hujusque tribum solummodo referuntur, prout ex contextu manifestum est, et ex v. 28 etiam deducitur.

2.° Vocabulum hebraicum *schebet*, quod habetur pro latino *sceptrum*, hic juxta aliquos *tribum* significat, sed juxta communiorem sententiam sceptrum vel baculum potestatis. Haec postrema acceptio videtur omnino tenenda; nam omnes versiones directe vel indirecte hanc significationem voci *schebet* tribuunt. Item parallelismus cum voce *mehhoqeq* id ipsum exigit; quia *mehhoqeq* vel *insigne potestatis* vel *decernens* significat. Id ipsum requirit contextus; nam *laudatio, et adoratio fratrum, manus in cervicibus inimicorum, comparatio cum leone et leaena* plus exigunt et indicant, quam sola tribus conservatio et perseverantia. Denique juxta aliam sententiam *non auferetur sceptrum de Juda,* significarent *non auferetur tribus Juda;* jam vero tribus Juda nullibi in Scriptura vocatur tribus de Juda, neque in hebraeo, prout hic fit, ponitur praepositio *min* inter tribum et Juda ad tribum designandam. Accedit quod ex vv. 16 et 28 videtur erui Juda sumi non pro filio Jacob, sed pro tribu hujus nominis. Nec refert *schebet* frequentius significare tribum quam sceptrum

(1) Textus hebraeus dicit: לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה
וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו
עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה
וְלוֹ יִקְהַת עַמִּים :

vel baculum postestatis; id enim evenit, quia frequentior erat occasio loquendi de tribu, quam de sceptro. Neque hic pro *baculo tribulationis* sumi potest; quia Jacob prospera tribui Juda praedicebat. Verum *schebet* significans sceptrum vel baculum potestatis, licet auctoritatem regiam denotare possit, non necessario illam denotat, sed quamlibet auctoritatem aliquo modo supremam significare potest, ut ex *Isa. XIV,* 5; *Ezech. XIX,* 11 eruitur. Quocirca *schebet* in Juda conservatur toto tempore, quo autonomia tribus conservata cum quadam praeeminentia fuit; nam jus gubernationis per proprias leges simul cum quadam praeeminentia inter israelitas ceteros non poterat non includere aliquam supremae potestatis participationem, saltem juxta regimen quod vigebat post reditum a captivitate.

3.° Vocabulum *mehhoqeq* quod in hebraeo pro latino *dux* habetur, significat *legislatorem, ducem,* et potest etiam significare insigne vel baculum dominii, quae quidem postrema significatio videtur praeferenda propter parallelismum cum schebet. Verum ad praesentem scopum idem est sive accipiatur pro legislatore vel duce, sive pro insigni legislatoris vel ducis.

4.° Quod in hebraeo ponitur pro latino *non auferetur,* facit sensum *non recedet ex Juda:* hoc enim postulat praepositio *min,* a qua in hebraeo regitur *Juda*. Praeterea si Juda non regitur a verbo per praepositionem *min,* regeretur a vocabulo *sceptrum*, et sensus esset: sceptrum ex Juda originem ducens, quae quidem significatio esset falsa.

5.° Quod in hebraeo habetur pro latino *de femore ejus* ad litteram significat *de inter pedes ejus,* et duplicem significatum habere potest: unus est duces futuros ex semine Juda; alter insigne postestatis non recessurum de inter pedes tribus Juda, nempe, juxta morem orientalium habendi baculum potestatis inter pedes. Atque sola admitti potest haec postrema interpretatio, si vocabulum *mehhoqeq* vertitur insigne potestatis.

6.° Vocabula עַד בִּי juxta posita semper significant *donec, usque dum;* atque in hoc loco omnes antiquae versiones ita interpretantur, et accentus atnach praecedens postulat, ut illae duae voces conjungantur, et significent *donec* sive *usque dum*, et quidem quatenus hae particulae terminum aliquem indicant; et licet continuationem rei non excludant, certe eam nec includunt, nec requirunt.

7.° Magna est controversia circa veram lectionem vocis hebreae *schiloh* respondentis latinae *mittendus.* Alii, juxta Vulgatam, legunt שִׁלֹחַ a שָׁלַח misit; verum haec interpretatio communiter rejicitur. In textu hebraeo, prout nunc adstat, habetur שִׁילֹה a

שָׁלָה *tranquillus fuit;* et juxta hanc interpretationem significatio vocis est *tranquillitas* vel *prosperitas,* vel potius *tranquillus, pacificus, pacificator,* quia in hebraeo saepe ponuntur abstracta pro concretis. Juxta alios legendum est שֶׁלֹּה vox contracta ex relativo אֲשֶׁר cum dativo pronominis הוּא; et habetur terminatio in ה, ut nonnunquam fit, pro ו. Juxta hanc vocis derivationem sensus est: *quod ei* (est reservatum vel depositum sceptrum vel baculum potestatis), aut *cui* vel *cujus* (est sceptrum vel baculum potestatis), aut cui (reservatum vel repositum est sceptrum vel baculum potestatis). Atque haec lectio ceteris praeferenda videtur, ea enim in omnibus antiquioribus versionibus reperitur; atque ideo non recte ei opponitur esse contra traditionem judaeorum, aut contra regulas grammaticae, aut alia id genus. Postremo sunt aliae lectiones et interpretationes minoris momenti, quaeque quatenus doctrinae messianicae repugnent, in solutione difficultatum rejicientur.

8.° Quod in Vulgata dicitur: *Et ipse erit expectatio gentium*, alii interpretantur: *Et ei obedientia populorum* vel *et ei congregatio populorum.*

**457.** His jam praenotatis *Prob.* thesis. *1.° in loco laudato sermo est de Messia.* In illo sermo est de eo, qui juxta diversas lectiones vocatur *mittendus, pacificus, cujus est sceptrum* vel *baculum potestatis;* idemque vocatur etiam *expectatio gentium,* vel cui *erit obedientia* vel *congregatio populorum.* Hae autem notae optime quadrant illi legato Dei specialissimo, mittendo ut duce et liberatore omnium gentium, neque alia persona assignari potest, cui omnia vaticinii adjuncta conveniant. Accedit quod vaticinium de Messia intellexit antiqua judaeorum traditio, cujus testes sunt *Targum Onkelos, hierosolymitanum,* ipsum *Talmud*, aliique judaeorum doctores.

2.° *ex loco laudato Messiam jam pridem advenisse colligitur.* Nam ibi juxta praemissas declarationes vocis *schebet* et *mehhoqeq* asseritur sceptrum, insigne potestatis aliquo modo supremae non recessurum a Juda ante Messiae adventum. Atqui omnis suprema potestas jam recessit et ablata est a Juda, saltem a tempore destructionis Hierusalem. Ergo Messias jam diu advenit.

**458.** *Obj. 1.°* Sceptrum et suprema potestas a tribu Juda saepe recessit. Ergo recessus potestatis supremae a Juda nequit poni ut signum adventus Messiae. *Prob. Ant. a*) Nam imprimis suprema potestas, saltem modo constanti, non fuit in Juda a tempore Jacob usque ad David. *b*). Ablata est tempore babylonicae captivitatis. *c*) Ablata etiam est tempore Machabaeorum.

*Resp. D. Ant.:* recessit tempore adventus Messiae, *C.;* antea, *N.* Ad singula.

Ad *a)* in prophetia non assignatur initium habendi sceptrum in tribu Juda, sed indicatur supremam potestatem longum tempus in illa esse permansuram, neque ab illa auferendam ante adventum Messiae.

Ad *b)* cessatio potestatis in captivitate babylonica fuit ad tempus, et potius ejusdem intermissio: et ideo non fuit signum adventus Messiae. Praeterea etiam tempore captivitatis fuit aliquo modo suprema potestas in tribu Juda, prout ex *Dan.* XIII colligitur.

Ad *c) N. Assert.;* ad hanc autem negationem declarandam scire oportet post reditum a captivitate babylonica: 1.° israelitas iterum rempublicam constituisse, prout colligitur ex I *Esdr. VII*, 25, ex *Joseph.* Ant. l. 11, c. 4, n. 8, aliisque testimoniis. 2.° oriundos ex Juda fuisse multo plures aliis omnibus, prout communiter tradunt eruditi, et infertur tum ex eo, quod omnes vocati sunt judaei, ut dicit *Joseph.*, Ant. l. 11, c. 5, n. 7, et colligitur ex I *Esdr. IV,* 12, 23, V, 1, 5, VI, 7, 14 etc.; II *Esdr. IV,* 2, 12, VI, 6, etc.; tum quod orti ex Juda primo loco nominantur, ut I *Esdr. I,* 5; IV, 1, etc. 3.° tribum Juda, quia erat multo numerosior ceteris omnibus israelitis, habuisse non modo *autonomiam*, verum etiam praeeminentiam quamdam inter ceteros omnes israelitas. Machabaei quidem, quamvis ex tribu Juda non fuerint, principes judaeorum merito vocari possunt; quia rempublicam judaeorum ex populi voluntate administrabant, ut evincitur ex *I Mach. IX*, 30, et *XIII*, 8, et sq.; item ex *Joseph.*, Ant. l. 12, c. 6, n. 2; l. 13, c. 1, n. 1; l. 20, c. 9; De bel. jud. l. 1, c. 1, n. 3.

Praeterea post reditum a captivitate seniores et populus supremam potestatem aliquo modo participabant, ut deducitur ex *I Mach. VIII*, 20, *XII,* 3, 6, *XIV*, 20, 27; *II Mach. I,* 10, ubi sermo est de epistolis missis a republica judaeorum ad Romanos, Spartiatas et ad judaeos in Aegypto degentes. Potiores autem partes in supraemae potestatis participatione non poterant non pertinere ad tribum Juda, quae maxime alios israelitas superabat. Participatio supremae potestatis praesertim erat per Synedrium, de quo mentionem facit *Joseph.*, Ant. l. 14, c. 9, n. 3, et sq. Hic vero rerum status, et consequenter *autonomia* et participatio supremae potestatis in tribu Juda usque ad tempora Herodis Ascalonitae saltem perduravit, atque ideo usque ad Christi aetatem. Verum etiam postea retinuerunt judaei aliquam supremae potestatis participationem, ut apparet ex iis, quae contra Christum egerunt, prout in Evangeliis

traduntur; neque illis omnis potestas est ablata, nisi cum Hierosolymorum destructione; Titus enim judaeos alloquens tempore obsessionis Jerosolymae, ut habetur apud *Joseph.*, De bel. jud. l. 6, c. 6, n. 2, affirmat Romanos judaeis leges patrias servasse. Quocirca *autonomia* tribus Juda et participatio aliqua supremae potestatis pro illa non sunt ablatae tempore Machabaeorum, imo nec ab Herode Ascalonita omni ex parte; sed cum Hierosolymorum destructione Judaeorum respublica et potestas omnino periit.

**459.** *Obj.* 2.° Vocabulum *Schiloh* non significat Messiam. Ergo ex illa prophetia Messiam jam venisse non deducitur. Nam *a) Schiloh* videtur significare urbem Silo, cujus saepe fit mentio in Jos., Jud. et Reg. *b) Schiloh* poni quoque potest ad *quietem* significandam. *c)* Quamvis *Schiloh* personam aliquam significet, potest significare Davidem, aut Salomonem, aut Cyrum, aut alium principem.

*Resp. N. Ant.* Ad *a)* in textu hebraeo juxta sententiam magis probandam non est scribendum *Schiloh,* sed *Schelloh*, quod nullo modo urbem Silo significat. Praeterea omnes antiqui judaei et christiani vocabulo *Schiloh* Messiam significari tradiderunt. Accedit quod si *Schiloh* significaret urbem Silo, sensus esset: *sceptrum et insigne potestatis non auferetur de Juda, donec arca foederis vel tribus vel David venerit Silo,* prout contendunt adversarii; jam vero sensus hic non consonat contextui, qui postulat, ut sceptrum et insigne potestatis fuerit longo tempore in Juda, quum veniat *Schiloh;* iste enim est sensus obvius. At, quum sive arca foederis, sive tribus Juda, sive David Silo pervenerunt, sceptrum et insigne potestatis non fuerant longo tempore in Juda, imo modo constanti suprema potestas non fuit in Juda usque ad regnum Davidis. Nec dicas *schebet* et *mehhoqeq* non significare nisi *autonomiam* tribus Juda; etenim ex una parte *autonomia* fuit communis omnibus tribubus usque ad captivitatem, et ex altera illa verba *Te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui, catulus leonis Juda,* etc., prolata in favorem Juda et tanquam aliquid ipsius proprium plus requirunt, quam meram *autonomiam.* Postremo urbs Silo non fuit sive *expectatio gentium,* sive *voluntaria obedientia* vel *congregatio gentium,* ut illi juxta prophetiam convenire deberet.

Ad *b)* intepretatio *quietis* etiam universae antiquitati judaicae et christianae opponitur, nisi abstractum *quies* sumatur pro concreto *pacificus* vel *tranquillus.* Deinde nulla judaeorum *quies* designari potest, quae merito vocari possit *expectatio gentium,* sive *voluntaria obedientia* vel *congregatio earum.*

Ad *c) N.* omnino *Assert.;* nullus enim princeps vel alia persona, sive ante Davidem, sive postea, si Christus excipitur, fuit *expectatio gentium,* vel *voluntaria obedientia* seu *congregatio earum;* et nihilominus verba textus hebraei hoc significant, sc., obedientiam vel congregationem *voluntariam, spontaneam.* Item, ante Davidem suprema potestas non fuit in Juda modo constanti, prout requirit prophetia ante adventum *Schiloh.*

**460.** *Obj.* 3.° Messiam jam advenisse deduci nequit ex eo, quod omnis potestas in tribu Juda jam pridem cessavit; prophetia enim fieri potuit non absolute, sed sub aliqua conditione, quae adhuc impleta non sit.

*Resp. N. Assert.* et *Prob.* Si prophetiae aliquam conditionem continent, hoc vel ex ipsa rei natura, vel ex adjunctis, vel ex locis parallelis eruitur; in prophetia autem Jacob ex nullo capite eam sub conditione esse factam colligi potest. Nec peccata sive hebraeorum, sive gentium potuerunt esse obstaculum, ne Messias mitteretur: tum quia sicut peccata non fuerunt obstaculum ad Messiae praedictionem, ita neque ad adventum debebant esse; tum quia Messias ad peccata delenda venturus erat.

**461.** *Obj.* 4.° Jacob laeta et prospera tribui Juda vaticinatur. Atqui non ita esset, si sceptrum a Juda ad Messiae adventum esset auferendum, praesertim quum ibidem Messias a tribu Juda oriundus non dicatur. Ergo.

*Resp. C. Maj.* et *N. Min.* Imprimis vaticinium prospera et laeta Juda praenuntiat, quum indicet praestantiam et potestatem supra ceteras tribus longum tempus in Juda esse permansuram. Deinde si omnino cessat suprema potestas in Juda, id non fiet nisi eventu valde laeto et prospero, sc. adventu Messiae, ducis et liberatoris spiritualis et judaeorum et gentium. Postremo erat res gratissima et valde fausta pro tribu Juda Messiam ex ea esse oriturum, et quamvis hoc a Jacob expresse non dicatur, satis ex ejus verbis colligi potest; nam ex una parte ex aliquo filiorum Jacob Messias erat nasciturus, ex altera nullus tam eximie laudatur et extollitur sicut Judas; nec cogitari potest Jacob, qui tam multa ex divina inspiratione filios suos attinentia cognovit, rem maximi momenti pro filiis suis, ut erat ex quo oriretur Messias, ignorasse.

## Thesis II.

**Ex Dan. IX, 24 et seq. Messiam jam advenisse ostenditur.**

**462.** Nota 1.°—In *Dan. IX*, 24 et sq., dicitur: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum, et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.*

**463.** Nota 2.°—Hebdomades, de quibus loquitur *Daniel*, sunt annorum; quia septuaginta dierum hebdomadis ea omnia perfici nequeunt, quae in loco proxime laudato commemorantur; et aliunde annorum hebdomas apud judaeos, erat in usu, ut ex *Lev. XXV*, 8, elucet. Accedit quod Daniel, ut ex antecedentibus colligitur, septuaginta captivitatis annos in mente agitabat, cui cogitationi annorum hebdomadae bene respondent. Item in *X*, ubi de hebdomadis dierum sermo est, id expresse significatur. Nec de hebdomadis alterius generis accipi possunt, quia nonnisi et annorum et dierum hebdomades erant apud judaeos notae. Deinde septuaginta hebdomades non accipiuntur pro tempore aliquo indeterminato; aliter enim in septem sexaginta duas et unam non dividerentur, nec postrema in duas partes. Denique est communissima sententia, sive inter veteres, sive inter recentiores, septuaginta hebdomades esse annorum, eisdemque significari tempus determinatum.

**464.** Nota 3.°—De Danielis vaticinio tres potissimum sunt sententiae. 1.ª est in illo non esse sermonem de Messia, et plerique hujus sententiae patroni complementum et terminum vaticinii ad tempora *Antiochi Epiphanis* referri contendunt. Hunc opinandi modum consectantur rationalistae, qui vix inter se in re aliqua consentiunt, nisi

in charactere messianico et vera prophetiae ratione vaticinio Danielis pernegandis. Altera sententia est eorum, qui verba Danielis ad secundum Christi adventum referunt, et ideo explicationem *eschatologicam,* ut dicitur, sequuntur. Denique tertia sententia vaticinium ad primum Messiae adventum refert. Hanc amplectuntur catholici interpretes fere omnes multique Patres, quamvis in initio hebdomadarum definiendo et in aliis non parum inter se discrepent. Vide *Knabenbauer* in *Daniel IX,* 24 et sq.

**465.** Nota 4.°—Ut thesis probetur, probandum est: 1.° in vaticinio Danielis de Messia sermonem esse; 2.° quae in illo asseruntur postulare adventum Messiae jam praeteriisse.

*Prob. Thes. 1.° in vaticinio Danielis sermo est de Messia. a) Deletio iniquitatum, adductio justitiae sempiternae, impletio visionis et prophetiae, unctio Sancti Sanctorum, Christus dux, Christi occisio, confirmatio pacti* et *abolitio hostiae* et *sacrificii* et sunt bona adeo excellentia, et eas notas personales ingerunt, et talem supponunt potestatem, ut illa, saltem simul sumpta, soli summo principi Messiae accommodari possint; et aliunde ea omnia aliis in locis Messiae tribuuntur, ut ex supra dictis elucet.

*b) Abominatio desolationis* (v. 27) apud Matth. XXIV, 15, Marc. XIII, 14 ad destructionem urbis et templi hierosolymitani a romanis perpetratam refertur. Item quae vv. 26 et 27 de ruina civitatis et sanctuarii dicuntur, a *Fl. Josepho,* Ant. l. 10, c. 11, n. 7; Bel. jud. l. 4, c. 6, n. 3, l. 6, c. 5, n. 4, accipiuntur de iis, quae tempore Vespasiani et Titi evenerunt. Denique *S. Hieron.* In Daniel. IX, 24 et sq., (M, L, 25, cc. 551, 552), testatur judaeos suo tempore vaticinium Danielis de Messia accepisse. Haec autem omnia saltem confirmant vaticinium Danielis ad ea tempora non esse referendum, ad quae illud referunt interpretationes non messianicae.

**466.** *Prob.* 2.ª p. *seu Messiam secundum Danielis vaticinium jam advenisse.* Ea quae in Danielis vaticinio continentur, futura erant intra septuaginta hebdomades annorum, seu intra quadrigentos nonaginta annos. Atqui illae septuaginta hebdomades annorum jam praeterierunt. Ergo Messias jam advenit; venturus enim erat intra illas hebdomades.

*Prob. Maj.* Nam omnia quae in v. 24 promittuntur, veluti in compendium, et in vv. sq., amplius exponuntur, omnia intra tempus illarum hebdomadum sensu obvio collocantur. Quod vero illae hebdomades sint definitae, et significent annorum hebdomades, in Not. II ostensum est. Id ipsum confirmatur, quia hebdomades illae ad septuaginta annos babylonicae captivitatis, qui erant definiti, alludunt,

vocantur abbreviatae, i. e., *decisae* seu *definitae* seu *decretae,* ponitur earum terminus *a quo* (ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem), et *ad quem* (occisio Christi, confirmatio pacti et defectio hostiae et sacrificii); explicantur eventus futuri intra illas; item angelus nec Danielem solatus esset, neque illi intelligentiam rerum futurarum impertiisset, si de tempore indefinito loquutus esset. Praeterea hebdomades illas non esse alicujus mensurae majoris quam annorum, etiam ex hoc colligitur, quod aliter tempora dissipationis civitatis et sanctuarii non transiissent, prout requirit prophetia.

*Prob. Min. seu hebdomades illas jam praeteriisse.* Illae hebdomades annorum computandae sunt *ab exitu sermonis ut iterum aedificetur Jesusalem,* et finitae esse debent tempore destructionis urbis et sanctuarii, ut ex vaticinii verbis colligitur. Atqui *ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem* non modo semel, sed pluries transierunt septuaginta annorum hebdomades; et a destructione secunda urbis et sanctuarii et abolitione sacrificiorum jam multa saecula decurrerunt. Ergo.

**467.** *Obj. 1.°* Ubi in Vulgata legitur: *Ut consumetur praevaricatio et finem accipiat peccatum;* sensus textus hebraei videtur esse *malitiam perventuram ad summum,* et peccata esse sigillanda ad divinum judicium. Atqui iste sensus interpretationi messianae non favet. Ergo. Item juxta textum hebraeum *impleri visionem et prophetiam* videtur significare visionem et prophetiam finiri, quod certe tempore Messiae, in quo maxime debet vigere prophetia, non convenit.

*Resp.* Quamvis textus hebraeus possit facere sensum in objectione indicatum, potest etiam facere sensum aequivalentem Vulgatae, atque hic sensus est praeferendus: tum quia hoc modo priora membra respondent posterioribus, in quibus manifeste juxta hebraicum et versiones est sermo de expiatione et deletione peccatorum et adductione justitiae; tum quia Daniel remissionem peccatorum a Deo postulabat, et Angelus Gabriel ad eum solandum advenit. Deinde quod ad *impletionem visionis* et *prophetiae* attinet, sive textus hebraeus significet *obsignavit*, ut alii volunt, sive complevit, ut contendunt alii, sensus revera est idem, nempe visiones et prophetias manifestari veras per earum impletionem; nam res aliqua obsignatur, ut firmetur et stabiliatur; et prophetia per ipsius impletionem firmatur et stabilitur. Neque est ratio, cur juxta interpretationem *complevit*, sumatur sensus *finivit*, *cessavit:* nam ibi prospera nuntiantur, et impletio visionis et prophetiae est, quae respondet postulationi Danielis ut compleretur sermo Domini ad Jeremiam, non autem ejusdem cessatio.

**468.** *Obj. 2.°* In hebraeo non habetur *sanctus sanctorum,* sed *sanctitas sanctitatum* vel potius *sanctum sanctorum* seu res sanctissima. Ergo secundum textum hebraeum *sanctus sanctorum* non est Messias, sed res inanima, ut templum.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Messiae propter ejus summam sanctitatem optime quadrant nomina *sanctitas sanctitatum,* seu *sanctum sanctorum,* vel *res sanctissima.* Deinde contextus omnino postulat, ut *sanctus sanctorum* sit Messias; nam deletio iniquitatis, inductio justitiae, impletio visionis et prophetiae soli Messiae convenienter tribui possunt, et consequenter idem de *sancto sanctorum* sentiendum est, quum hoc ponatur cum ceteris connexum et conjunctum. Nec templum Jerosolymitanum, aut aliquid ad ipsum pertinens habuit vim dimittendi peccata et adducendi veram justitiam, aut recte vocatur impletio visionis et prophetiae, quum visiones et prophetiae templum generatim non respicerent. Accedit quod in voce hebraea, quae habetur pro latina *sanctorum,* solet addi articulus, quum locutio *sanctum sanctorum* templum significat; hic autem articulus deest. Praeterea *ungatur* optime congruit Messiae seu uncto; non item templo secundo hierosolymitano vel rebus ad illud pertinentibus, quum res istae post captivitatem non sint *unctae.* Vide *Ezech.* XLIII, 18 et sq., et I *Mach.* IV, 54 et sq. Imo neque in consecratione templi salomonici adhibita est unctio, ut colligitur ex III Reg. VIII, et II Par. V, VI, VII. Postremo nomen quod in hebraeo pro latino *sanctus* usurpatur, etiam ad personas significandas alibi adhibetur, ut in Lev. XXI, 6; Jer. II, 3.

His adjici potest PP. graecos et latinos fere communiter *Sanctum sanctorum* accipere pro Messia: sic, v. gr., *Hippolytus,* Fragm. in Dan. n. 17 (M, G, 10, 654), *Clemens Alex.* Strom. lib. 1, c. 21 (M, G, 8, 855); *Origenes,* In Matth. ser. Comm. n. 40 (M, G, 13, 1658); *Euseb. Caes.* Demonst. ev. l. 8 (M, G, 22, 607); *Tertullianus,* Adv. jud. cc. 8 et 11 (M, L, 2, 652 et sq.); *S. August.,* Epist. 199 ad Hesych., n. 2 (M, L, 33, 912), etc. Eamdem sententiam ex judaeis antiquis plures necnon antiquae versiones sequuntur.

Nonnulli catholici, ut *Knabenbauer* in hunc locum Dan., contendunt *sanctus sanctorum* significari Ecclesiam, cujus caput est Christus. Verum haec interpretatio, licet minus fundata videatur, nihil obest interpretationi messianicae, neque scopo probandi ex Danielis prophetia Messiam jam advenisse.

**469.** *Obj. 3.°* Definiri non potest unde hebdomadum computatio incipienda sit. Ergo nec constare potest, utrum hebdomades illae jam transierint.

*Resp. 1.º Trans. Ant.* et *N. Cons.* Nam, licet non omnes in definiendo initio, a quo hebdomades laudatae sint numerandae, consentiant; omnes tamen, qui iis hebdomadis quadringentos nonaginta annos conflari tenent, initium numerationis ante Machabeorum tempus statuunt; alii enim a tempore alicujus prophetiae V. T., alii a tempore Cyri, vel Darii filii Histaspis, vel Artaxerxis Longimani, vel alterius principis antiquioris Machabaeis numerationem faciendam contendunt; a quocumque autem ex his initium sumatur, jam a multis saeculis illae hebdomades transierunt, et consequenter Messias advenit.

*Resp. 2.º N. Ant.* Computatio incipienda est a decreto de urbe aedificanda; id enim clare innuitur. v. 25, ubi dicitur: *Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem,* etc.; et inferius indicatur sermonem esse de ea aedificatione, qua *platea* et *muri* restituantur. Unde initium computationis non est sumendum a decreto Cyri, aut Darii Histaspis, quum in his decretis non largiatur facultas aedificandi urbem cum plateis et muris; neque ab alio decreto ante Artaxerxem Longimanum, quia in Ll. Esdrae non fit mentio hujuscemodi decreti, et non est credibile non commemorari, si extitisset, quum esset res magni momenti, et in illis Ll , quae ad aedificationem templi et urbis spectant, specialiter indicantur. Neque initium sumendum a prophetiis, quibus de templi et urbis instauratione fit sermo; quia prophetiae et divinae revelationes non continent decretum, quo proxima urbis cum muris restauratio permittatur, nec sunt sermo ut aedificetur Jerusalem; sed dumtaxat divinae promissiones et praedictiones de futura instauratione.

Neque dictis obstant, quae traduntur apud *Isa.* XLIV, 28, XLV, 13; *Jer.* XXX, 18; quia, etsi loca laudata ad decretum Cyri referuntur, tamen eorum veritas solum postulat, ut simul cum templi reparatione possent judaei quoque aedificare domos ad habitandum: minime vero ibi indicatur concessio instaurandi urbem bene muratam et munitam.

Nec verum est, Danielem solatium ex divinis promissionibus non posse accipere, nisi decretum ad tempus Cyri referatur, quia secus ignoraret tempus, quo implendae essent; nam, licet Daniel non cognosceret annum, a quo initium hebdomadum sumendum esset, nihilominus ex modo loquendi Angeli et ex aliis vaticiniis certo cognoscere poterat non esse valde loginquum illarum initium, et sic solari poterat.

Postremo initium sumendum est ab uno vel altero ex decretis Artaxerxis Longimani, quorum alterum anno septimo regni ipsius latum est, alterum anno vigessimo, ut inferius explicabi-

tur, quum sermo erit de prophetia hac Jesu Christo applicanda.

**470.** *Obj. 4.°* In v. 25 in vocabulo hebraeo respondente latino *septem* habetur accentus atnach, qui separationem seu majorem interpunctionem indicat. Ergo hebdomades septem disjungendae sunt ab hebdomadis sexaginta duabus, et ideo usque ad Christum ducem non sunt computandae hebdomades sexaginta et novem.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Imprimis accentus positi sunt a masoretis tempore multo posteriore; quocirca possunt non respondere textui originali. Deinde falsum est atnach semper poni ad pausam majorem et disjunctionem faciendam; contrarium constat, v. gr., ex *Num.* I, 46, ubi adest atnach non faciens separationem inter vocabula antecedentia et consequentia. Aliquando, ut fit in praesenti, ponitur atnach ad indicandum in singulis membris illo accentu distinctis contineri aliquid consideratione valde dignum: sic tempore septem hebdomadum annorum erat aedificanda Jerusalem et munienda, et post sexaginta duas ultra septem erat occidendus Christus dux.

**471.** *Obj. 5.°* Prophetia Danielis respicit tanquam terminum tempora Antioch. Epiphanis, qui est dux ille *civitatem* et *sanctuarium* dissipans: unde *Christus dux* et *Christus* non est Messias, sed vel Cyrus, vel Onias Pontifex, vel Seleucius IV Philopator. Ergo prophetia ad Messiam non refertur.

*Resp. N. Ant.* Nam v. 24 nuntiantur bona messianica ventura intra septuaginta annorum hebdomades; haec autem bona nullatenus aetate Antiochi Epiphanis venerunt. Item *ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem* usque ad Antiochi Epiphanis mortem non pervenitur ad finem septuaginta hebdomadum. Accedit quod Antiochus profanavit quidem templum, sed illud non destruxit; et hoc facturus erat *dux venturus,* de quo loquitur Daniel. Rursus profanatio et vastitas ab Antiocho Epiphane inducta non usque ad finem perduravit, ut ex I *Mach.* IV eruitur; dissipatio vero et desolatio templi, de quibus loquitur Daniel futura erant perpetua. Postremo inter illas septuaginta hebdomades *deficiet hostia et sacrificium* V. L. in perpetuum, quod tempore Antiochi certe non evenit. Prophetia igitur Danielis aetati Antiochi Epiph. non recte applicatur. Nec refert Danielem hic similiter loqui ac XII, 11 et 12, ubi de Antiocho loqui videtur, nam aliqua factorum similitudo potuit esse causa locutionis similis.

*Christus dux* (v. 25), *Christus* (v. 26) est Messias: tum quia in hebraeo habetur vocabulum Messias, quod vero Messiae potissimum convenit; tum quia bona messiana, quae v. 24 nuntiantur, et confirmatio pacti (v. 27) ad Messiam spectant. Quod pacti confimatio ad

Messiam pertineat, constat ex *Isa.* LIV, 10; *Jer.* XXXII, 40; *Ezech.* XXXIV, 25 et ex multis aliis locis. Etiam abolitio sacrificiorum V. L. nonnisi ad Messiam referri potest. Non recte igitur rationalistae pro Christo duce et pro Christo accipiunt aliquem distinctum a Messia, et minus recte adhuc contendunt confirmationem pacti esse *testamentum* et *potestatem,* de quibus fit mentio in I *Mach.* I, 12, 14.

**472.** Postremo si quis objiceret prophetiam Danielis secundum versionem LXX posse applicari Antiocho Epiphanis, dicenda haec videntur:

1.° Standum est textui originali hebraeo prae LXX; quia textum originalem hac in re fuisse immutatum aut LXX habuisse alium textum originalem non probatur.

2.° Ab ipsis LXX afferuntur plures notae et characteres, quae tempori Antiochi Epiphanis nullatenus conveniunt, ut v. gr., *deleri iniquitates, dari justitiam sempiternam, laetari sanctum sanctorum,* etc. (1).

3.° S. Hieronymus, Praef. in vers. Daniel (M, L, 28, 1291) testatur Ecclesias non uti versione Danielis ex LXX, hancque rite esse repudiatam. Haec sunt ejus verba: «Danielem prophetam juxta Septuaginta Interpretes Domini Salvatoris Ecclesiae non legunt utentes Theodotionis editione, et hoc cur acciderit, nescio... Hoc unum affirmare possum, quod multum a veritate discordet, et recto judicio repudiatus sit (Daniel juxta LXX).» Et ipse Hieronymus, Comment. in Daniel. IV, 6 (M, L, 25, 514) inquit: «Unde judicio magistrorum Ecclesiae, editio eorum (LXX) in hoc volumine repudiata est; et Theodotionis vulgo legitur, quae et hebraeo, et ceteris translatoribus congruit.» Quibus postremis verbis indicat Hieronymus, quod expresse dicit in Prolog. in comment. Dan., eodem loco, col. 493, nempe versiones Aquilae et Symmachi conformari textui originali hebraeo, ex quo hujus auctoritas confirmatur, quum nec Aquila, nec Theodotio, nec Symmachus, utpote judaei vel haeretici, catholicis favere intenderint.

*Observa.* Daniel vv. 26 et 27 loquitur de destructione urbis et templi veluti de re eventura intra septuaginta hebdomades; nihilominus urbs et templum nonnisi pluribus annis post illas septuaginta hebdomadas destructa fuerunt. Ponitur vero ea destructio in expositione rerum, quae intra septuaginta hebdomades erant eventurae, quia peculiarem cum illis habet connexionem; etenim urbs et templum

(1) καὶ ἀπαλεῖψαι τὰς ἀδικίας... καὶ δοθῆναι δικαιοσύνην... καὶ εὐφράναι ἅγιον ἁγίων.

destructa sunt in punitionem occisionis Messiae. Praeterea abolitio hostiae et sacrificii a Messia peracta aliquo modo in templi destructione complementum accepit.

## Thesis III.

**Ex Malachia III, 1, jam a multis saeculis Messiam advenisse infertur. Item ex Aggaeo, II, 7-10.**

**473.** Nota 1.°—Verba Malachiae in loco laudato secundum Vulgatam haec suut: *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.*

Verba autem Aggaei secundum eamdem Vulgatam sunt: *Quia haec dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum, et terram, et mare, et aridam.* 3. *Et movebo omnes gentes: Et veniet desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.* 9. *Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum.* 10. *Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Textus hebraeus pro *veniet desideratus cunctis gentibus* ad litteram habet: (1) *venient desiderium cunctarum gentium* vel *res desiderabilis cunctis gentibus;* ubi ponitur subjectum singulare cum verbo plurali; cujus rei causam explicare certe difficile est, si *desiderium cunctarum gentium* sit persona singularis, nempe Messias. Tamen dicendum videtur ideo verbum esse in plurali, quia ibi Messias describitur, quatenus omnes gentes habebunt expectationem et desiderium ipsius, et quia gentes est nomen plurale, verbum cum illo concordat. Unde sicut adversarii docent verbum esse in plurali, quia gentes allaturae pretiosa quaeque significantur nomine plurali; similiter dici posse videtur verbum poni in plurali, quia gentes ponuntur ut expectantes et desiderantes. Nec dicas si *desiderium cunctarum gentium* significat Messiam, *gentes* non est nomen principaliter intentum, et ideo verbum non potest concordare cum illo. Nam illa locutione *desiderium cunctarum gentium* Messias non significatur per solum vocabulum *cunctarum gentium*, sed per utrumque simul,

(1) וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם

ita tamen ut vocabulum *cunctarum gentium* sit quod determinat aliud, et a quo desiderium proprie tale, seu sumptum subjective, dependet; et hac de causa verbum videtur posse concordare cum nomine plurali, *gentes*.

Quod si proposita explicatio non arridet, non videtur contemnenda, quam tradit P. Corluy in Spicilegio, sc., ideo verbum esse plurale, quia subjectum, *desideratus, desiderium, res desiderabilis*, significat Messiam, in quo omnium bonorum cumulus continetur, et idcirco subjectum est aequivalenter plurale; nam ex una parte subjectum ex dicendis significat Messiam, ex altera vero non apparet alia ratio, cur Messias cum verbo plurali conjungatur.

**474.** Nota 2.°—Ex praefatis vaticiniis Messiam jam pridem advenisse certo concludi videtur; tamen sive *SS. PP.*, ut *S. Cyrillus Alex.* (M, G, 71, 1046), *Theodoretus* (M, G, 81, 1867), *S. Hieronymus* (M, L, 25, 1402), sive posteriores interpretes, ut *Knabenbauer*, Aggaeum commentantes, non uno modo declarant ea verba *veniet desideratus cunctis gentibus*. Nihilominus sententia docens ibi de Messia sermonem esse retinenda videtur.

*Prob. 1.ª* p. seu *ex Malachia Messiam jam pridem advenisse ostendi*. In loco Malachiae laudato sermo est de Messia, isque dicitur templum Jerosolymitanum ingressurus. Atqui templum hierosolymitanum jam a multis saeculis dirutum est, sc. a tempore Vespasiani et Titi, saeculo primo aerae christianae. Ergo Messias templum illud ingressurus, jam diu advenit.

*Prob. Maj.* per partes. *a) Ibi sermo est de Messia;* nam *Dominator*, quem judaei maxime quaerebant, erat Messias; similiter erat *Angelus* testamenti, quem ipsi maxime volebant, utpote a quo N. T. seu pactum constituendum sit, ut eruitur ex *Isa. XLII*, 6; *Jer. XXXI*, 31; *Ezech. XXXIV*, 25; *Dan. IX*, 27; *Os*, *II*, 18. Angelus vero, de quo loquitur propheta initio versus, est praecursor Messiae, et ex ipso contextu et sensu obvio apparet esse alium ab *Angelo testamenti*.

*b) Messias dicitur templum hierosolymitanum ingressurus:* quia ad *templum suum* nonnisi ad templum hierosolymitanum, unicum quod habebant judaei, referri potest. Nec obstat, quod vocabulum hebraicum aliquando ad significandum palatium regium usurpetur; nam raro admodum ad palatium et multoties ad templum significandum adhibetur. Aliunde tempore Malachiae non erat Jerosolymis palatium regium, et ideo non posset intelligi propheta, si de illo loqueretur. Aliunde Septuaginta vertunt ναός, quod templum unice significat.

**475.** *Prob.* 2.ª p. seu *ex Aggaeo deduci quoque Messiam jam*

*diu venisse.* Aggaeus loquitur de Messia, asseritque hunc venturum esse in templum hierosolymitanum. Atqui templum hierosolymitanum jam eversum est. Ergo Messias, qui illud adiit, jam venit. *Min.* et *Cons.* sunt manifesta, et sola *Major* est probanda.

*Prob. Maj. per partes. a) Aggaeus de Messia loquitur.* Nam imprimis v. 10 loquitur de illo, qui *in loco isto* (in templo) dabit pacem; largitio autem pacis nota est Messiae valde propia, ut ex *Isa. IX*, 6; *Mich. V*, 5, et ex aliis locis colligitur. Deinde praenuntiatur v. 8, templum implendum gloria, atque haec gloria major futura quam ante templi restaurationem fuerit. Tanta autem templi gloria non recte explicatur, nisi quatenus Messias in templum restauratum venerit. Deinde *desideratus cunctis gentibus* bene congruit Messiae, ad cujus regnum spirituale gentes magno studio accurrere debebant, ut eruitur ex *Isa. II*, 2, 3; *Mich. IV* 1, 2; *item legem ejus* (Messiae), ut tradit *Isa. XLII*, 4, *insulae expectabunt.* Postremo commotio coeli, v. 7, terrae, maris, aridae et gentium tempori messianico optime quadrat, quo tot miracula erant patranda, ac tot gentes in regnum messianicum confluxurae, et a tempore Aggaei usque ad Christum tot et tanta fuerint gentium perturbationes et subversiones.

*b) Messias templum hierosolymitanum ingredietur juxta Aggaeum.* Imprimis *domum istam*, vv. 4 et 8, *domus istius*, v. 10, non possunt non significare templum secundum contextum et scopum prophetae; nam satis apparet *domum istam* v. 4, haberi pro templo salomonico, et scopus prophetae erat judaeos facere alacres ad templum aedificandum. Deinde Messias, v. 10 *in loco isto* (in templo) dabit pacem *domum istam* sua praesentia implebit gloria. Ergo Messias templum ingredietur.

**476.** Dices 1.°—Malachias loco laudato non loquitur de Messia; nam ille, de quo ibi sermo est, veniet modo terribili; et sacrificium Iuda et Jerusalem accipiet, prout ex vv. sequentibus eruitur. Messias vero nec veniet modo terribili, nec accipiet sacrificium Juda et Jerusalem, sed novum instituet. Ergo.

*Resp. N. Assert.,* neque probationes rem evincunt; nam aut vocatur terribilis secundus Messiae adventus, qui certe erit talis, aut primus dicitur terribilis judaeis aliisque pervicaciter verum Messiam sufficienter illis propositum abjicientibus. Deinde v. 4, sacrificium Deo placens est novum a Messia institutum secundum ea, quae cap. I dicuntur.

**477.** Dices 2.°—Aggaeus Messiam venturum non praenuntiat; nam ubi in Vulgata legitur *veniet desideratus cunctis gentibus*, secundum textum hebraeum, septuaginta aliasque versiones legen-

dum esset, *venient pretiosa omnium gentium;* id enim requirit verbum in plurali, necnon significatio vocabuli, quod pro latino *desideratus* habetur. *Pretiosa* autem *omnium gentium* non sunt Messias.

*Resp. N. Assert.* et ejus *Prob.* Etenim si *desideratus cunctis gentibus* non significaret Messiam, secundum adversariorum interpretationes aut significaret gentes ad Messiam aut ad cultum veri Dei conversas, aut divitias et dona a gentibus allata. Jam vero primo non significat gentes ad Messiam conversas, quia *veniet desideratus cunctis gentibus* cum gloria templi hierosolymitani connectitur, prout contextus requirit; conversio autem gentium ad Messiam nihil ad gloriam templi hierosolymitani conducit, quum gentes conversae ad Christum illi templo nihil contulerint.

Deinde non significat divitias et dona a gentibus conversis in templum allata; nam hujusmodi dona nulla sunt, sed gentes conversae ad Ecclesiam a Messia fundatam dona attulerunt. Nec significat dona a gentibus non conversis oblata, quia propter dona ab infidelibus oblata non decet *Deum commovere coelum, et terram, et mare et aridam*, neque ratione illorum extollenda gloria templi restaurati prae salomonico. Item nec potest significare ethnicos conversos ad cultum veri Dei ante Christum; quia hi respective fuerunt pauci, neque ex cunctis gentibus, et ideo neque ex illis, neque ex eorum donis intelligitur major gloria templi. Postremo *desideratus cunctis gentibus* non potest significare opes et dona allata ad templum instaurandum; nam propter hujusmodi dona et ornatus non apparet, cur Deus commoveat coelum et terram, et mare, et aridam. Insuper secundum hanc explicationem gloria templi restaurati repetenda esset ex opibus et ornamentis, quibus templum salomonicum superaret. Hoc vero stare non potest; quia templum post captivitatem constructum, etiam prout ab Herode fuit adornatum, nunquam ad magnificentiam et splendorem templi salomonici pervenit. Haec ex his, quae de primo templo traduntur *III Reg. V* et sq., *II Paral. II* et sq. et *I Par. XXII*, recte inferuntur, si comparantur cum iis, quae de templo decorato ab Herode tradit *F. Josephus*, Ant. l. 15, c. 11. Accedit quod ad splendorem primi templi multum faciebant arca et tabulae foederis, *Urim* et *Thummim* (*Exod. XXVIII,* 30, *Lev. VIII,* 8), virga Aaron, ignis coelestis, oleum divinae unctionis, praesentia divinitatis et spiritus prophetiae, quae omnia quidem in templo restaurato defuerunt.

Ex dictis proinde concludendum est *desideratus cunctis gentibus* significare Messiam; nam aliae opiniones, quibus aliqua verisimilitudo tribui posset, rejiciendae videntur.

Ad ea vero quae in contrarium objiciuntur, jam supra responsum est ad illud de verbo plurali. Praeterea, licet ignoraretur omnino cur verbum sit in plurali, non ideo inficiandum esset subjectum verbi significare Messiam, nam aliter contextus non bene concordat. Ad aliud de significatione vocabuli, quod in hebraeo pro latino *desideratus* invenitur, dicendum est vocabulum illud omnino significare *desiderium*, et inde etiam objectum desiderii seu *rem desiderabilem;* quocirca vocabulum illud ad Messiam significandum ex contextu bene aptari potest.

**478.** Dices 3.° Dicitur v. 9: *Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum.* Ergo gloria templi restaurati non est repetenda ex adventu Messiae, sed ex auro et argento.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Nam templum restauratum ratione opum et ornamentorum ad gloriam templi salomonici nunquam pervenit; et ideo gloria templi post captivitatem ex argento et auro non est aestimanda. Quamobrem, quum Deus dicit *meum est argentum, meum est aurum,* secundum contextum hoc videtur significare, sc. quamvis ego ut Dominus omnis argenti et auri, his metallis templum summe ornare possem, nihilominus non inde maximam templo restaurato gloriam attributam volo.

**479.** Dices 4.°—Aggaeus loquitur de templo a Zorobabele aedificato. Atqui Messias hoc templum non est ingressus, sed aliud ab Herode constructum, Ergo Aggaeus de ingressu Messiae in templum non loquitur.

*Resp. D. Maj.:* Aggaeus loquitur de templo zorobabelico, sed considerato quatenus erat templum hierosolymitanum et unicum judaeorum, *C.;* aliter, *N.* et *Trans. Min. N. Cons.* Aggaeus loquitur de templo veluti si semper fuisset unum idemque, sed cum diverso ornatu et gloria. Unde v. 4 habetur *qui vidit domum in gloria sua prima,* ubi gloria templi in prima aetate tribuitur templo in posteriore aetate; et v. 10 secundum textum hebraicum verti potest *magna est gloria* domus istius *novissima plusquam prima,* et sic eidem domui *gloria novissima* et *prima* tribuitur. Et recte quidem hierosolymitanum templum in diversa aetate unum idemque considerari potuit; quia semper fuit aedificatum in eodem loco, modo simili et ad eumdem scopum. Aggaeus igitur judaeos ad templum aedificandum excitat, quia templum illud in posteriore aetate, quam in prima gloriosius erit. *Trans. Min.* quia Herodes ita templum instaurasse videtur, ut non simul totum vetus dirueret, et deinde novum aedificaret, sed per partes unum destrueret, et alterum poneret; quocirca novae constructiones templo praexistenti accedebant, et

veluti unum moraliter cum illo constituebant. Unde sicut corpus humanum, licet per partes totum mutetur, semper idem existimatur; similiter templum ab Herode instauratum videtur idem moraliter existimandum cum Zorobabelico. Vide *Wilmers*, De rel. rev., l. 3, c. 3, a. 2, n. 395.

**480.** Dices 5.°—In v. 7 dicitur: *Adhuc unum modicum est.* Ergo ea quae praenuntiantur paulo post eventura sunt. Atqui Messias non venit paulo post. Ergo ibi non est sermo de Messia.

*Resp.* Deus est, qui dicit *Adhuc unum modicum*, et apud Deum *mille anni* sunt *sicut dies unus (II Petr. III*, 8). Praeterea tempus usque adventum Messiae modicum erat respectu temporis, quod a primis Messiae promissionibus transierat.

## ARTICULUS V

### Jesus Christus est verus Messias judaeis promissus

**481.** *Praemitt.* In articulis superioribus quinam sint characteres et circumstantiae veri Messiae ostensum est. In praesenti illi characteres et circumstantiae cum vita Jesu Christi et cum societate, quae ab eo originem ducit, conferenda, ut illum esse verum Messiam eluceat.

#### Thesis I.

#### Jesus Christus est verus Messias.

Nota.—Ea quae ad Jesum Christum spectant, ut clariore modo comparatio instituatur, ad haec capita reducam, sc.: ad genealogiam et nativitatis locum, characteres personales, munia, passionem, resurrecctionem, regnum spirituale et tempus adventus. Thesis posita theologice est de fide, sed etiam mere philosophice et historice considerata est certa, non quidem ex singulis prophetiis, verum ex complexu plurium.

**482.** *Prob.* Hoc ita est, si omnia quae de Messia praedicta sunt, Jesu Christo conveniunt. Atqui ita est. Ergo.

*Prob. Min.* I. *De genealogia et loco nativitatis.* Messias nasciturus erat ex semine Abraham, Isaac et Jacob (n. 366 et sq.;

*Gen.* XII, 2, 3; XVIII, 17, 18; XXII, 16 et sq.; XXVI, 4; XXVIII, 13, 14); ex stirpe David (n. 373; *Jer.* XXIII, 5; *Is.* XI, 1); ex Virgine (n. 374; *Is.* VII, 14); in urbe Bethlehem (n. 372; *Mich.* V, 2 et sq.). Haec autem omnia Jesu Christo mirifice conveniunt: fuit ex semine Abraham, Isaac et Jacob, ex stirpe David, natus est Bethlehem ex Virgine, ut testatur *Matth.* I, II. Vide etiam *Luc.* III, 32, 34; *Matth.* XX, 30; XXI, 9 etc.

**483.** II. *Quoad varias notas a*) Messias caput serpentis contriturus erat (n. 367; *Gen.* III, 15); et manifestandus mitis, humilis, placens Deo, accipiens spiritum Dei, (n. 382; *Isa.* XLII, 1 et sq.; LXI, 1); afferens justitiam et pacem (n. 393; *Psal.* LXXI; *Isa.* IX, 6, 7; *Jer.* XXIII, 5-6, etc.); lumen gentium (nn. 392 et 408: *Isa.* XLII, 6; XLIX, 6, etc.), servus Jahve (n. 408: *Isa.* XLII, 1-9; XLIX, 3, 5, 6; L, 10; LII, 13 et sq.). Denique ingressurus erat Jerusalem pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinae (n. 382; *Zach.* IX, 9-10). Haec omnia in Jesu Christo evenerunt; contrivit caput serpentis (*Matth.* XII, 28; *Joan.* XII, 31; vide dicta nn. 317, 324); fuit mitis et humilis (*Matth.* XI, 29; XIX, 14 etc.); placuit Deo et hujus spiritum habuit (*Matth.* III, 16, 17; *Marc.* I, 10, 11; *Luc.* III, 22); attulit justitiam (*Matth.* V; XIX, 17; *Marc.* X, 19; *Luc.* XVIII, 20); et pacem (*Luc.* II, 14; *Matth.* XIV. 27; *Joan.* XIV, 27; XX, 19, 21, 26; *Luc.* XXIV, 36; *Act.* X, 36; *Ephes.* II, 14, etc.); fuit lumen gentium (*Luc.* II, 32; *Joan.* I, 9; VIII, 12; IX, 5 etc.); servus Jahve; nam saepe dixit se venisse ut faceret voluntatem Patris, eamque fideliter adimpleret (*Joan.* IV, 34; VI, 38; VIII, 29; *Hebr.* X, 7); denique ingressus Jerusalem pauper et ascendens super pullum (*Matth.* XXI, 5; *Marc.* XI, 7 et sq.; *Luc.* XIX, 35 et sq.; *Joan.* XII, 14).

*b*) Messias praecursorem habiturus erat (n. 391; *Mal.* III, 1), vocandus filius hominis (n. 422; *Dan.* VII, 17); salutem allaturus (*Isa.* XLIX, 6, *Zach.* IX, 9, etc.); multa miracula patraturus (n. 423: *Isa.* XXXV, 5, 6). Jam vero Joannes Baptista fuit praecursor Jesu Christi, ut ipse testatur his verbis, *Joan.* III, 28: *Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum.* (Vide etiam *Luc.* I, 76; III, 2 et sq.; *Joan.* I, 23, 29, 34, 36; *Matth.* XI, 2 et sq.; *Luc.* VII, 19 et sq.) Vocabatur filius hominis; saepe enim se ipsum ita vocat (*Matth*, VIII, 20; IX, 6; XVI, 13, etc.) Attulit salutem, ut dicitur, *Joan*, III, 17: *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* (Vide etiam *Matth.* I, 21; *Luc.* II, 11; *Act.* IV, 12 etc.) Denique multa miracula patravit, ut constat ex cap. praecedenti. (Vide *Matth.* XI, 4, 5; *Luc.* VII, 21, 22.)

*c*) Messias futurus erat filius Jahve (n. 419; *Psal.* II, 7); et verus Deus (n. 414 et sq.; *Isa.* IX, 6; *Mich.* V, 2; *Mal.* III, 1). Et Jesus Christus fuit filius Dei, ut testatur ipse Deus (*Matth.* III, 17; XVII, 5), angelus Gabriel (*Luc.* I, 31), Petrus (*Matth.* XVI, 16), Joannes Baptista (*Joan.* I, 34), Nathanael (*Joan.* I, 49) etc. Fuit quoque verus Deus, ut constat ex *Joan.* I et ex multis aliis locis N. T. (Vid. Tract. De Verb. div. Incarn. d. 2, a. 1, et append.)

**484.** III. *Quoad munia.* Messias futurus erat rex spiritualis (n. 400; *Psal.* II, LXXI, *Isa.* IX, 6, etc.); item legislator, imo novum foedus aeternum instituturus (n. 402 et sq. et n. 406; *Deut.* XVIII, 15; *Is.* XLII, 1-6; *Jer.* XXXI, 31 et sq.); propheta (n. 407; *Deut.* XVIII, 15 et sq.); denique sacerdos (n. 420; *Psal.* CIX). Jam vero Jesus Christus haec omnia habuit, quod quidem generatim colligitur ex *Matth.* XI, 27, ubi legitur: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo;* et XXVIII, 18: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* Atqui hoc ipsum testatur universalis et constans christianorum traditio. Praeterea speciatim de singulis ostenditur.

*a*) *Fuit rex spiritualis.* Nam ipse Christus hoc fatetur, (*Matth.* XXVII, 11; *Marc.* XV, 2; *Luc.* XXIII, 3), et speciatim indicatur apud Joan. XVIII, 36, 37, ubi scribitur: *Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer judaeis: nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis quia rex sum ego.* Et angelus de Jesu Christo dixit Mariae, *Luc.* I, 32, 33: *Hic erit magnus, et Filius altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus: et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Vide etiam I *Cor.* XV, 25 et sq.; *Hebr.* II, 8.

*b*) *Fuit legislator.* Hoc sequitur ex eo, quod sit rex spiritualis supremus. Speciatim apud *Matth.* V, 22 et sq., legitur Jesum Christum exercuisse potestatem legislativam; ergo est legislator. Item *Matth.* XXVIII, 20, dicitur: *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Et *Joan.* XIV, 21: *Qui habet mandata mea, et servat ea: ille est, qui diligit me.* Imo Novum Testamentum seu foedus instituit (*Matth.* XXVI, 28; *Marc.* XIV, 24; *Luc.* XXII, 20; II *Cor.* III, 6; *Hebr.* IX, 15); et aeternum quidem, prout eruitur ex *Matth.* XXVIII, 20; *Hebr.* XIII, 20, etc.)

*c*) *Fuit propheta.* Ut probabitur in articulo proximo multa vaticinia edidit, ac proinde erat propheta. Praeterea, *Matth.* XXI, 11, traditur: *Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta a Nazareth Galileae.* Item vocatur *propheta magnus, Luc.* VII, 16;

*vere propheta, qui venturus est in mundum, Joan.* VI, 14, etc.

*d) Fuit sacerdos.* Ipse Jesus Christus *Psal.* CIX sibi applicat., *Matth,* XXII, 42 et sq.; hoc ipsum facit Petrus, *Act.* II, 34, 35. S. Paulus, ad *Hebr.* saepe de Christi sacerdotio agit, praesertim in capitibus VII et VIII.

**485.** *Quoad passionem et mortem.* Messias (n. 426 et sq.: *Isa.* LII, 13—LIII, 12) existimandus erat ut abjectus et veluti infimus virorum, despiciendus et subjiciendus molestiis, vexationi, doloribus, livori; iniquo judicio condemnandus, vulnerandus, inter sceleratos reputandus et occidendus; atque haec omnia tacens et tanquam agnus passurus erat. Praeterea (n. 434; *Psalm.* XXI) habendus erat ut vermis, opprobrium hominum et abjectio plebis; inimici ejus ironice in eum dicturi erant: *Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum;* debebat deficere viribus et ejus ossa disjungi (v. 15), et dinumerari (v. 18); vehementi siti afficiendus (v. 16), manus et pedes ejus confodienda ac vestimenta dividenda et per sortem obtinenda. Praeterea Messias traditurus erat (n. 440; *Isa.* L, 6) suum corpus percutientibus, genas suas vellentibus et faciem suam ab increpantibus et conspuentibus non aversurus; aestimandus triginta argenteis projiciendis in templo (n. 440; *Zach.* XI, 12, 13); transfigendus (n. 440; *Zach.* XII, 10); denique occidendus (n. 440; *Dan.* IX, 26).

Omnia autem haec in Jesu Christo adamussim evenerunt prout ex his, quae ab Evangelistis (*Matth.* XXVI, XXVII; *Marc.* XIV, XV; *Luc.* XXII, XXIII; *Joan.* XVIII, XIX) de ipsius passione narrantur, eruitur. Speciatim fuit venditus triginta argenteis, postea in templo projectis (*Matth.* XXVI, 14 et sq., XXVII, 5); fuit habitus ut vilis et abjectus, et contumeliis et opprobriis maximis affectus; nam Barabbae, homini sceleratissimo fuit postpositus (*Matth.* XXVII 15 et sq.; *Marc.* XV, 6 et sq., etc.), et veste alba indutus tanquam stolidus per Herodem (*Luc.* XXIII, 11); consputus, alapis aliisque modis percussus, varie derisus et vexatus (*Matth* XXVI, 67, XXVII, 28 et sq.; *Marc,* XIV, 65, XV, 16 et sq.; *Luc.* XXII, 63 et sq.; *Joan.* XIX, 2, 3); condemnatus injuste (*Matth.* XXVI, 59 et sq., XXVII, 1, 24 et sq.); vestimenta ejus et divisione et sorte inter milites distributa (*Matth.* XXVII, 35; *Marc.* XV, 24; *Luc.* XXIII, 34; *Joan.* XIX, 23 et sq.); manus et pedes perforati (*Matth.* XXVII, 35; *Marc.* XV, 24 etc.); cum sceleratis reputatus (*Matth.* XXVII, 38; *Marc.* XV, 27 et sq.; etc.); praetereuntes, principes sacerdotum et scribae ei ironice dicebant: *Salva temetipsum... liberet nunc, si vult eum* (*Matth.* XXVII, 40, 43; *Marc.* XV, 29 et sq.; *Luc.* XXIII, 35 et sq.); sitivit

(*Joan.* XIX, 28); omnia patienter sustinuit, nulla enim querela de eo narratur, et crucifigentibus parcit (*Luc.* XXIII, 34); denique morte violenta spiritum emisit (*Matth.* XXVII, 50, etc.).

**486.** *Quoad resurrectionem et regnum messianicum. a) Quoad resurrectionem.* Messias resurrecturus erat (n. 442; *Psalm.* XV, 10); et Jesus Christus revera surrexit, ut constat ex supra disputatis.

*b) Quoad regnum messianicum.* Regnum messianicum, seu societas agnoscens Christum ut supremum caput et regem a tempore Christi jugiter extitit, et per universum orbem propagata est, et fere in omnibus gentibus cultis aliquando floruit et religio dominans fuit, ut ex historia notum est. Ipsa societas christiana ut certum tenet se in perpetuum duraturam. Quod vero in justitia et sanctitate sit fundata, liquet; nam fundatur in doctrina Christi, quae justa et sancta est, ut inferius exponetur. Atque ideo, quum justitia et sanctitas pacem afferant, regnum messianicum non potest non esse regnum pacis. Item per regnum Christi seu Ecclesiam omnes gentes bona spiritualia participant, atque ideo benedictio per Christum in omnes nationes credentes impertitur. Quod vero regnum ejusmodi praedictum fuerit ut messianicum, constat ex dictis n. 447 et sq.

**487.** VI. *Quoad tempus.* Messias juxta vaticinium Jacob, n. 455 et sq., exoriturus erat, antequam sceptrum seu suprema potestas auferretur e tribu Juda; et Jesus Christus apparuit, quum adhuc aliquod vestigium supremae potestatis in Juda remanebat, quod eruitur ex his, quae judaei contra ipsum Christum, Apostolos et Stephanum fecerunt (*Matth.* XXVI et XXVII; *Marc.* XIV, XV, etc.; *Act.* IV et sq.); illud autem vestigium paulo post ablatum est cum destructione templi et urbis.

Item Messias ingressurus erat templum hierosolymitanum secundum vaticinia Aggaei et Malachiae, ut dictum est n. 473 et sq., ac proinde illo stante venturus. Jesus Christus autem revera templum saepe ingressus est, ut Evangelistae testantur (*Matth.* XXI, 12; *Marc.* XI, 15; *Luc.* XIX, 45 etc.).

Postremo secundum Danielis vaticinium, ut ostensum est n. 462 et sq., adventus Messiae futurus erat intra 70 hebdomades annorum seu 490 annos, quorum initium *ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem* sumendum; quocirca anni illi jam transierunt, et Messias jam advenit. Et Jesus Christus jam abhinc fere duo millia annorum in mundum venit. Aliunde characteres, quos Daniel Messiae attribuit, nulli alii, nisi Jesu Christo accommodari queunt. Nam juxta Danielem Messias deleturus erat iniquitatem, adducturus justitiam, visionem et prophetiam completurus, ungendus ut sanctus sanctorum,

occidendus, pactum confirmaturus, atque hostiam et sacrificium abolituros; quae quidem omnia Jesu Christo perfecte conveniunt. Ipse enim iniquitatem delevit et justitiam adduxit (*Matth.* I, 21; *Act.* IV, 32; *Rom.* V, 15 et sq.; *Hebr.* X, 12, 14; etc.); visionem et prophetiam implevit, quum, ut ex dictis apparet, prophetiae V. T, eum respiciant; unctus est per summam sanctitatem, eo quod Filius Dei et Deus est, (n. 414); crucis supplicio occisus fuit; novum testamentum instituit, n. 484, *b*); denique hostiam et sacrificium abolevit, ut testatur Paulus, ad *Hebr.* VII et sq., et ex constanti christianorum traditione habetur. Praeterea Daniel adventum Messiae cum destructione templi et urbs Jerusalem connectit; et revera templum et urbis Jesusalem post quadraginta annos a morte Christi vastata et diruta sunt; atque ab eo tempore judaei nec templum, nec sacrificium habuerunt. Quare prophetiam Danielis in Christo fuisse impletam omnino dicendum, licet, qua ratione septuaginta hebdomades applicandae fuerint, ignoraremus.

**488.** Hac de causa aliqui auctores, ut *Caillard*, Jes. Christ. et les proph. mess. p. IV, cap. 17; *Tanquerey*, De vera relig. c. 2, a. 3, n. 238; *Egger*, Enchir. Theol. gen. s. 3, a. 2, n. 130, etc., postquam ostenderunt prophetiam Danielis esse messianicam et Christo aptari, de applicatione septuaginta hebdomadum non sunt solliciti. Auctores tamen generatim tempus praedictum Christo accommodare conantur, in quo multae sunt opiniones, ex quibus nonnullae jam refutatae sunt n. 469. Ex reliquis duae sunt verisimiliores et gravi fundamento nituntur, quae ibidem jam sunt indicatae.

Antequam illas breviter exponam, animadvertere oportet, quum Daniel dicit, v. 25: *Usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt;* hebdomades septem et sexaginta duas seu sexaginta novem non insinuari transituras usque ad Christi nativitatem, sed usque ad baptismum et publicam ipsius manifestationem. Ratio est, quia, ut ex vv. 26 et 27 colligitur, Christus hebdomada septuagessima et novum pactum erat confirmaturus, et occidendus; quod quidem si natus esset post hebdomades sexaginta novem non esset possibile, quum Christus ad aetatem virilem, ad quam perventurum esse indicatur per *confirmationem pacti*, pervenire non potuisset.

Jam hoc animadverso, una ex duabus sententiis, quam fuse defendit *Legrand*, De Incarn. diss. 2, a. 2, et indicat *Bossuet*, Discour. sur l'hist. univ. p. 2, c. 9, quamque communius recentiores amplectuntur cum *Pesch*, Inst. Propaed. n. 238 et sq.; *Lambrech*, Domonst. Christ. p. post. c. 2, a. 1; *Corluy*, Spicileg. Dogm. bibl.; *Van Noort*

De ver. relig. n. 159; *Broglie,* Proph. messian., cinq. confer., etc., statuit initium hebdomadum a decreto lato ab Artaxerxe Longimano, anno vigesimo regni sui esse sumendum. Nititur haec sententia in hoc, quod Artaxerxes anno vigesimo regni revera decretum tulit, quo conceditur facultas Jesusalem reaedificandae cum plateis et muris, ut ex II *Esd.* II eruitur; et aliunde chronologiae repugnare non ostenditur. Haec sententia quod ad decretum Artaxerxis attinet, optime consentit cum prophetia; sed in chronologia aliquam patitur difficultatem. Etenim juxta communiorem inter chronologos sententiam Artaxerxes Longimanus anno 465 vel 464 ante aeram christianam regnare coepit: unde annus vigesimus erit 445 vel 444. Unde si ab anno 445 vel 444 ante aeram christianam incipiamus numerare septuaginta hebdomades Danielis vel 490 annos, haec habentur: annus nativitatis Christi, quum haec quatuor annis ante aeram christianam collocari soleat, erit anno 440 vel 441 ex illis 490; quocirca baptismus Christi et initium vitae publicae ponenda sunt anno 470 vel 471; Christus enim baptizatus est et vitam publicam incepit, quum esset *quasi annorum triginta,* ut tradit *Luc.* III, 23. Et ideo ejus mors evenisset anno 473 vel 474. Haec vero non concordant cum chronologia; nam Christus juxta prophetiam in ultima hebdomada, et ideo non ante annum 483, vitam publicam peracturus et moriturus erat; et si computatio fiat collocando nativitatem Christi anno 440 vel 441, vita ejus publica et mors perficiuntur in hebdomada sexagesima octava, quae finitur anno 476.

Verum patroni hujus sententiae cum *Wilmers*, De rel. rev. l. 3, c. 3, a. 2, n. 395, tenent regnum Artaxerxis jam incepisse anno 474, quia plures annos cum Xerxe, patre suo, simul regnavit. Hoc non habetur expresse in aliquo documento historico, sed ex variis factis historicis inter se collatis deducitur. At, etiam hoc concesso, annus vigesimus regni Artaxerxis incidet in annum 454 ante aeram christianam; et quum Christus natus sit quatuor annis ante aeram christianam, nativitas Christi fuisset anno 450 ab anno vigesimo Artaxerxis. Jam vero si ex septuaginta annorum hebdomadis Christus natus est anno 450, si huic adduntur anni triginta ut ad vitam Christi publicam perveniamus, in 480 venimus, et mors Christi fuisset 483, et ideo non dimidia ultima hebdomada, sed ipsius initio. Verumtamen error non est nisi trium vel quatuor annorum, qui re ipsa pro nihilo habendus est in computatione 490 annorum, quum nec chronologia regum persarum sit omnino certa, neque annus nativitatis Jesu Christi prorsus compertus.

Altera sententia probabilis tenet initium septuaginta hebdomadum

a decreto lato anno septimo Artaxerxis sumendum. Hoc inter alios defendunt *Hooke,* De vera rel. p. 2; *Knabenbauer,* In Daniel.; *Tepe,* De vera rel. n. 187 et sq.; *Memain,* Revue Apol. 1905, plures auctores pro hac opinione memorans; *Mir,* La Profec. l. 2, c. 8; *Michelitsch,* Demonst. Christ. q. 7, c. 1, a, 1, etc. Fundamenta sunt:

1.° quia Artaxerxes, anno septimo regni dedit potestatem Jerusalem cum muris restaurandae. Nam *a)* juxta regis edictum (I *Esd.* VII) Esdras omnem petitionem obtinuit (v. 6), potestatem constituendi judices et praesides pro omni populo (v. 25), quicumque voluerit de populo Israel proficisci Jerusalem poterat (v. 13), et argentum et aurum non solum ad victimas pro sacrificiis emendas concessa (v. 17), sed etiam ad id quod placuerit (v. 18). Haec autem omnia non rite explicantur, nisi concessa fuerit facultas Jerusalem cum muris reconstruendae. *b)* Esdras (IX, 9) dicit Deum inclinasse regem persarum, ut sublimaret domum Dei nostri, *et exstrueret solitudines ejus et daret nobis sepem in Juda et Jerusalem.* Jam vero *exstruere solitudines ejus* nequit referri ad exstructionem templi, quod jam ab anno sexto Darii (VI, 15) completum erat, sed urbis Jerusalem; et *dare sepem in Juda et Jerusalem* non potest significare, nisi reparare muros Jerusalem. *c)* Nuntiatum fuit Nehemiae (II *Esd.* I, 3) tanquam quid recens muros Jerusalem fuisse dissipatos et portas igni combustas, et propterea Nehemias multis diebus flevit et luxit. Haec non rite explicantur, nisi edicto anni septimi jam muri aliquatenus reparati fuissent. *d)* Judaei revera Jerusalem et muros instaurare coeperunt (I *Esd.* IV, 12 et sq.), et non videntur ausi id tentare sine regia facultate; et licet rex prohibuerit, non eos reprehendit, quod sine venia fecerint.

2.° Haec sententia chronologiae perfecte congruit; etenim annus septimus Artaxerxis Longimani est 458 vel 457 ante aeram christianam, et quum Christus natus sit quatuor annis ante hanc aeram, ejus nativitas evenit 454 vel 453. Si his annis addantur triginta transacti a nativitate ad vitam publicam, incidimus in 483 vel 484, i. e. in initium hebdomadae septuagesimae; quibus si addantur tres anni cum dimidio vitae publicae, habetur 486 vel 487, h. e., dimidium ultimae hebdomadis; atque ideo tempus prophetiae adamussim respondet.

In priore sententia decretum urbis cum muris reparandae clarius habetur quam in postrema; haec tamen cum chronologia melius consentit.

**489.** Dices 1.°—Licet prophetiae conveniant Jesu Christo, forte etiam alteri accommodari possint, et sint plures Messiae.

*Resp, N. Assert.* Nam *a*) Prophetias messianicas Jesu Christo

convenire ostensum est, alteri vero etiam convenire ostendi non potest.

*b*) Messias futurus erat rex spiritualis, cujus imperium esset universale et perpetuum. Imperium autem universale et perpetuum multiplicari nequit.

*c*) Si attente conferantur prophetiae messianicae, apparebit antiquiores per posteriores declarari, et omnes esse adimplendas per aliquem ex stirpe Judae et Davidis ortum, qui regnum aeternum et universale in pace, justitia et sanctitate fundatum afferet, ac proinde omnes unicum Messiam requirunt. Speciatim Isaias in omni loco, ubi de Messia agit, aliquos ponit characteres, quibus colligitur constanter agere de illo ut de unica persona.

*d*) Daniel IX, 24, indicat in uno Christo omnes prophetias esse implendas, atque ideo omnes eamdem personam respicere.

*e*) Postremo prophetiae messianicae conveniunt Jesu Christo aut fortuito, aut quia prophetae ex divina inspiratione illum designare intenderunt. Primum dici nequit; nam characteres designati a diversis prophetis et temporibus distantibus, si fortuito prolati essent, non conjungerentur in eadem persona; talis etenim conjunctio et concursus est moraliter impossibilis, et esset effectus sine causa sufficienti. Sin alterum dicatur, tum eo ipso prophetae ex divina inspiratione moti sunt ad personam Jesu Christi designandam, et ideo unicum Messiam vaticinati sunt.

**490.** Dices 2.°—Joannes Baptista dubitavit, utrum Jesus Christus esset Messias, et ideo duos discipulos (*Matth.* XI, 2 et sq.) ad investigandum mittit. Item Doctores judaeorum non illum cognoverunt. Ergo Jesus Christus non est Messias, secus enim nec Joannes dubitasset, nec sapientes inter judaeos illum ignorassent.

*Resp. N. 1.am* p. *Ant.* et *Cons.* Joannes Baptista de Christo ut Messia nullatenus dubitavit, et de illo ut de Messia testimonium saepe dedit, ut eruitur ex *Matth.* III, 11 et sq.; *Joan.* I, 26 et sq., etc. Nec postea occasionem dubitandi habuit, quum Jesus Christus suis miraculis magis magisque manifestaretur ut verus Messias. Misit vero duos discipulos ad Christum, non quod ipse dubitasset, sed ut discipuli et populus Jesum ut verum Messiam agnoscerent. Accedit quod post illam missionem Jesus Christus Joannem eximie commendavit et laudavit (*Matth.* XI, 7 et sq.; *Luc.* VII, 24), quod certe non faceret, si defecisset a testimonio antea dato, et in dubium incidisset. *Tertull.* quidem De bapt. c. 10 (M, I, 1320) et Adv. Marc. l, 4, c. 18 (M, 2, 431), contrarium indicat; sed hac in re omnino deserendus est, nam illius sententia Scripturae non congruit, et aliis PP. contradicit.

Deinde quod ad judaeorum doctores attinet, eorum multi Jesum Christum ut verum Messiam non receperunt, partim quia falsum Messiae conceptum sibi formaverant, eumque expectabant non ut regem spiritualem coelestia et divina bona afferentem, sed ut regem terrenum potentissimum auctoremque prosperitatis et opulentiae temporalis; partim quia ob corruptos mores doctrinam sanctam Jesu Christi non capiebant, et contemnebant. Profecto, si sapientes judaei personam et opera Jesu Christi cum iis, quae prophetae de Messia vaticinati erant, contulissent, illum esse re ipsa Messiam perspexissent, prout ex supra disceptatis deducitur. Merito dixit Jesus Christus, *Joan.* V, 39: *Scrutamini Scripturas... illae sunt, quae testimonium perhibent de me.* Vide dicta n. 328.

## Thesis II.

**Messias, et ideo Jesus Christus, est legatus Dei, et religio ab eo fundata vera.**

**491.** Nota.—Legatus Dei hic sumitur pro illo, qui divina approbatione et auctoritate gaudet et agit. Quum probatum sit Jesum Christum esse unicum Messiam, quidquid de hoc dicatur, illi quoque tribuendum est.

*Prob, 1.ª* p. seu *Messias est legatus Dei.* 1.° Messias, quemadmodum ex supra disputatis constat, benedictionem omnibus gentibus est allaturus, ex virgine nasciturus, vocandus Emmanuel, futurus per excellentiam servus Deo placens, et rex justus, salvator, regnum universale et perpetuum habebit, eritque fons justitiae et pacis; legislator, propheta et sacerdos, spiritum Dei specialiter habiturus, lucem gentibus allaturus, novum foedus constiturus, multa miracula patraturus, etc. Atqui haec omnia Messiae convenire non possent, nisi esset legatus Dei, et ideo divinam approbationem haberet, atque Dei auctoritate ageret, praesertim erigere regnum universale et perpetuum, fundatum in justitia, sanctitate et pace non potest esse nisi opus Dei, aut saltem Dei auctoritate et favore effectum. Ergo Messias seu Jesus Christus fuit Dei legatus.

2.° Deus magnificis laudibus et commendationibus Messiam per prophetas praenuntiavit, ut ex superioribus articulis, et praesertim ex locis Isaiae, ubi de Messia vel regno messianico agitur, elucet. Atqui Deus Messiam ita praenuntiando eum approbat, ac ejus munera conformia divinae voluntati implicite declarat, atque ideo ex Dei auctoritate esse. Ergo.

*Prob. 2.ª* p. seu *religio a Messia fundata est vera.* 1.° Messias, ut in prima parte probatum est, approbatione divina gaudebat, et Dei auctoritate agebat. Atqui Deus, utpote infinite bonus et sanctus et verax, religionem falsam non potest approbare, nec sinere ejus auctoritate institui. Ergo.

2.° Messias allaturus erat lucem, justitiam, sanctitatem et pacem. Atqui haec per falsam religionem afferri nequeunt, ut per se manifestum est, quum falsa religio non lucem, sed tenebras, non justitiam et sanctitatem, sed injustitiam erga Deum, et pravos mores afferat. Ergo.

3.° Messias non modo erat legatus Dei, sed etiam verus Deus, ut supra ostensum est. Sed religio, cujus auctor est ipse Deus, nequit non esse vera. Ergo.

## ARTICULUS VI

### De vaticiniis a Jesu Christo editis

**492.** Nota.—Aliqui distinguunt inter prophetiam et vaticinium, et volunt hoc esse praedictionem eventus futuri, qui naturaliter cognosci nequeat, nec posse habere significationem tam amplam, sicut prophetiae tribui solet. Quidquid de hoc sit, in praesenti sumitur vaticinium pro prophetia strictissime tali juxta definitionem traditam n. 228. Vaticinia a Christo edita ad quatuor capita revocari possunt: alia enim ipsum Christum respiciunt, alia ejus discipulos, alia ruinam Jerusalem et judaeos, nonnulla denique Ecclesiam a Christo fundatam.

Thesis.

**Christus prophetias strictissime tales edidit, quibus ejus divina missio et veritas religionis ab eo fundatae demonstratur.**

Thesis non modo theologice, sed etiam historice et philosophice est certa, saltem si prophetiae considerentur non singillatim, sed copulatim.

*Prob. 1.ª* p. seu *Christus plures prophetias edidit.*

**493.** A)—Prophetias ipsum Christum respicientes.

*a) De ejus passione et morte.* Scribitur apud *Marc.* X, 33 et sq.: *Et filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus: et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum.* Vide etiam *Matth.* XVI, 21, XVII, 21, XX, 18; *Marc.* VIII, 31, IX, 30; *Luc.* IX, 22, 44; XVIII, 32.

*b) De Christi resurrectione, Joan.* II, 18, dicitur: *Responderunt ergo judaei, et dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia haec facis? Respondit Jesus, et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo judaei: Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus quia hoc dicebat, et crediderunt Scripturae, et sermoni, quem dixit Jesus.* Vide etiam *Matth.* XII, 38 et sq., XVI, 4; *Luc.* XI, 29. Et *Matth.* XVII, 9: *Praecepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.* Idem vaticinium continetur *Marc.* X, 34, et in ceteris locis indicatis sub *a).*

**494.** B)—Prophetias discipulos respicientes.

*a) De proditione Judae, Matth.* XXVI, 21: *Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis quia unus vestrum me traditurus est.* Idem habetur *Marc.* XIV, 18; *Luc.* XXII, 21; *Joan.* VI, 65, 71, 72, XIII, 21.

*b) De discipulorum fuga, Matth.* XXVI, 31: *Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.* Vide etiam *Marc.* XIV, 27; *Joan.* XVI, 32.

*c) De Petri triplici negatione, Matth.* XXVI, 34: *Ait illi* (Petro) *Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* Idem vaticinium scribitur apud *Marc.* XIV, 30; *Luc.* XXII, 34; *Joan.* XIII, 38. Nec refert Marcum dicere antequam gallus *bis* cantet; nam τὸ *antequam* in omnibus Evangelistis ad cantum galli, qui sub lucis ortum evenit, se referunt; sed solus Marcus alium galli cantum, qui media nocte fit, indicat.

*d) De Mariae Magdalenae laude, Matth.* XXVI, 13: *Amen dico vobis, ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam ejus.* Vide *Marc.* XIV, 9.

**495.** C)—Prophetias ruinam Jerusalem et judaeos respicientes.

*a) De ruina Jerusalem cum variis adjunctis, Luc.* XIX, 43, 44,

dicitur: *Quia venient dies in te: et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te: et coangustabunt te undique: et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem...* Et XXI, 5 et sq.: *Et quibusdam dicentibus de templo quod bonis lapidibus, et donis ornatum esset, dixit: Haec quae videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur... Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum... Sed ante haec omnia injicient vobis manus suas et persequentur tradentes in synagogas, et custodias, trahentes ad reges, et praesides propter nomen meum... Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus... Et cadent in ore gladii: et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a gentibus...* Vide etiam *Matth.* XXIV, et *Marc.* XIII. In hoc postremo loco, v. 30, determinatur tempus destructionis Jerusalem his verbis: *Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio haec, donec omnia ista fiant.* Et eodem loco, v. 32, de tempore judicii finalis, de quo simul Christus locutus est cum destructione Jerusalem, dicit: *De die autem illo, vel hora nemo scit...*

*b) De reprobatione judaeorum, Matth.* XXI, 43: *Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.*

**496.** D)—Prophetias ecclesiam respicientes.

*a) De ecclesiae perpetuitate, Matth.* XVI, 18: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Et XXVIII, 19, 20: *Euntes ergo docete omnes gentes... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.*

*b) De praedicatione evangelii per universum orbem, Matth.* XXIV, 14: *Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus...* Vide etiam *Luc.* XXIV, 47, et *Act.* I, 8.

**497.** *Prob. 2.ª p. seu prophetiae adductae sunt strictissime tales.* Ut haec pars ostendatur, necesse est patefieri prophetias allatas versari circa res futuras dependentes a libero arbitrio, et eas revera impletas esse.

*a) Prophetiae allatae sunt de re futura libera seu contingente.* Sufficit memoratas prophetias perpendere ut hoc appareat; etenim resurrectio Christi a libera Dei voluntate pendebat, et cetera aut ab humana voluntate, aut ab hac simul cum speciali Dei cooperatione sive per favorem, sive per vindictam. Praeterea omnia illa fuerunt

praedicta, antequam evenirent, eo modo, quo naturaliter cognosci non poterant; nec Christus ea praenuntiavit conjecturaliter, sed modo certo et circumstantias determinando.

*b) Prophetiae allatae adimpletae sunt.* Christus vere resurrexit, ut d. 2, c. 1, a. 2, ostensum est, et passionem et mortem sustinuit, sicut praedixerat, ut Evangelistae testantur. Deinde Judas suum Magistrum tradidit (*Matth.* XXVI, 47 et sq.), discipuli fugerunt (*Matth.* XXVI, 56), Petrus Jesum ter negavit (eodem loco vv. 69 et sq.), Maria Magdalena per universum orbem laudatur ratione obsequii Christo delati; nam Evangelium ubique legitur.

Rursus ante destructionem Jerusalem discipuli Christi varie vexati sunt, ut testantur Actus Apostolorum, surrexerunt multi pseudoprophetae, ut constat ex *Fl. Josepho,* De bell. jud, l. 6, c. 5, nn. 2 et 3; maxima judaeorum pars interempta, alia pars capta et in diversas provincias missa fuit, ut ex eòdem *Josepho,* eodem loco, c. 9, habetur; urbs et templum diruta sunt, ut dicit idem *Jos.*, De bell. jud. l. 7, c. 1, n. 1, his verbis: «Postquam vero neque quos occiderent, neque quod raperent, habebat exercitus... jubet Caesar totam funditus jam evertere civitatem et templum... Totum vero reliquum civitatis ambitum ita solo aequavere qui eum diruebant, ut ne quidem unquam habitatam fuisse vix fidem amplius faceret eo accedentibus.» Accedit quod reliquiae civitatis et templi, quae remanserant, tempore Hadriani et Juliani Apostatae amplius dirutae sunt.

Et haec ipsa prophetia etiam quoad tempus adimpleta est; evenit enim quadraginta annis plus minusve post mortem Christi, et ideo, quum generatio, cui Christus loquebatur, adhuc non praeterierat.

Postremo Ecclesiam a Christo fundatam, cujus caput es Romanus Episcopus, ex historia constat durasse usque ad praesens saeculum, et superasse maximas difficultates, ex quo recte inferri potest usque ad finem mundi permansuram. Evangelium vero per universum orbem modo morali fuisse praedicatum ex historiis ecclesiasticis liquet.

**498.** *Prob.* 3.ª p. *seu prophetiae a Christo editae ipsius divinam missionem et veritatem religionis ab eo fundatae demonstrant.* Nam prophetiae strictissime tales, quas Christus edidit, a solo Deo fieri possunt, ut constat ex disputatis supra de natura prophetiae. Ergo Christus edendo prophetias, fecit opera propria solius Dei, seu talia, quae non potuisset facere, nisi a Deo accepisset.

Ergo Deus eo ipso missionem et doctrinam Christi probavit; nam quum prophetiae sint propriae solius Dei, sunt veluti sigillum, quo Deus sua auctoritate confirmat illud, cui apponatur; ac proinde tali sigillo firmavit missionem et doctrinam Christi, quibus illud saepe appositum fuit. Aliunde Jesus Christus suam missionem et doctrinam tradidit ut divinam, prout ex multis evengeliorum locis colligitur: sic, v. g. *Joan*, VII, 16 dixit: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Et XVI, 49: *Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, et quid loquar.* Speciatim Jesus vim prophetiae ad aliquid confirmandum declaravit, quum ad praedictionem de proditione Judae alludens, dixit, *Joan.* XIII, 19: *Amodo dico vobis, priusquam fiat: ut quum factum fuerit, credatis, quia ego sum.*

Quae hic contra Evangelistarum auctoritatem opponi possent, non adduco, quia ex supra disputatis de genuinitate Evangeliorum facile dissolvi possunt. Ibi tamen dictis addo Evangelium a S. Luca scriptum fuisse ante Actus Apostolorum; nam in his I, 1-2, ad Evangelium ut jam exaratum se refert. Actus vero Apostolorum videntur exarati ante mortem Pauli: tum quia ibi ad Paulum spectantia accurate describuntur, et ideo ejus postremum tempus et martyrium non tacerentur, si jam evenissent; tum quia ex modo narrandi ibi describi res adhuc recentes apparet. Unde Evangelium Lucae exaratum est ante mortem Pauli et excidium Jerusalem, quo rationalistis contrarium asserentibus respondetur, et magis elucet vis vaticinii de destructione Jerusalem prout a Luca recensetur. Vide *Cornely*, Introd. spec. in N. T. disp. 1, s. 1, c. 1, § 4, q. 4.

**499** Dices 1.°—Vaticinia a Christo edita jam in prophetis V. T. continebantur. Ergo Christus vaticinia proprie non edidit.

*Resp. Trans. Ant.* et *N. Cons.* Imprimis plura vaticinia fecit Christus, ut de negationibus Petri, de laude Mariae Magdalenae, etc. quae in V. T. non adsunt. Deinde illae etiam prophetiae in V. T. contentae, ut de passione, morte et resurrectione ipsius, a Jesu Christo praenuntiatae sunt cum novis circumstantiis, quae in V. T. non aderant, et naturaliter sciri non poterant. *Trans. Ant.*: tum quia si vaticinia V. T. adimplebantur in Jesu, eo ipso hic ostendebatur verus Messias, missus a Deo et auctoritate divina in sua doctrina et operibus gaudens; tum quia ex vaticiniis V. T. non constabat, quo tempore et quibus circumstantiis illa implenda erant.

**500.** Dices 2.°—Si Christus suam passionem, mortem et resurrectionem aperte praenuntiasset, Apostoli id intellexissent. Atqui non intellexerunt, ut testatur *Luc.* XVIII. 34. Ergo.

*Resp. N. Maj.* Obstabat enim quominus eas praedictiones intelligerent, praeconcepta eorum opinio, qua putabant Christum seu Messiam nunquam moriturum, ut indicatur *Joan.* XII, 34. Unde verba Christi de futura ipsius passione, morte et resurrectione, licet clara, ab Apostolis in sensus improprios detorquebantur.

# CAPUT III

## De ceteris criteriis quibus veritas religionis christianae comprobatur

### ARTICULUS I

### Veritas religionis christianae ex vita et auctoritate Jesu Christi

**501.** Nota 1.°—Vita, saltem quatenus doctrinae est effectus, ad criteria interna, ut ex supra dictis eruitur, reducitur. Auctoritas hic sumitur pro valore testimonii in favorem missionis divinae et doctrinae ut verae. Auctoritas haec eo est major, quo major est sapientia et sanctitas loquentis seu testificantis. Criterium in hac auctoritate fundatum, quatenus a doctrina dependet, ad criteria interna revocandum est. Haec criteria, licet non primaria, ad veritatem vel falsitatem alicujus religionis perspiciendam juvant, et ideo convenienter adhibentur.

Nota 2.°—Vita et auctoritas Christi ex evangeliis et aliis scriptis canonicis N. T. desumetur, quorum genuinitas et valor, firme et solide in Introd. ad Script. ostenditur.

#### Thesis I.

**Vita Jesu Christi veritatem religionis christianae multum suadet.**

**502.** *Prob.* Vita Jesu Christi fuit sanctissima. Atqui vita sanctissima veritatem religionis, pro qua stat, valde suadet. Ergo. Sunt probanda major et minor.

*Prob. maj. A) Ex Evangeliis:* nam ex his constat Christum

officia erga Deum, alios homines et se ipsum perfectissime adimplevisse. Atqui perfectissima horum officiorum adimpletio vitam sanctissimam secum fert, ut est manifestum. Ergo.

*a') Christus perfectissime adimplevit officia erga Deum.* Etenim non suam voluntatem, sed Patris quaerebat (*Joan.* V, 30), hanc suum cibum vocabat (*Joan.* IV, 34), eamque semper implebat (*Joan.* VIII, 29), facientes voluntatem Patris habet ut matrem et fratres (*Matth.* XII, 50). Item hortabatur ad orationem (*Matth.* VI, 9; *Luc.* XXI, 36), et ad Deum amandum (*Matth.* XXII, 37). Ipse frequenter orabat (*Marc.* I, 35); et amore erga Deum Patrem accepit mortem violentam (*Joan.* XIV, 31), et fuit obediens usque ad tolerantiam supplicii crucis (*Philipp.* II, 8), et inter maximam animi tristitiam et angustiam dicebat Patri: *Non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matth.* XXVI, 39), et jam expirans dicebat (*Luc.* XXIII, 46): *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Unde Deo Patri merito dixit (*Joan.* XVII, 4): *Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.*

*b') Similiter officia erga alios homines.* Erga omnes affabilis et benignus se exhibebat: erga parvulos (*Matth.* XIX, 14), languidos (*Matth.* IV, 23), caecos, claudos, leprosos, surdos (*Matth.* XI, 5). Centurionem (VIII, 5), principes (*Matth.* IX, 18), peccatores (*Matth.* IX, 13), omnes laborantes ad se invitat (*Matth.* XI, 23), non venit ministrari, sed ministrare, et dare vitam pro hominibus (*Matth.* XX, 28), denique pertransiit benefaciendo (*Act.* X, 38). Fuit obediens matri (*Luc.* II, 51), potestati publicae subjectionem commendat (*Matth.* XXII, 21), tributum solvit (XVII, 26), neminem laesit, etiam pro crucifixoribus orat (*Luc.* XXIII, 34), vitia reprehendit, neminem adulatur (*Luc.* XXIII, 8), non quaerit lucrum (*Matth.* XIX, 21), aut aliud emolumentum temporale. Homines ad divina mandata servanda hortatur (*Matth.* XIX, 17, XXII, 37 et sq.), speciatim ad mutuam dilectionem (*Joan.* XIII, 34), ad benefaciendum etiam inimicis et ad omnem perfectionem (*Matth.* V, VI, VII).

*c') Erga se ipsum.* Non quarebat gloriam temporalem (*Joan.* VIII, 50), neque honores hominum (*Joan.* VI, 15), neque aliquid mali gessit, et merito potuit dicere: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (*Joan.* VIII, 46). Exercuit omnem virtutem: de charitate erga Deum et proximum dictum est sub *a')* et *b')*; humilitatem lavando pedes discipulorum (*Joan.* XIII, 5), et humili conversatione (*Matth.* XI, 29), castitatem et virginitatem perfectissimam, temperantiam et modestiam in omni sua actione, patientiam heroicam sustinendo ludibria et insultationes in sua passione, summam mansuetudinem sine

ulla iracundia inter tot injustas criminationes et calumnias, fortitudinem et constantiam invictam moriendo in cruce, etc.

**503.** B) *Ex aliis testimoniis.*

*a''*) S. Petrus judaeis dicit (*Act.* III, 14) *sanctum et justum* negavisse, et in I epist. II, 22 et sq., de Christo inquit: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste.* Et S. Joannes vocat eum *justum* (I epist. II, 29), et *sanctum* (III, 3), asseritque *in eo peccatum non esse,* et venisse ad opera diaboli dissolvenda (eodem loco vv. 5 et 8). Et S. Paulus Christi justitiam et obedientiam commendat (*Rom.* V. 18 et sq.), eumdemque appellat *pontificem sanctum, innocentem, impollutum, segregatum a peccatoribus, et excelsiorem coelis factum* (*Hebr,* VII, 26).

*b''*) *Ipsi inimici ejus sanctitatem confessi sunt.* Judas dicit *se tradidisse sanguinem justum* (*Matth.* XXVII, 4), et Pilatus semel et iterum declarat *se non invenisse causam damnationis* (*Luc.* XXIII, 4, 14, 22), eumque nominat *justum* (*Matth.* XXVII, 24), neque Herodes causam damnationis invenit (*Luc.* XXIII, 15), denique neque ipsi Pontifices aliam damnationis causam invenerunt, nisi quia se filium Dei faciebat (*Matth.* XXVI, 63 et sq.).

**504.** *Prob. Min. seu vita sanctissima veritatem religionis valde suadet.* Etenim vita sanctissima a doctrina intellectus dirigitur; doctrina autem falsa in vitium, injustitiam et immoderationem, saltem in aliquo genere, ducit, et sola veritas in moderationem et aequitatem. Vita igitur sanctissima nonnisi ex doctrina vera oritur. Deinde vita recta et sanctissima in doctrina morum recta et sancta fundatur; aliter enim mores non essent recti et sancti, saltem objective. Atqui doctrina morum recta et sancta notiones veras circa Deum, alios homines et se ipsum supponit; aliter enim Deo, ceteris hominibus et sibi metipsi, quod debitum est, tribui nequit. Ergo. Item Christus, si doctrinam falsam tradidisset, id fecisset aut scienter, aut ignorans. Si scienter, non esset sanctissimus; si ignorans, no esset sapiens, et tamen certe erat talis, ut in 2.ª thes. probabitur. Postremo eximia Christi sanctitas, praesertim ejus heroica patientia, mansuetudo et constantia tempore passionis naturaliter explicari nequeunt, et aliquid simile nunquam visum est, sed divino auxilio tribuenda sunt; Deus autem suum auxilium homini deceptori tribuere nequit, imo ne decepto quidem in iis adjunctis, quibus illud in hominum deceptionem duceret, ut evenisset in Chisto, si ejus doctrina non esset vera. Ergo.

## Thesis II.

**Auctoritas Jesu Christi veritatem religionis christianae multum suadet.**

**505**. *Prob. 1.°* Auctoritas Jesu Christi veritatem religionis christianae multum suadet, si Jesus Christus sit sanctus et sapiens, et testificatus sit suam missionem et doctrinam esse divinas. Atqui ita est. Ergo.

Major videtur manifesta; nam vir sanctus scienter non decipit, et vir sapiens nequit decipi in cognoscendo, utrum habeat missionem divinam et doctrinam a Deo acceptam, an secus, quum hoc ex testimonio propriae conscientiae et ex modo, quo doctrina acquisita est, haud difficile constet. Neque Christus deceptus est propter superbiam; nam semper se gessit humiliter, temperate et moderate, numquam jactanter; neque propter affectuum vehementiam; etenim constanter perfectum suorum affectuum dominium patefecit, nec passionis tempore inter tanta ludibria, calumnias, vexationes et tormenta aliquid immoderate egit, nullum impatientiae vel iracundiae signum dedit. Probanda igitur est minor.

*Prob. Min, quoad Christi sapientiam,* nam quoad sanctitatem jam supra probata est. Imprimis de illo adhuc puero dicit S. Lucas, II, 40, 47, 52: *Confortabatur plenus sapientia... Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus... Proficiebat sapientia.*. Deinde initio suae praedicationis tradidit octo beatitudines et multa alia sapientiae plena (*Matth.* V); ostendit multam sapientiam in parabolis proponendis, quarum authentia immerito et sine solido fundamento a nonnullis negatur. Turbae de ejus doctrina mirabantur (*Matth.* VII, 28); quum in synagogis patriae suae doceret, de illo dicebatur: *Unde huic sapientia haec, et virtutes?* (*Matth.* XIII, 54; *Marc.* VI, 1, 2; *Luc.* IV, 16 et sq.); et (*Joan.* VII, 46) *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Item calliditatem scribarum, pharisaeorum et sadducaeorum confundebat (*Matth.* XXII, 15-46; *Joan.* VIII, 3-12). Postremo ex dicendis in proxima thesi de ejus doctrina, sive speculativa sive practica, confirmabitur ejus admirabilis sapientia.

*Prob. Min. quoad aliam partem, seu testatus est suam missionem et doctrinam esse divinas.* Nam dixit se descendisse e coelo (*Joan.* III, 13), se esse Messiam (*Joan.* IV, 26) et Patrem ita alloquitur (*Joan.* XVII, 3): *Haec est autem vita aeterna: ut cognoscant te,*

*solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Saepe dicebat se missum (*Matth.* X, 40; XV, 24, etc.); quod certe ex adjunctis nonnisi de missione a Deo Patre accipi potest. Quare, si missio Christi est divina, eo ipso divina quoque est ejus doctrina, quum ratione suae missionis et muneris doceret et praedicaret. Atque etiam asserit expresse ad praedicandum se esse missum (*Marc.* I, 38; *Luc.* IV, 43). Postremo affirmat etiam aperte suam doctrinam a Deo esse: sic, v. g. dicebat (*Joan.* VII 16): *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Et (*Joan.* XII, 49): *Ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipsi mihi mandatum dedit quid dicam, et quid loquar.* Similia habentur aliis multis in locis. (*Joan.* VIII, 26, 38, 40, XIV, 24, XV, 15, XVII, 8).

**506.** 2.° Auctoritas Jesu Christi veritatem religionis christianae multum suadet, si testificatus est se esse Deum, et hoc testimonium recipiendum est. Atqui ita est. Ergo. *Major* est manifesta; nam si Christus fassus est se esse Deum, et hoc testimonium est verum, eo ipso ejus religio est vera. *Minor* igitur per partes probanda est.

*Prob. Min. a) Cristus se esse Deum testificatus est.* Dixit enim se esse unun cum Patre (*Joan.* X, 30), se operari et facere, quidquid Pater operatur et facit (*Joan.* V, 17, 19), esse honorificandum sicut Pater (*Joan.* V, 23), actu esse antequam Abraham fieret (*Joan.* VIII, 58), videre Filium esse videre Patrem (*Joan.* XIV, 9), eodem modo cognoscere Patrem sicut a Patre cognoscitur (*Matth.* XI, 27), ita esse Filium Dei ut ex adjunctis appareat sermonem esse de filiatione naturali (*Matth*, XVI, 16; *Luc*, XXII, 70), *sessurum a dextris virtutis Dei* (*Matth.* XXVI, 64), venturum in gloria Patris (XVI, 27). Item alia plura dixit hoc ipsum indicantia, ut se habere potestatem immutandi legem Moysi, omnia illi a Patre esse tradita (*Matth.* XI, 27), habere omnem potestatem in coelo et in terra (*Matth.* XXVIII, 19), posse suscitare mortuos (*Joan.* V, 21), esse resurrectionem et vitam (*Joan.* XI, 25), viam et veritatem (*Joan.* XIV, 6), esse majorem templo, Salomone (*Matth.* XII, 6, 42), dominum sabbati et angelorum (*Matth.* XII. 8, XIII, 41), et Davidis, ac eumdem esse de quo loquitur Psalm. CIX (*Matth.* XXII, 44), venturum esse ad omnes gentes judicandas (*Matth.* XXV, 31 et sq.), etc.

*b*) *Testimonium Christi testantis se esse Deum recipiendum est. a'*) Nam Christus, ut probatum est, erat sanctissimus, ac proinde non mentitur, nec potuit ignorare utrum esset Deus, necne. Praeterea si Christus fecisset se Deum et non esset, fuisset homo nequissimus; captaret enim sibi honores proprios Dei, falleret homines in re gravissima, eosdemque induceret ad sustinenda multa mala et incom-

moda sine fructu, imo fuisset causa ruinae et perditionis hominum, quum eos a vero Deo et fine ultimo averteret. Christum autem fuisse nequissimum nemo dixerit. Vide *P. Fernandez*, De rel. et eccl. tr. 1, s. 2, c. 2.

*b')* Si Christus est simul verus Deus et verus homo, ut Deus vere illi conveniunt quae proxime dicta sunt sub *a)*, et ut homo debebat sanctissime operari juxta dicta n. 502. Contra nisi fuisset Deus, non posset sibi attribuere ea omnia quae adducta sub *a)*, et ea sibi arrogando summam superbiam ostendisset. Jam vero Christus non fuit superbissimus; nam homo ejusmodi non potuisset constanter se gerere ea prudentia, mansuetudine, moderatione ceterisque virtutibus prout Christus se gessit; et multo minus potuisset tanta patientia et fortitudine, et sine ulla imperfectione et sollicitudine rerum futurarum tolerare acerbissimam passionem et mortem inter ludibria et calumnias omnis generis. Christus igitur revera est Deus, et ejus religio vera.

**507.** Dices 1.°—*Marc.* III, 21, de Jesu dicitur, *in furorem versus est,* et *Joan.* X, 20, *insanit.* Ergo non se gessit constanter cum prudentia et moderatione.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.;* hujus enim falsitas ex dictis de sanctitate et sapientia Jesu abunde constat. Unde qui dixerunt de Jesu *in furorem versus est, insanit,* id fecerunt non recte de illo sentientes, et perverse interpretantes, quae ab illo dicebantur, et agebantur. Speciatim ea verba *in furoren versus est,* prolata sunt a cognatis Jesu, quia non capiebant, qua ratione tan mire loqueretur et ageret, quum litteras non didicisset.

Neque Jesus se ostendit furiosum vel fanaticum, quum e templo ejecit vendentes et ementes, ac mensas nummulariorum et cathedras vendentium evertit (*Matt.* XXI, 12; *Marc.* XI, 15; *Luc.* XIX, 45; *Joan.* II, 15); hoc enim fecit, ne templum Dei profanaretur, neve fraudes et latrocinia ibi committerentur. Neque est dignum aliqua reprehensione, quod maledixerit fico ob defectum fructus (*Matth.* XXI, 19; *Marc.* XI, 13), quum non esset tempus ficorum; quia id fecit Jesus ad significandum regnum Dei a judaeis ablatum iri, et ad gentes transiturum; unde accepit ficum illam ut figuram Synagogae. Postremo si permisit, ut porcorum grex in mare praecipitaretur (*Matth.* VIII, 32), hoc fecit divina auctoritate, ac proinde recte actum; naturaliter enim non poterat efficere ea, quae ibi narrantur. Neque illius permissionis deerant plures causae, v. g. ut manifestaretur veritas possessionis, daemonum malignitas, Christi potentia, etc.

**508.** Dices 2.° — Christus non semper locutus est sincere et

veraciter; nam, ut traditur *Joan.* VII, 8, dixit se non ascensurum ad diem festum scenopegiae, et postea ascendit.

*Resp. N. Assert.;* tum quia, non dixit se *non ascensurum,* sed *non ascendo;* tum quia, ut ex contextu elucet, non negavit absolute ascensum, sed ascensum publice et cum apparatu.

## ARTICULUS II

### Veritas religionis christianae ex ipsius doctrina

**509.** Nota 1.° — Doctrina haec ex scriptis protocanonicis, de quorum authentia prudenter dubitari nequit, desumetur. In his autem contineri doctrinam Christi constat; nam doctrina in Evangeliis contenta proponitur ut tradita a Christo, et speciatim S. Joannes initio Evangelii, I, 17, 18 et Epistolae 1.ae declarat se a Christo accepisse ea, quae tradit. Deinde Apostoli et discipuli in suis scriptis doctrinam Christi proponebant, quum se gererent ut Christi servos et legatos, et S. Paulus (*Gal.* I, 12) illam ex revelatione Christi accepisse expresse dicit; nec verisimile est illos suo ingenio tam excellentem doctrinam invenisse.

Nota 2.°—Ut doctrinam religionis christianae valde suadere veritatem ejusdem concludere possimus, haec praestanda sunt: 1.° exponenda est haec doctrina tum speculativa, tum practica; 2.° variis argumentis ex illa inferri veritatem religionis christianae ostendendum.

### Doctrinae christianae expositio

**510.** A) Doctrina christi speculativa.

*a*) *Quoad Deum.* Deus est unus (*Marc.* XII, 29), spiritus (*Joan.* IV, 24), bonus (*Matth.* XIX, 17), etiam erga peccatores (*Luc.* XV), sanctus (*Joan.* XVII, 11; I *Petr.* I, 16), ubique praesens (*Act.* VIII, 49; XVII, 28), aeternus (*Rom.* XVI, 26), invisibilis, absolute immortalis (I *Tim.* VI, 16), sapiens (*Rom.* XVI, 27) et omnia cognoscens (I *Joan.* III, 20), libere volens (*Joan.* V, 21; *Ephes.* I, 11), verax

(*Joan.* VIII, 26; *Rom.* III, 4), fidelis (I *Cor.* I, 9; I *Thess.* V, 24 etc)., misericors et totus caritas (*Ehpes*, II, 5; I *Joan.* IV, 8), omnipotens (*Matth* XIX, 26; *Marc.* XIV, 36), ac proinde omnium rerum perfectiones continens. Item habens providentiam de rebus etiam minimis, sed specialiter de hominibus (*Matth.* VI, 25 et sq.; X, 29 et sq.), redditurus unicuique secundum opera ejus (*Matth.* XVI. 27; *Rom.* II, 6). Deinde, licet sit unicus in natura, est trinus in personis (*Matth.* XXVIII, 19; *Luc.* III, 22, *Joan.* XIV, 26, etc.), et Deus Filius homo factus est (*Joan.* I, 14), ut esset hominum Salvator (*Joan.* III, 17; I *Tim,* IV, 10), et redemptor (I *Tim*, II, 6; *Tit.* II, 14), et per eum omnes acciperent auxilia necessaria ad finem ultimum consequendum (*Joan* III, 16; X, 10), saltem si ea postularent (*Matth.* VII, 7; *Luc.* XI, 9; *Joan.* XIV, 13).

*b) Quoad mundum.* Mundus et omnia quae in eo sunt a Deo condita sunt, et conservantur (*Act.* IV, 24, XVII, 24; *Rom.* XI, 36; *Col.* I, 16 et sq.), et quidem omnia ex nihilo producta (*Joan.* I).

*c) Quoad hominem.* Homo creatus est a Deo (*Marc.* XIII, 19; *Act.* XIV, 14), et constat anima et corpore (*Matth.* X, 28), anima est multo excellentior corpore (*Matth.* XVI, 26), spiritualis (*Rom.* VIII, 16; I *Cor.* II, 11) etc., ac proinde immortalis, libera; secus enim Christus homines ad bene agendum non hortaretur, et male agentibus poenas injuste minaretur. Item finis hominis, si bene egerit, est vita aeterna (*Matth* XXV, 46; *Rom.* VI, 22), visio Dei clara (*Joan.* XVII, 3; I *Cor.* XIII, 12; I *Joan.* III, 2), et gaudium (*Matth.* XXV, 21) et gloriosa corporis resurrectio (I *Cor.* XV, 42 et sq.), et omnia bona (I *Cor.* II, 9); sin autem male egerit, supplicium aeternum (*Matth.* XXV, 46; II *Thess.* I, 9). Denique omnes homines ex uno originem ducunt (*Act*, XVII, 26), et sicut omnes in Adamo propter hujus peccatum lapsi sunt, ita per Christum reparari possunt (*Rom.* V, 12, 15 et sq.; *Joan.* I, 29; *Matth.* XX, 28; *Marc.* X, 45, etc.).

**511.** A') Doctrina christi practica.

*a') Erga Deum.* Deus super omnia amandus (*Matth.* XXII, 37; *Marc.* XII, 30; *Luc.* X, 27), maxime timendus (*Matth.* X, 28; *Luc.* XII, 5), in spiritu et veritate adorandus (*Joan.* IV, 24); preces ad ipsum cum fiducia fundendae (*Matth.* VI, 9, VII, 11; *Marc.* XI, 24, etc.), ipsi soli serviendum (*Matth.* VI, 24), ipsum quaerere oportet (*Matth.* VI, 33), actiones nostras ad bona coelestia obtinenda (*Matth.* VI, 1, 20), ad Dei gloriam (I *Cor.* X, 3; *Col.* III, 17), dirigantur necesse est. Rursus voluntas Dei facienda (*Matth.* VII, 21), et ipsi prae hominibus obediendum (*Act.* V, 29); postremo ipsa vita potius amittenda (*Matth.* X, 39; *Luc.* IX, 24), et omnia deserenda (*Matth.* X, 37; *Luc.* IX, 25;

XVI, 26), quam Deum offendere; sed vitam amittere propter Deum est eam invenire (*Matth.* X, 39).

*b'*) *Erga alios homines.* Imponitur praeceptum diligendi proximum sicut nos metipsos (*Matth.* XIX, 19, XXII, 39), atque hoc praeceptum vocatur novum (*Joan.* XIII, 34) et proprium Christi (*Joan.* XV, 12), poniturque ut signum ad Christi discipulos cognoscendos (*Joan.* XIII, 35), et porrigitur ad omnes homines, etiam ad inimicos et persecutores (*Matth.* V, 44; *Luc.* VI, 27; *Rom.* XII, 14); unde benigne agendum (*Matth.* V, 39; *Luc.* VI, 28; *Rom.* XII, 20), nulli malum pro malo reddendum (*Rom.* XII, 17); atque haec norma datur agendi cum hominibus, sc. facere illis omnia, quae velimus eos nobiscum facere (*Matth.* VI, 12; *Luc.* VI, 31). Non modo prohibentur homicidia, adulteria, fraudes et alia hujusmodi (*Marc.* X, 19); verum etiam irasci proximo, verba caritati contraria (*Matth.* V, 22) proferre, et temere judicare (*Luc.* VI, 37). Ad haec misericordia commendatur (*Matth.* V, 7; *Luc.* VI, 38), vincere malum bono (*Rom.* XII, 21), et facta pro miseris aestimantur ut praestita ipsi Deo (*Matth.* XXV, 40). Item extollitur beneficentia erga parvulos sive aetate, sive humilitate et defectu potentiae (*Matth.* XVIII, 1, et sq.), et terribiles minae illis scandalum afferentibus intenduntur, atque bonum exemplum erga omnes praescribitur (*Matth.* V, 16; I *Petr.* II, 12).

Accedit, quod pro societate civili praecipitur obedientia erga reipublicae rectores, et tribuere illis debita (*Matth.* XXII, 21; *Rom.* XIII, 1 et sq.; I *Petr.* II, 13); pro conjugali statuitur matrimonium indissolubile (*Marc.* X, 11, 12; *Luc.* XVI, 18; I *Cor.* VII, 10, 11), et mutuus inter conjuges amor (*Ephes.* V, 22, 25). Parentes filios educare, et ad iracundiam illos non provocare debent; filii parentibus obedire, eosque honorare; servi heris cum bona voluntate servire; heri servos benigne tractare (*Ephes.* VI, 1-9; *Col.* IV, 1).

*c'*) *Erga se ipsum.* Imprimis ex dictis sub *a'*) unusquisque ita Deum et bona coelestia quaerere debet, ut potius ipsa vita et omnia sint amittenda, quam Deum offendere, atque omnia in Dei gloriam sunt referenda, et nihil prodesse universa bona mundi lucrari, si vita aeterna seu Dei possessio amittatur. Quare, res nobis tam utiles et carae sicut oculus, manus vel pes, essent a nobis abscidendae (*Matth.* XVIII, 8, 9), et deberemus arripere gladium, quo ab inimicis salutis nostrae separaremur (*Matth.* X, 34; *Luc.* XII, 51), si hoc ad peccatum vitandum foret necessarium; et nullatenus amare pacem in bonis mundanis fundatam (*Joan.* XIV, 27; I *Joan.* II, 15). Debemus exercere humilitatem, quam valde Christus commendat verbis et exemplo (*Matth.* XI, 29; XVIII, 3; XX, 28; XXIII, 12; *Marc.* X, 25;

*Joan.* XIII, 14 etc.), orare ad bona conducentia ad salutem adipiscenda (*Matth.* VI, 9 et sq.; VII, 7 et sq.), lucrari vitam aeternam per bona opera (*Matth.* XVI, 27; XXV, 14 et sq.), saltem affectu omnibus bonis terrenis renuntiare (*Luc.* XIV, 33), et semper esse paratos ad bene moriendum (*Matth.* XXIV, 42; *Marc.* XIII, 35 et sq.; *Luc.* XII, 40). Uno verbo necesse est constanter bene agere ad Dei gloriam (*Matth.* V, 16; *Rom.* XII, 1; *Gal.* VI, 9, 10; *Ephes.* 8, 9 etc.), et abnegare omnes malas passiones et affectiones (*Matth.* XVI, 24; *Joan.* XII, 25; *Gal.* V, 16; *Col.* III, 5 et sq.; II *Petr.* II, 11, etc.); ad id vero praestandum non deest divinum solatium (*Matth.* XI, 28, 30), neque auxilia necessaria, saltem si postulentur (*Matth.* XXI, 32; *Marc.* XI, 24).

Postremo commendatur sublimis perfectio, qualis continetur in octo beatitudinibus et in divinae perfectionis imitatione (*Matth.* V), necnon in voluntaria omnium divitiarum spoliatione (*Matth.* XIX, 21), et observantia perfectae castitatis, qua etiam voluptatibus matrimonii licitis vale dicitur (*Matth.* XIX, 12; I *Cor.* VII, 38).

### Thesis.

**Ex ipsa doctrina christiana ejus veritas valde suadetur.**

**512.** *Prob.* Doctrina exposita nullum continet errorem manifestum, omnes ejus partes optime inter se consentiunt, et speculative et practice completa est, omnibus exigentiis satisfacit, neque ex philosophia, neque ex aliis religionibus deprompta, atque modo vires humanas superante tradita. Atqui doctrina talibus characteribus adornata suam veritatem valde suadet. Ergo. *Minor* elucet; nam, si religio mosaica excipiatur, cujus christiana est continuatio et ultima perfectio, prout ex dictis de Messia eruitur, et in ultima disputatione declarabitur, nulla alia religio seu systema religiosum, aut philosophicum fuit immune ab omni errore, nullum prorsus completum, nullum omnibus exigentiis satisfaciens, nullum non derivatum plus minusve ab alia vel aliis religionibus aut systematis philosophiae, nullum traditum modo vires humanas superante; atque ideo religio christiana oppositis characteribus suam originem divinam, et consequenter veritatem manifestat, praesertim quum supra humanam conditionem sit, ut ex disputatis de necessitate revelationis liquet, invenire sola vi naturali et ingenio complexum omnium veritatum, quibus homines finem suum cognoscere, eumque attingere convenienter possent. Probanda igitur est major per partes.

*a) sine erroris mixtione.* Nam veritates ordinis naturalis sunt omnino consonae cum iis, quae humanum ingenium de Deo, mundo et homine invenire potest. Mysteria vero, licet humanam rationem superent, et eorum veritas naturaliter demonstrari nequeat, nihil quod absurdum vel falsum probari possit, continent, et tam sunt remota ab humana cogitatione, ut eo ipso suam originem divinam et veritatem prodere videantur. Sic, v. g. nunquam humana mens in Deo excogitasset summam unitatem et simplicitatem cum reali personarum distinctione et societate, neque ante Christi adventum aliquid simile in aliqua religione aut systemate philosophico reperitur. Similiter peccatum originale et Incarnatio Verbi, prout ex revelatione christiana recte colliguntur, ab humanis inventis sunt longe alienissima. Aliunde mysteria aut Dei sublimitatem et excellentiam, ut Trinitatis, aut summam bonitatem, ut Incarnationis, valde efferunt.

*b) sibi consentiens.* In veritatibus ordinis naturalis patet, quum principiis naturalibus et homini optime congruant. Veritates vero supernaturales et mysteria ordini naturali non repugnant, sed hunc extollunt. Ordo gratiae, e. c. supponit naturam, et eam evehit ad altiorem statum, simulque infinitam Dei altitudinem prae substantiis creatis detegit. Item mysterium Incarnationis requirit Trinitatem, et conjungitur cum dogmate peccati originalis et ordine gratiae.

*c) Completa sive speculative sive practice.* Docet enim qualis sit Deus, nempe ens continens omnem perfectionem, quales sint mundus et homo, sc. creaturae a divina omnipotentia ex nihilo productae; et ex dictis in doctrinae expositione elucet solutas esse omnes quaestiones et provisa omnia media, quae necessaria sint, ut homo rite se gerere possit erga Deum, alios homines et se ipsum, et possit consequi suum ultimum finem et perfectam beatitudinem. Imo provisa sunt omnia media, ut homines, si velint, ad eximiam perfectionem et sanctitatem, et per haec ad maximam gloriam pervenire valeant.

*d) Omnibus exigentiis satisfaciens.* Etenim est talis ut et divites et pauperes, et sapientes et ignorantes, et homines cujuslibet conditionis finem suum ultimum et media ad illum adipiscendum cognoscere possint, necnon ita vitam instituere, ut ad perfectam animae et corporis beatitudinem re ipsa perveniant. Etiam in praesenti vita, qui suos mores ad normam a Christo praescriptam conformant, animi pace et tranquillitate fruuntur, in prosperis moderate se gerunt, et in adversis patientiam ceterasque virtutes magis ostendunt, et alios homines diligunt et juvant, cum omnibus justitiam,

aequitatem et moderationem servant, virtutibus et perfectione jugiter augentur, et in laboribus et oneribus habent solatium et requiem a Christo promissa.

**513.** *e) Non deprompta ex Philosophia aut ex aliis religionibus.* Etenim in nullo systemate philosophico, ut ex dictis de necessitate revelationis eruitur, nec ulla in religione, ut ex discendis disputatione ultima elucescet, inveniuntur veritates et speculativae et practicae totum omnino harmonicum et completum constituentes, quibus omnia problemata necessaria circa divinam naturam, originem, destinationem et finem rerum, praesertim hominis, ita solvantur, ut omnibus exigentiis satisfiat, prout in doctrina christiana habetur, sicut ex ejus expositione supra posita constat. Nec talis veritatum complexus ex collectione elementorum in variis systematibus et religionibus dispersorum exsurgere potuit; nam haec elementa non essent ita ordinata et connexa inter se, ut totum harmonicum et completum formarent: veritates naturales supernaturalibus non cohaererent, neque istae inter se, et aliae ab aliis non perficerentur, prout in christiana religione evenit.

Praeterea falsum est elementa religionis christianae in aliis systematis et religionibus reperiri: sic, v. gr., licet in illis adsit aliqua umbra mysterii Trinitatis, vel Incarnationis vel alterius dogmatis; tamen si res funditus consideretur, dogmata christiana quam maxime distare ab iis, quae in aliis religionibus similia videantur, patefiet. Item, quamvis principia aliqua morum sint communia aliis religionibus cum christiana; nihilominus sincera humilitas a Christo tam commendata et modus operandi perfectissimus a religione christiana praescriptus, quo actiones sunt dirigendae ad Dei gloriam, ad consequendam claram Dei visionem et amorem inde fluentem, in aliis sectis vel religionibus non reperientur.

Quod vero aliquae veritates ordinis naturalis sint communes aliis religionibus cum christiana non est mirum, quum veritates hujusmodi a sola ratione naturali, quae omnibus hominibus est communis, detegi possint. Veritates autem supernaturales religionis christianae inter sectas philosophicas et religiones ethnicorum nullae reperientur, nisi fuerint depromptae a primitiva revelatione, aut mosaica, aut christiana.

Praeterea Christus, si res naturaliter tantum consideretur, ut faciunt rationalistae, ex philosophia vel religione ethnicorum suam doctrinam depromere nequivit; quia philosophiae vel religioni sive graecae, sive romanae, sive persae, sive indicae operam non dederat, imo ne aegyptiacae quidem, quum profectus in Aegyptum sit infans

adhuc tenellus, et mortuo Herode, in Judaeam reversus sit. Nec Paulus, et multo minus alii Apostoli, suam sapientiam ex ethnicis desumpserunt, tum quia expresse affirmat se illam ex revelatione Jesu Christi accepisse, tum quia philosophiae vel religioni ethnicae studuisse non probatur.

**514.** *Deinde religio christiana non est deprompta a mosaica.* Religio quidem christiana ex mosaica conservat veritates dogmaticas et praecepta decalogi, sed habet novum sacrificium et nova sacramenta, atque ad multo majorem perfectionem elata est propter consilia superaddita et majorem declarationem praeceptorum, ut patet ex *Matth.* V, et sq. Quocirca religio christiana ex mosaica proprie non derivatur, sed illa ex hac confirmavit aliqua; verum plura nova quoque addidit, atque omnia ad majorem perfectionem extulit. Nec a pharisaeorum secta derivata; hanc enim Christus acriter improbavit (*Matth.* XV, 3, XXIII, 13 et sq.; *Marc.* VII, 6, et sq., etc.). Multo minus ex Sadducaeis, utpote qui animae immortalitatem et alteram vitam negarent (*Matth.* XXII, 23; *Act.* XXIII, 8; *Fl. Josephus,* De bel. jud. l. 2, c. 8, n. 14). Postremo neque ab essenis; etenim isti, licet vitam admodum austeram ducerent, admittebant animas immissas in corpora ut in carcerem, hominum societatem, praesertim peccatorum, fugiebant, die sabbati ignem accendere, vas aliquod movere, ventrem exonerare non audebant, etc.: quae omnia a Christi institutis valde distant, neque apud illos invenitur ea sublimitas doctrinae de octo beatitudinibus aliisque. Vide *Fl. Josephum,* De bel. jud. l. 2, c. 8; *Euseb. Caes.,* Demonst. evang. l. 8, c. 11, 12; l. 9, c. 3, etc. Accedit quod, ut ex eodem *Josepho,* loc. laud. n. 7, constat, juramento se obstringebant non indicandi dogmata, ne mortis quidem vitandae causa, non pertinentibus ad sectam; Christus vero per se et per Apostolos suam doctrinam omnibus praedicavit.

*f) Modo vires naturae superante tradita.* Christus enim doctrinam sublimem et completam sive speculativam, sive practicam tradidit, quum philosophiae et scientiis non studuerit, imo nec litteras didicerit, prout eruitur ex Evangelistis et ex modo loquendi nazarenorum (*Matth.* XIII, 54 et sq.; *Marc.* VI, I et sq.; *Joan.* VII, 15), qui rem bene noscere poterant. Item docebat omnes, sed pauperes et humiles specialiter, idque faciebat modeste, persuasione, non iracunde, non injuriose, modo plano, simplici et omnibus accommodato, simulque cum magna auctoritate et efficacia (*Matth.* VII, 28, 29; *Marc.* I, 22; *Luc.* IV, 32).

**515.** Dices 1.°—Doctrina christiana est naturalis evolutio status imperfectioris ad perfectiorem.

*Resp. N. Assert.* Nulla enim assignatur ratio, cur haec evolutio in uno homine, et non in multis evenerit; nec redditur ratio, si res inspicitur mere naturaliter, qua ratione unicus homo, repente et sine studiis, tantam doctrinae perfectionem attigerit. Insuper falsum est quod supponitur, scilicet homines in melius jugiter progredi; nam ex cultu unius Dei ad multos Deos colendos devenerunt, ut in ultima disputatione dicetur.

Nec verum est, ut nonnulli philosophi asserunt, omnes veritates et dogmata evolutioni et mutationi subjecta esse; et ideo veritates et dogmata evangelica jam non amplius haberi, et esse commutata in alia. Etenim inter res visibiles, licet aliae esse desinant, aliae prioribus succedant et esse incipiant; tamen semper verum est animal, v. gr. ut sit animal, vita vegetativa et sensitiva constare necessarium esse, et hominem, ut sit homo, vita vegetativa, sensitiva et rationali. Similiter necesse est quaslibet res habere determinatos characteres, quibus a ceteris distinguantur, quocumque tempore existant. Et revera unaquaeque res habet suam essentiam seu naturam et necessarias propietates, quae eidem semper necessario conveniunt, et quibus a ceteris rebus discriminatur. Immo ipsa evolutio, variatio et contingentia requirit ens absolutum et immutabile, ut in theologia naturali demonstratur. Quocirca ex principio evolutionis non recte concluditur omnem veritatem, et ideo etiam evangelicam et christianam, variationi et evolutioni esse subjectam. Profecto veritates sive credendae, sive credendae simul et servandae, quae in Scripturis Sacris proponuntur, sunt hujusmodi, ut non dependeant a loco, tempore vel alia circumstantia, quibus evolutioni et variationi subjiciantur, quemadmodum illas rite perpendenti manifestum erit.

Praeterea adversarii ex mutatione et variatione cognitionum nostrarum non recte inferunt evolutionem et mutationem objectorum et veritatis; aliud est enim objectum cognitum, aliud cognitio, nec quidquid cognitioni convenit, objecto vel veritati cognitae applicari potest. Ex eo quod, v. gr. pro meo arbitratu possum habere vel non habere cogitationem de monte coram oculis posito, non ideo mons est vel non est, mutatur, vel non mutatur juxta meam cogitationem de illo. Et licet veritas logica constituatur ex cognitione repraesentante objectum prout est, tamen non requirit eamdem numero cognitionem; sed dummodo habeatur cognitio repraesentans et judicans de objecto prout est, habetur veritas logica, sive hoc fiat per unam cognitionem, sive successive per plures, i. e., quoties de eodem objeto judicatur prout est, habetur eadem veritas logica ratione objecti.

Item nec verum est Evangelistas aliosque sacros scriptores ac-

cepisse res, de quibus scribunt, sensu prorsus diverso ab eo, quem nunc scriptis canonicis tribuimus. Nam haec interpretatio supponit omnem veritatem evolutioni esse subjectam, quod proxime refutatum est: deinde si Scripturae haberent alium sensum ab illo, quem illis attribuimus, re ipsa non caperemus earum sensum, quocirca quum sensus a nobis attributus scriptis non responderet, eorum ordinem et nexum non perciperemus, prout revera percipimus.

Quod si adversarii solum vellent Scriptores canonicos clariore modo percepisse res, quas scribunt, quam nos, hoc permitti sine incommodo potest; nam eadem res perfectiore vel imperfectiore modo cognosci potest, sicut idem paries diversa claritate videri potest, prout intensiore vel minus intensa luce perfundatur.

Rursus admitti non potest doctrinam Scriptorum canonicorum non esse Christi; contrarium enim ostendit quod n. 513 dictum est. Accedit quod Scritores sacri ex una parte erant viri probi, et ex altera immediate vel mediate bene cognoscere poterant quid Christus docuerit; quare eis credendum est, et eorum doctrina ut Christi accipienda est. Nec refert Paulum (I Cor. VII, 12) asserere *Nam ceteris ego dico, non Dominus;* quoniam haec ipsa exceptio confirmat cetera esse a Christo et a Deo, praeterquam quod ea ipsa, quae Apostolus veluti nomine proprio loquebatur, etiam secundum Spiritum Dei, et ideo Christo approbante, dicebat; siquidem, ut eodem loco v. 40 indicatur, Paulus ex Dei Spiritu operabatur.

Itidem non est verum, quod contendunt Sabatier (1) et alii rationalistae, nempe Christum non docuisse aliqua dogmata, aut saltem non imposuisse obligationem ea credendi; quia Christum multa dogmata docuisse, liquet ex declaratione doctrinae ipsius antea propositae. Quod vero eorum fide et observantia obligaverit, ex innumeris fere locis Evangelii elucet, ut ex Matth. XXVII, 19-20, V, 20 et seq., VII, 19 et seq., X, 39, XI, 20 et seq., XIII, 49, XVI, 25 et seq., etc.

Postremo admitti nullo modo potest, quod tenet Réville (2) aliique, videlicet Christum tradidisse doctrinam nostra aetate falsam re-

(1) In opere Les religions d' autorité, l. 3, c. 2, §. 3, dicit: «Dès qu'il ne s'agit plus d'imposer une croyance ou une pratique comme nécessaire au salut, mais de ramener ce dernier a un acte moral de confiance, de repentir, de consecration a Dieu, à quoi bon l' autorité d' un oracle? Il nous faut une autorité d' une autre espèce: l' autorité de la sainteté et de l' amour. C'est là l' autorité dont Jésus a été revêtu et dont il veut que soient revêtus ses disciples.»

(2) In opere Le Protestant liberal, ubi scribit: «Jésus a donc eu les connaissances que l'on pouvait avoir de son temps, chez le peuple juif. Son enseignement s' est produit sous les formes et dans les conditions que comportait le milieu où il vivait. Ce ne sont plus les nôtres et personne ne peut plus aujourd'hui y adhérer.»

pertam. Etenim doctrina Christi ordinis naturalis per discursum naturalem vera demonstratur; doctrina autem ipsius superans rationem, non potest quidem naturaliter vera demonstrari, tamen commendatur et suadetur, quia est adeo excelsa et sublimis, ut ab hominibus excogitata non videatur, sed Deo tribuenda.

Sane Christus non docuit doctrinam falsam ut suis popularibus se accommodaret; secus enim nec scribas et pharisaeos tam acriter reprehendisset (Matth. XXIII, 13 et sq.; Marc. XII, 38 et sq.; Luc. XI, 39 et sq. etc.), neque acerbissimam mortem propter veritatem suae divinae filiationis sustinuisset (Matth. XXVI, 63 et sq.; Marc: XIV, 61 et sq.; Luc. XXII, 66 et sq.; Joan XIX, 7), neque coram Pilato et Herode omisisset procurare accommodationem et conciliationem, ut se a morte liberaret.

Atque in Christi doctrina nullum reperiri errorem jam ex aliis criteriis constat, nam si Christus, sive ignoranter, sive scienter, errorem docuisset, Deus miraculis et prophetiis non potuisset ejus doctrinam confirmare, ut re ipsa fecit. Porro Deus miraculis et prophetiis non aliquam doctrinae Christi partem confirmavit, sed totam, simpliciter et sine exceptione; quare in Christi doctrina nullus error adesse potest (1).

**516.** Dices 2.°—Religio christiana nimiam docet severitatem, et progressum materialem impedit.

*Resp.* iterum *N. Assert.* Si aliqua observatu difficilia habentur, haec ipsa sunt consentanea rationi, fiuntque facilia exemplo Jesu Christi et auxiliis ab eo praestitis, atque omnia in hominum perfectionem et completam felicitatem conducunt. Nec impeditur progressus materialis, dummodo verae hominis perfectioni et felicitati non opponatur, imo illum et omnes scientias et artes valde juvat, quia animi perturbationibus et vitiis, quae omni vero progressui obstant, efficaciter resistit, et ad normam rectae rationis moderatur.

**517.** *Observa. Fl. Iosephus,* vir, ut testatur Euseb. Caes. Hist. eccl. l. 3, c. 9 (M, G, 20, 242), omnium tunc temporis judaeorum praestantissimus, in confirmationem eorum, quae de Jesu dicta

(1) Ad rem praesentem faciunt propositiones damnatae in decreto *Lamentabili* quae hic subjiciuntur, sc.:

22. «Dogmata quae Ecclesia perhibet tamquam revelata, non sunt veritates e coelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit.»

58. «Veritas non est immutabilis plusquam ipse homo, quippe quae cum ipso et per ipsum evolvitur.»

59. «Christus determinatum doctrinae corpus omnibus temporibus cunctisque hominibus applicabile non docuit, sed potius inchoavit motum quemdam religiosum diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum.»

sunt, haec habet, Ant. jud. l. 18, c. 4, n. 3: «Eo etiam tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum appellare fas est. Fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum qui verum cum voluptate accipiunt: multosque judaeos, multos item gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus, quem cum Pilatus ab hominum nostrorum primis delatum, crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt, qui primum amaverant. Apparuit enim eis tertio die redivivus, divinis vatibus et haec et mille alia de eo miranda effatis, atque ab eo denominata christianorum natio durat usque ad hunc diem.»

Hoc testimonium a catholicis generatim, et a non paucis ex aliis ut authenticum recipitur: non desunt tamen, qui illi opponantur; quorum alii ut spurium rejiciunt, alii interpolatum existimant. Verum ut authenticum recipiendum videtur.

Nam 1.° *Euseb. Caes.* qui varia operis Josephi exemplaria bene noscere poterat, in duobus locis, Hist. eccl. lib. 1, c. 11 (M, G, 20, 118) et Demonst. ev. l. 3, c. 5 (M, 22, 222), testimonium laudatum tradit ut indubium, quod certe non fecisset, si in aliquibus dumtaxat exemplaribus repertum esset. Adest quoque in versione arabica et hebraica. Jam vero non est credibile christianos omnia operis exemplaria potuisse corrumpere, ac proinde testimonium ut authenticum est accipiendum.

2.° Id ipsum confirmatur, quod scriptores antiqui posteriores Eusebio, qui testimonium attigerint, omnes habuerunt ut authenticum. Scriptores vero Eusebio antiquiores nihil de hac re dicunt, quia occasionem vel necessitatem id faciendi habuisse non videntur. Neque *Origines,* Contr. Celsum, L. 1, n. 47 (M, G, 11, 746) contradicit, sed asserit, quod quidem verissimum est, Josephum Christo non adhaesisse.

3.° *Fl. Josephus* mentionem de Joanne Baptista (Ant. jud. l. 18, c. 6, n. 2) et de Jacobo minore (Ant. l. 20, c. 8, n. 1) facit; unde non est verisimile de Jesu nihil dixisse, praesertim quum in aliis locis de sectis inter judaeos ortis (Ant. l. 18, c. 1, n. 2.; De bel. jud. l. 2, c. 8) tractet, necnon de illis, qui se Messiam finxerunt.

4.° Non est mirum Josephum Jesum Christum laudasse; erat enim vir, qui licet nullam religionem sectaretur, tamen religiones positivas non detestabatur. Deinde quae dicit de Jesu ut de Christo seu Messia, de ejus miraculis, de prophetiis in eo adimpletis, ea ex aliorum sententia dicere videtur. Postremo illa locutione *si tamen virum eum appellare fas est,* non necessario significatur Christus ut Deus; sed viri excellentia valde extollitur.

## ARTICULUS III

### Veritas Religionis christianae ex mirabili ejusdem propagatione

**518.** *Praemitt.* 1.° In hoc articulo et sequentibus quatuor alia motiva pro veritate religionis christianae proponentur, sc. mirabilis propagatio, fructus, martyrium et conservatio. *Hooke*, De ver. relig. p. 2, a. 2, § 2, alia quoque addit motiva, videlicet de cessatione oraculorum inter paganos, de fortuna luctuosa populi judaici, et de ultione in Imperium Romanum et Caesares persecutores christianorum. Verum quia haec argumenta nec sunt adeo manifesta, neque communiter adhiberi solent, illis supersedeo.

*Praemitt.* 2.° Religio chistiana re ipsa celerrime propagata est, ut ex historia constat, et breviter hic indicatur.

*a*) *Apostolorum aetate.* Ex prima Petri concione numerantur tria millia credentium. (*Act. II, 41*), ex altera *multi crediderunt* (*Act. IV, 4*), et jam inter fideles recensebantur viri quinque millia, atque numerus credentium valde augebatur (*Act. V, 14; VI, 7*), et multi sacerdotes, et judaei conversi dicebant Paulo (*Act. XXI, 20*): *Vides frater, quot millia sunt in judaeis...* Deinde Paulus suis epistolis testatur in diversis Imperii Romani provinciis existere ecclesias christianorum; speciatim ad *Rom.* scribit (I, 8; XV 19): *Fides vestra annuntiatur in universo mundo... Ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi.* Et ad *Coloss. I, 6: Quod* (Evangelium) *pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit...* Petrus in 1 Epist.: *Electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bythiniae.* Postremo Joannes in Apoc.: *Septem ecclessiis, quae sunt in Asia, Epheso, et Smyrnae, et Pergamo, et Thiatirae, et Sardis, et Philadelphiae, et Laodiciae.*

**519.** *b*) *Ex PP. Apostolicis. S. Clemens*, Epist. 1 ad. Cor. 6, (*Funk*, I, 69), inquit: «Viris istis (Petro et Paulo) sancte vitam instituentibus magna electorum multitudo aggregata est, qui suppliciis multis et tormentis, propter zelum passi, exemplum optimum inter nos extiterunt.» Et *Hermas*, Pastor. simil. IX, 17 (*Funk.* I, 535): «Quia, inquit, omnes gentes, quae sub coelo habitant, postquam audierunt ac crediderunt, in nomine Filii Dei vocati sunt. Postremo *Euseb. Caes.* Hist. Eccl. l. 3, c. 37 (M, 20, 294), dicit de Apostolorum successoribus: «Praedicationem Evangelii magis ac magis promoventes, et salutaria regni coelestis semina per universum terrarum orbem late spargentes.» Et deinde subjunxit plerosque, relictis omnibus, exercuisse cum fructu officium predicatoris evangelici per diversas regiones.

*c) Ex. PP. saeculi II. S. Justinus*, Dial. cum Tryph., n. 117 (M, G, 6, 750) dicit: «Nullum enim omnino genus est sive graecorum, sive barbarorum, sive quolibet nomine appellentur, vel Hamaxobiorum qui in plaustris degunt, vel nomadum qui domibus carent, vel Scenitarum, qui pecora pascentes habitant in tentoriis, nullum, inquam, ejusmodi genus est, in quo non per nomen crucifixi Jesu preces et gratiarum actiones Patri et Creatori universorum fiant.» Et S. *Iraeneus*, Adv. haer. l. 1, c. 10, n. 2 (M. G. 7, 551): «Hanc praedicationem cum acceperit, et hanc fidem, quemadmodum praediximus, Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit...» Et postea tradit Ecclesiam existere in Germania, in Hiberis, in Celtis, etc. Vide etiam l. 2, c. 31, n. 2; l. 3, c. 4. n. 1, et c. 11, n. 8.

*d) Ex PP. tertii saeculi. Tertull.* Apol. c. 37 (M, L, I, 525) ait: «Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa.» Eamdem sententiam confirmat Ad Scapul. c. 2 et c. 5 (M, I, 779), Adv. jud. c. 7 (M, II, 649), De anima, cc. 49 et 50 (II, 778, 779). Et Lactantius, De mort. pers. c. 3. (M, 7, 200): «Ecclesia... manus suas in orientem occidentemque porrexit; ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus, quae non religio penetrasset; nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non, suscepto Dei cultu, ad justitiae opera mitesceret.» Postremo *Origenes*, De princ. l. 4. n. 1. (M. G. 11, 343) inquit. «At vero in omni orbe terrarum, in omni Graecia, atque universis exteris nationibus innumeri sunt et immensi, qui relictis patriis legibus et his quos putabant deos, ad observantiam Moysis legis et discipulatum se Christi cultumque tradiderunt...»

**520.** *e) Ex scriptoribus ethnicis. Tacitus,* Annal. l. 15, c. 44, inquit: «Igitur primo correpti (christiani), qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii (tempore Neronis), quam odio generis humani convicti sunt.» Item *Plinius* junior ad Trajanum, Epist. l. 10, 97, de chistianis dicit: «Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est... Certe satis constat prope jam desolata templa... et sacra solemnia diu intermissa...»

*Praemit 3.°* Rationalistae omnes, ut Renan, Harnack etc. consentientes historico Gibbons rapidam religionis christianae diffusionem non negant, sed eam causis mere naturalibus tribuendam contendunt. Unde contra rationalistas ostendendum est rapidissimam religionis christianae propagationem ratione modi, quo evenit, esse miraculum morale, et ideo pro se habere auxilium Dei supra naturalem exigentiam, et veluti ipsius sigillum.

THESIS.

**Celerrima religionis christianae propagatio ratione modi, quo peracta est, veritatem religionis christianae confirmat.**

Haec thesis videtur omnino certa, et ita indicatur a *Conc. Vatic.* sess. 3. c. 3, quum *admirabilem propagationem* ponat ut motivum credibilitatis in veram Christi Ecclesiam.

**521.** *Prob.* Celerrima religionis christianae propagatio invenit plurima obstacula. Atqui haec superata sunt virtute divina, per miraculum morale. Ergo celerrima religionis christianae propagatio miraculo morali tribuenda, et consequenter ejus veritatem confirmat. Consequentia manifesta est; nam Deus sua virtute, per miraculum morale, non potest favere religioni falsae, illique veluti suum sigillum apprimere, hoc enim infinitae ipsius sanctitati et bonitati repugnat. Probanda igitur major et minor.

*Prob. Maj.* Invenit obstacula ex fundatore, doctrina, judaeis et gentilibus, quibus annuntiabatur, ex sacerdotibus, philosophis, imperatoribus, ex haereticis, ex calumniis necnon ex ipsis Evangelii praeconibus. Ergo.

*Prob. Ant. Ex fundatore.* Fundator erat judaeus, nationis scilicet invisae gentilibus, ut eruitur ex Cicerone, Pro Flacco, n. 28; Plinio, Hist. Nat. XIII, 9; Tacito, Hist. V, 3, 5, 8 etc., et supplicio crucis, seu omnium ignominiosissimo, interfectus ex postulatione principum, sacerdotum populi judaici, atque praeside romano consentiente. Unde Paulus, I *Cor* I, 23, dicit: *Praedicamus Christum crucifixum: judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Et homo crucifixus erat agnoscendus et adorandus ut Deus.

*Ex parte doctrinae.* Haec continet dogmata rationi prorsus impervia, ut mysterium Trinitatis, Incarnationis, peccati originalis, Eucharistiae. etc. Deinde ad partem practicam quod attinet, requirit conformare vitam rectae rationi illustratae et elevatae per revelationem: unde non modo lex naturalis, seu decem decalogi praecepta, perfecte custodienda, sed etiam lex fidei de credendis veritatibus revelatis, suscipiendis sacramentis, de rebus terrenis pro nihilo habendis, de quaerendo primario Deo invisibili, de diligendis etiam inimicis, etc. Praeterea doctrina christiana proponebat se ut unice veram, et ceteras religiones ut derelinquendas et detestandas, neque ulla ratione cum illis conciliari poterat. Tum potentes et eximii sapientia, divitiis aliave qualitate, aliquo modo pauperibus, plebeiis et servis

aequantur, quatenus omnibus praecipitur mutuus amor et conversatio veluti si essent fratres, quod quidem potentibus et magnis, moribus ethnicorum perpensis, non poterat non esse ingratissimum. Aliunde pauperes, plebeii et servi obligabantur obedientia et subjectione sincera erga dominos et heros, licet essent dyscoli. Postremo nulla proponebantur praemia temporalia, sed requirebatur perfecta sui abnegatio, tolerantia aerumnarum et afflictionum necnon animi praeparatio ad subeundam mortem etiam acerbissimam, antequam aliquod dogma religionis negaretur, aut aliquid injustum fieret.

**522.** *Ex judaeis.* Hi erant tenacissimi legis mosaicae, quod adeo verum est, ut conversi vellent omnes lege mosaica et christiana simul obligari (*Act.* XV, 5), et licet Messiam expectarent, eum dominatorem potentissimum futurum existimabant, non hominem a primoribus et sacerdotibus crucifixum. Accedit quod generatim abhorrebant a religione, qua ipsi et ethnici aequarentur, et dispersi post destructionem Jerusalem per nationes conversioni ethnicorum obsistebant, quatenus venditabant Jesum a majore parte suae gentis non esse agnitum.

*Ex gentilibus.* Hi, graeci et romani praesertim, religionem christianam ut ortam in Judaea, tanquam extraneam et propriam judaeorum habebant, maxime quum religioni patriae opponeretur; aliunde erant corrupti, omni voluptati dediti et deorum cultui addictissimi, quo pro qualibet voluptate et pro qualibet arte vel industria patrocinium habere putabant, quae quidem propagationi religionis christianae non poterant non esse valde contraria. Nec verum est ethnicos exspectasse restaurationem per judaeos, ad summum illam exspectabant ex oriente, sed per ipsos ethnicos, nullo modo per hominem crucifixum.

*Ex sacerdotibus.* Horum enim dignitas, status, lucrum ceteraque emolumenta temporalia a deorum cultus conservatione prorsus dependebant, et inde religioni christianae quantum poterant, repugnabant.

*Ex philosophis.* Hi enim erant superbi et plerumque voluptatibus traditi, et ideo oppositi religioni christianae, quae eorum systemata falsa et rejicienda ostendebat. Et licet stoici, ad mores quod attinet, minus essent contrarii, ut dicit Semeria, Il prim. sangue christ., lect. XI; tamen superbia aliisque de causis multum illi obsistebant. Postremo *indoles philosophiae* illius aetatis, quatenus aliqui in nullo systemate quiescebant, poterat quidem christianismo favere: tamen re ipsa philosophi admodum pauci conversi sunt, et generatim christianorum mysteriis ob morum severitatem acriter resistebant.

*Ex imperatoribus.* Nam imperatores erant summi pontifices, ut

dii adorati, et omne bonum et prosperitatem reipublicae a deorum cultu dependere autumabant; et christiani erant inimici cultus deorum, imperatoribus ut summis pontificibus et diis non se subjiciebant, et causa publicarum calamitatum habebantur; unde, ut testatur Tertullianus, Apol. c. 40, quaecumque clades publica, quodcumque incommodum christianis tribuebatur, et exclamabatur: *Christianos ad leones*. Hisce de causis imperatores et magistratus omni conatu christianos insectabantur. Magistratus etiam ad honores et benevolentiam imperatorum sibi captandam christianis erant contrarii.

**523.** *Ex haereticis*. Hi namque propter divisiones, quas immittebant, legitimos christianos debilitabant, atque horum auctoritatem pro conversione judaeorum et ethnicorum diminuebant. Item haereticorum flagitia et turpitudines legitimis christianis etiam tribuebantur.

*Ex calumniis*. Judaeorum principes et sacerdotes calumniabantur Jesum fuisse impostorem, et a daemone actum arte magica, quam in Aegypto didicerat, populum seduscisse; gesta autem ejus gloriosa, ut resurrectionem, esse excogitata a discipulis, qui cadaver ipsius furati essent. Imo eo devenerunt, ut affirmarent christianos in occultis conventibus mactare puerum, et ejus carnes manducare, atque extinctis lampadibus effreni libidini se tradere. Atque hae calumniae non modo per Judaeam, sed etiam per alias regiones divulgabantur. Speciatim inter gentiles ferebatur christianos adorare caput asini, et pro nihilo vitam aestimare, esse hostes imperii, atheos, sacrilegos, magos atque omni flagitio contaminatos. De iis videri possunt *Origenes,* Cont. Cels. L. 1, n. 28 (M, G, 11, 714 ); 1. 2, nn. 13, 70; 1. 3, n. 59; 1. 6, n, 27; *Justinus*, Dialog. cum Tryph. nn. 17, 108 (M, G, 6, 511 et sq.); Apol. 2, n. 12, eodem loco, col 163; *Minuc. Felix,* Octav. cc. 9 et 28 (M, L, 3, 270 et sq.); *Tertull.* Apol. c. 10 et 16, 39, 40; De spect. c, 1; Ad Nat. l. 7; Ad Scapul. (M, L, 1, 380 et sq.).

*Postremo ex praeconibus*. Etenim hi erant judaei, saltem praecipui et duces aliorum; judaei autem, ut supra dictum est, erant valde invisi gentilibus. Aliunde facile putabatur eos velle adducere ethnicos ad res judaicas et ad eorum mores, quod quidem non poterat non esse magna aversationis causa.

**524.** *Prob. Min. seu haec obstacula superata esse virtute divina*. Haec omnia obstacula superarunt Apostoli et horum discipuli, ut ex historia liquet. Atqui illa auxilio divino superarunt. Ergo propagatio religionis christianae auxilio divino tribuenda. Consequentia est manifesta: probanda igitur minor. *Prob.* Apostoli erant viri parum exculti, eloquentia, opibus, potentia, favore principum desti-

tuti, ac proinde erant prorsus impares, ut eloquentiam, opes et potentiam ethnicorum et judaeorum superarent. Aliunde nisi religio christiana ponatur vera, ad eam propagandam nullum habebant stimulum, quum nihil sperare possent, nisi ludibria et acerbam mortem; neque erat ratio, cur homines eam amplecterentur, nisi misera deceptio sine ullo emolumento. Accedit quod Apostoli, ut ex historia constat, homines induxerunt ad se ipsos perfecte abnegandos et spoliandos, saltem affectu, omnibus rebus temporalibus: hoc vero virtute naturali fieri nequit, quum homines bonis visibilibus quam maxime afficiantur. Similibusque de causis discipuli Apostolorum propagationem religionis christianae sola virtute et mediis naturalibus obtinere non potuerunt, praeterquam quod ea omnia quae a discipulis obtenta sunt, mediate Apostolis debentur. Ad finem, quomodo religio hominis crucifixi, per homines rudes praedicata, triumphum reportare potuit de variis ethnicorum religionibus, quibus potentia imperatorum et magistratuum favebant, de omni alia religione, necnon de omnibus philosoporum systematibus, quae ostentatione sapientiae maxima tradebantur, nisi divino auxilio?

**525.** Dices 1.° — Apostoli aliquos ad religionem christianam amplectendam induxerunt, et isti alios, et sic deinceps usque dum major societatis pars evasit christiana.

*Resp.* Constantia Apostolorum discipulorumque in religione christiana dilatanda aliqua hujus propagationis causa habenda est; verum talis constantia non habuit ut causam aliquod emolumentum temporale, ut honor, divitiae, voluptates aliave id genus, quum religio christiana perfectam abnegationem postulet, et ideo non alia causa assignari potest, nisi Dei auxilium. Id confirmatur, quia nullus philosophus, nullus sectae alicujus dux sine aliquo emolumento temporali suum systema amplificavit, neque cum temporalibus emolumentis est secta aliqua tam late et tam constanter propagata per totum orbem sicut Christi religio. Item, ut jam dictum est, homines per Apostolos et horum discipulos ad perfecte se ipsos vincendos perducti sunt, qui quidem effectus, secluso speciali Dei auxilio, explicari nequit; nam homines suis passionibus et bonis sensibilibus adeo afficiuntur, ut sit moraliter impossibile hisce rebus non trahi, nisi a Deo specialiter adjuventur. Postremo religionis hominis crucifixi et pauperis lata propagatio por totum imperium romanum et extra illud ope discipulorum pauperum et mediis humanis carentium est effectus valde extraordinarius et simile non habens; quare ei causa etiam valde extraordinaria assignanda, quae sane nulla esse potest, nisi divina virtus.

**526.** Dices 2.°—Christianismi diffusio tribui potest eloquentiae et fervori Pauli, qui maxima diligentia, cura et innumeris exantlatis laboribus evangelium per universum romanum imperium praedicavit.

*Resp. N. Assert.* Imprimis ipse Paulus fructum praedicationis, non eloquentiae, sed virtuti Dei tribuit his verbis (I *Cor.* II, 4-5): *Et sermo meus, et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Tum ejus conversio veritati religionis adscribenda; etenim quum esset sapientior Apostolis et discipulis, his non cesisset, nisi veritas cognita adegisset. Insuper eloquentia non est potens, ut homines ad perfecte se ipsos vincendos pertrahat. Homo quidem eloquens libenter auditur, eique plauditur, sed ad res difficiles faciendas sola eloquentia, sine spe lucri temporalis, efficaciter non movet. Ad extremum, de Pauli eloquentia non omnes consentiunt, quod, licet esset vehemens et facilem habens loquelam, linguam graecam eleganter non loquebatur.

Quod si christianismi divulgatio naturali Pauli eloquentiae non est adjudicanda, a fortiori et similibus de causis idem de eloquentia aliorum Christi discipulorum ad tria prima saecula spectantium dicendum. Neque apologiae aliique libri sapienter scripti fuerunt causae latae propagationis: tum quia plebs ea non intelligebat, docti vero ea contemnebant, et non rite perpendebant; tum quia nullibi traditur divulgationem christianismi esse opus sapientiae hominum, sed contrarium a christianis scriptoribus asseritur.

**527.** Dices 3.°—Diffusio rapida religionis christianae debetur ardori intoleranti et inflexibili discipulorum Christi, neque horum paupertas et humilis status in illis saeculis erat impedimentum propagationis.

*Resp. N.* utrumque *Assert.* Et primo quidem ardor ille discipulorum constans naturaliter non explicatur, quum nullum temporale lucrum reportaret. Vide *Originem,* Contr. Cels. 1. 3, n. 9, (M, G 11, 931). Secundo ardor ille non est causa sufficiens, ut homines perducantur ad religionem difficilem observatu, multo minus ut flectantur, se ipsos abnegent, et perfectam sui victoriam consequantur, nec unquam sectatores aliqui solo ardore, sine spe lucri temporalis, diffusionem suae sectae adepti sunt. Accedit quod ardor ille, quatenus intolerans et inflexibilis, prout a religione christiana tanquam unica vera exigebatur, potius nocebat, quia erat contra consuetam tolerantiam omnium cultuum. Illud vero quod circa humilitatem et paupertatem Apostolorum additur, licet contrarium velit Renan, omnino falsum est; quod quidem a priori statui potest, quum potentes, sa-

pientes et divites inter ethnicos valde essent superbi, atque ideo pauperes et humiles non poterant non contemnere, licet verbis forte aliud profiterentur. Atque revera ita evenisse eruitur ex *Origene,* Cont. Cels. l. 3, n. 49, col. 986; l. 8, n. 47, col. 1587; *Felice Minutio,* Octav. c. 31, (M, L, 3, 353).

**528.** Dices 4.°—Religio christiana celeriter dilatata est, quia primis aerae christianae saeculis homines erant amantes superstitionis, et pruritum credendi habebant.

*Resp. N. Assert.* Primis sane aerae christianae saeculis non deerant athei et sceptici, sive speculativi sive practici, necnon multi epicurei, qui omnes repudiabant quidquid haberet umbram miraculi vel interventus Dei in rebus humanis, necnon omnem iis rebus fidem denegabant. Vide *Minutium Felicem,* Octav. c. 5, (M, L, 3, 252); *Originem,* Cont. Cels. l. 2, n. 51 (M, G, 11, 875).

Praeterea quamvis permittatur primis christianismi saeculis homines esse amantes superstitionis et faciles ad credendum, ut volunt adversarii, non fuit hoc causa celeris religionis christianae dilatationis; namque amor superstitionis et facilitas credendi possunt inducere ad amplectendam religionem, quae curiositatem foveat, et appetituum expletioni non contradicat, minime vero ad religionem recipiendam, quae, ut christiana, exigat observantiam legis naturalis, perfectam sui abnegationem et, saltem affectu, omnia bona temporalia renuntiare.

Ad haec, si miracula, vaticinia ceteraque supernaturalia religionis christianae essent mere existimata, ut contendunt adversarii, assignanda est causa, cur ethnici non amplexi sunt novas religiones, sc. Isis, Serapidis, Mithrae, invectas ex Aegypto et Asia, potius quam christianismum; nam illae etiam habebant multa mira existimata, aut per daemones patrata, et aliunde voluptatibus et appetituum expletioni non repugnabant, simulque moribus illius temporis de cultu deorum se accomodabant. Nec satisfacit quod dicit Renan, videlicet homines fuisse inductos in christianismum prae aliis religionibus, quia ille minora sacrificia exigebat, i. e., erat conformior rationi; nam aliud est aliquid probare, aliud moveri ad perficiendum, quod probamus, et notum est illud: *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Quod quidem rei praesenti optime convenit, quum religio christiana perfectam sui victoriam postulet, et ideo, quamvis rationi conformior videatur, difficultas propriis inclinationibus resistendi, ab illa amplectenda removebat, praeterquam quod plura sunt in religione chistiana rationem superantia, eique apparenter repugnantia.

Denique amor superstitionis et facilitas credendi potius christia-

nismo nocebat, quam favebat; quod homines facile judicabant omnes religiones aequales, et hinc alii omnes contemnebant, alii difficulter persuaderi poterant religionem Christi esse unicam veram, atque hi, ut alias religiones defenderent, in christianam insurgebant.

**529.** Dices 5.°—Celerem christianismi propagationem multum juvavit doctrina Christi, quatenus in ea traditur bonorum aeterna felicitas, Dei unitas, et mores puri et rationi conformes commendantur.

*Res. N. Assert.* Nam aeterna justorum felicitas et unitas Dei persuaderi non poterant maximae hominum parti, qualis erat plebs et homines non eruditi; non enim illis ratione persuaderi poterat, quia ob culturae defectum vim argumentorum non caperent; verum neque auctoritate, quia, si res mere naturaliter consideratur, parva admodum erat Apostolorum Christi et discipulorum auctoritas. Quocirca si eae veritates maximae hominum parti naturaliter persuaderi non poterant, neque propter eas ad religionem christianam amplectendam naturaliter inducti sunt. Ex philosophis vero, qui ad eas veritates intelligendas erant idonei, pauci religionem christianam amplexati. Quod denique de puritate morum additur, ea ad summum approbationem et laudem secum fert, sed ea sola non sufficit, ut homines ad eam servandam et custodiendam inducat. Verum ethnici generatim ob mores depravatos non recte percipere poterant, in quo sincera morum puritas consisteret.

Insuper ut propositae difficultatis levitas magis eluceat, prae oculis habeantur sequentia. 1.° Post mortem vita felix pro justis, et pro injustis punitio etiam ab ethnicis tradebatur, et ideo spes immortalitatis, si ab ejus fundamento vero aut falso praescindatur, non fuit causa dilatationis religionis Christi. Vide *Origen.* Cont. Cels. l. 3, n. 16 (M, G, 11, 939); l. 8, n. 48, col. 1587. 2.° multi doctrinam christianorum de aeternis praemiis aut suppliciis irridebant, ut constat ex *Luciano,* De morte peregrini, 13; *Arnobio,* Adv. gent, l. 2, n. 14, (M, L, 5, 831); *Minutio Felice* Octav. n. 12 (M, L, 3, 281), etc. 3.° licet polytheismus romanorum sub finem reipublicae fuerit aliquantulum imminutus, tempore imperatorum omnino instauratus fuit, ipsique imperatores ut dii colebantur, ut eruitur ex *Suetonio, Aelio Spartiano, Julio Capitolino, Aelio Lampridio, Dio Cassio,* etc. 4.° qui polytheismum contemnebant, non ideo Deum unum, ut christiani, agnoscebant, sed aut sola materialia admittebant, aut Deum cum mundo permiscebant, aut providentiam inficiabantur, aut simul cum Deo supremo daemones sive deos inferiores colebant. Vide *Origen.* Contr. Cels. l. 8, n. 24, col. 1554; *S. August.* De civ.

Dei, l. 7, c. 6, (M, L, 41, 199). 5.° non verum est judaeos propter unitatem Dei sibi comparasse magnam proselytorum copiam; ii enim, saltem qui circumcisione accepta ad legem mosaicam servandam adstringebantur, nunquam fuerunt valde numerosi. 6.° postremo mores erant prorsus depravati aetate imperatorum, neque tunc vigebat, ut asserunt Renan aliique rationalistae, desiderium vitae purioris, prout testantur historici illius aetatis; item *Tertull.* De spect. (M, L, 1, 703 et sq.); *Lactantius,* Inst. l. 1, c. 20, (M, L, 6, 216), etc.

**530.** Dices 6.°—Rapida religionis christianae propagatio tribui potest modo gubernationis inter christianos servato, mutuae caritati et fraternitati, necnon levamento, quod christiani sibi ipsis per eleemosynas praebebant.

*Resp. N. Assert.* Primo spes obtinendi gubernationem non poterat esse stimulus efficax, ut religio christiana reciperetur, nam erant multi obedientes, pauci gubernantes. Nec propagatio influxui gubernantium tribuenda; quia hi suam potestatem in christianos, non in extraneos exercebant. Praeterea auctoritas et consociatio aderat quoque inter judaeos necnon inter ethnicos ad eamdem sectam pertinentes, tamen nec judaismus neque aliqua ethnicorum secta propagata sunt.

Deinde mutua caritas, fraternitas et opitulatio, licet diffussionem christianismi juvarent, non erant causa sufficiens: tum quia per ingressum in religionem christianam ad propriam abnegationem et morum severitatem adstringebantur; tum quia neque a conditione plebeia et servili, neque ab obligatione suis dominis diligenter serviendi liberabantur; tum quia frequenter aderat periculum vitae in tormentis amittendae ob imperatorum persecutiones. Ad haec, multitudines primo conversae propter praedictas causas moveri non poterant, ut liquet. Item potentes, divites et nobiles memoratis causis potius a christianismo amplectendo deterrebantur. Ad ultimum, eximia inter primos christianos vigens caritas non explicatur naturaliter, quocirca si in illa vis erat trahendi, haec erat supernaturalis et divina.

**531.** Dices 7.°—A tempore Constantini Magni religio christiana ob prohibitionem cultus ethnici et favorem imperatorum propagata est. Ergo saltem ab eo tempore propagatio pro veritate religionis christianae nihil evincit.

*Resp. N. Assert.* Constantinus non ethnicum cultum publice exercere prohibuit, sed exercitium haruspicii et magiae privatum vetuit, quod quidem etiam ab imperatoribus ethnicis inhibitum fuit. Quae de Constantino in contrarium afferuntur, de cultu privato dumtaxat interpretanda. Vide notam apud. *Euseb. Caes.* De vita Constant.

l. 4, c. 23 (M, G, 20, 1171). Similiter accipienda quae de Constantio traduntur iu Cod. Theodosiano, l. 16, tit. 10, ut advertit Gothofredus. Primus imperator, qui cultum ethnicum publicum prohibuit, fuit Gratianus, qui ab anno 375 ad 385 imperavit, quem imitatus est Theodosius. Verum nunquam imperatores christiani violenter ad cultum ethnicum ejurandum coegerunt, sicut ethnici cum christianorum cultu fecerant.

Tamen argumentum pro religione christiana nixum ipsius propagatione non sumitur hic a tempore Constantini, sed ab ea multiplicatione quae ante conversionem hujus Imperatoris effecta est, quaeque, sicut abunde ostensum est, naturuliter explicari nequit. Vide Originem, Cont. Cels. L. 1. n. 46 (M, G, 11, 746).

**532.** Dices 8.°—Religionem christianam amplectebantur solummodo homines plebeii et servi, non autem sapientes, potentes, nobiles et divites. Ergo reipsa fuit quid mere naturale diffusio christianismi.

*Resp. N. Ant.* et *Cons.* Licet major pars christianorum esset ex conditione infima, prout eruitur ex I *Cor* I, 26 et sq.; tamen non defuerunt sapientes, potentes, nobiles et divites inter illos ut *Crispus, Sostenes, Apollo, Sergius Paulus, Dionysius Areopagita*, etc. Vide *Act. Ap.* VI, 7; XIII, 7-12; XVII, 4, 12, 34; XVIII, 8, 24; I *Cor.* I, 1; *Rom.* XVI, 10-11; *Philipp.* IV, 22; *Lucianum*, De morte peregr. 12, 13; *Lampridium*, Vita Alexandri Severi; *Dion Cassium,* Hist. l. 67, c. 14; *Ignatium* M., Epist. ad Rom. (*Funk*, PP. Ap. t. 1, 213); *Hermam,* Pastor similitud. VIII, 9, (*Funk*, *PP.* Ap. t. 1, p. 495); *Tertullianum,* Apolog. 37 (M, L, 1, 525); Ad Scapul. 4-5 col. 781 et sq.; *Euseb. Caes.* Hist. eccl. l. 5, cc. 5 (M. G, 20, 442) et 21 col. 486; l. 6, c. 4, col. 606; l. 7, c. 11, col. 662; l. 8, c. 1, col. 739, et c. 11, col. 767. Item ex inscriptionibus repertis in catacumbis constat christianos etiam ex praecipuis familiis extitisse.

**533.** Dices 9.°—Buddhismus, Mohammedismus aliaeque sectae celerrime propagata sunt. Ergo ex celeri propagatione nihil pro veritate religionis christianae evincitur.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Vis argumenti pro christianismo ex ejus propagatione non ponitur in ea sola, sed in modo, quatenus propagatio talis fuit, ut naturaliter explicari nequeat. In aliis religionibus et sectis naturaliter explicatur earum diffusio; in illis enim magna emolumenta temporalia saepe promittuntur, conceditur expletio passionum atque alia id genus, et nullibi extra christianismum exigitur completa sui abnegatio et omnium rerum, quoad affectum saltem, abdicatio. Mohammedismus speciatim armorum vi potissimum propagatus est. Verum de his plura ad finen hujus tractatus.

**534.** Dices 10.°—Si causae singulae ad dilatationem christianismi declarandam non sint satis, saltem omnes simul acceptae sufficient.

*Resp. N. Assert.* Etenim, licet non defuerint causae, quae propagationem religionis christianae juverint; verum omnes illae simul sumptae multum distant, ut sint ratio sufficiens diffusionis christianismi. Omnes enim illae desumuntur aut ex parte doctrinae, aut ex conditione et adjunctis eorum, quibus Evangelium praedicabatur, aut praedicantium; jam vero ex omnibus istis capitibus erant gravissimae difficultates contra propagationem, ut ex supra expositis liquet, et tales, ut vim eorum, quae favebant, superarent. Accedit quod naturaliter sunt maxime efficaciae ad alicujus systematis propagationem vis armorum et procuratio divitiarum et voluptatum, quorum neutrum in christianismi divulgatione interfuit. Eloquentia vero, si aliqua adhibita sit, jam supra declaratum est non fuisse causam sufficientem.

Unitas romani imperii, quae ab aliquibus inter adversarios multum ponderatur, fovebat quidem praedicationem Evangelii, sed non erat motivum sufficiens diffusionis, nec solum, nec cum aliis motivis conjunctum. Aliunde ipsa imperii unitas juvabat, ut imperatores religionem christianam facilius vexarent, et ejus deletionem omni conatu procurarent.

Ad finem juvat afferre verba *S. Joannis Chrysostomi, L. quod Christus sit Deus,* n. 1, (M, G, 48, 813) ita loquentis: «Primum autem cum Gentilibus manum conseram. Nam si dixerit Gentilis unde manifestum est Christum esse Deum?... Unde, inquam, nisi ex iis, quae apud me et illum in confesso sunt, nec in dubium vocari possunt... Quaenam igitur sunt ea, quae ipsum fecisse Gentilis ipse fatetur, neque negare potest? Quod christianorum genus ipse fundaverit: neque enim illud negaturus est, quod universas per orbem Ecclesias condiderit. Hinc ejus potentiae argumentum ducemus, et ostendemus ipsum vere Deum esse: dicemusque non esse puri hominis tantum orbem, terram, mare, tam brevi tempore pervadere, et ad res tantas evocare: cum maxime tam absurdis moribus assueti homines essent, et tot malis irretiti. Et tamen potuit ille humanum genus ab his omnibus liberare; non Romanos tantum, sed Persas et omne Barbarorum genus. Haec porro fecit non armis usus, non sumptibus, nullis exercitibus, non commissis praeliis, sed principio per undecim viros, ignobiles, viles, ignaros, idiotas, pauperes, nudos, inermes, calceis carentes, unica tunica tectos.» Et n. 17 versus finem dicit: «Cur non tecum hoc reputas: nisi Deus esset, Deusque fortis, quomodo cultores ejus

vexati et exagitati ita creverunt, qui autem illum crucifixerunt, et laeserunt, ita dejecti sunt, ut tota republica sua exciderent, et vagi, errones, profugi circumeant, nec quamtumvis diuturno tempore alterutrum eorum solutum mutatumque est?»

Et *S. August.* De fid. rerum, quae non videntur c. 4, n. 7 (M, 40, 176), inquit: «Me attendite, vobis dicit Ecclesia; me attendite, quam videtis, etiamsi videre nolitis... An vobis inane vel leve videtur, et nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quod in nomine unius crucifixi universum genus currit humanum?» Vide eumdem de Civ. Dei, l. 22, c. 5 (M, 41, 755).

## ARTICULUS IV

### Veritas religionis christianae ex fructibus demonstratur

**535.** *Praemit.* Ex dictis in articulis superioribus elucet religionem christianam continere doctrinam sive speculativam, sive practicam conformem rectae rationi et sine ulla erroris manifesti admistione, atque celerrime in oriente, et occidente, et fere per universum mundum propagatam esse. Quocirca religio christiana non potuit non inducere maximam et optimam morum mutationem, si homines, sicut illam amplexati sunt, sic eidem vitam accommodaverint. Porro nulla est absolute repugnantia homines illam accepisse, et mores ad normas et praecepta ab ea tradita non conformasse. Quare oportet demonstrari religionem christianam revera maximam morum immutationem induxisse, atque ex hac ipsius veritatem colligere. Atque hoc est hujus articuli scopus; quod sane nihil aliud est, nisi ex ejus fructibus veritatem deducere.

Thesis.

**Religio christiana maximam morum mutationem induxit, quae quidem virtuti divinae tribuenda est, et ideo ejus veritatem ostendit.**

Ut thesis probetur haec duo probanda: 1.° religio christiana maximam morum mutationem induxit; 2.° haec mutatio virtuti divi-

nae tribuenda, tertium vero, sc. inde veritatem ipsius patefieri, est manifestum; etenim Deus non potest tribuere peculiare auxilium et favorem falsitati et mendacio, praesertim in his adjunctis, quibus hoc significaret Deum velle falsitatem et mendacium, eaque probare.

**536.** *Prob.* 1.ª p. *seu religio christiana maximam morum mutationem induxit.* Nam 1.° tempore adventus Christi et postea qui religionem christianam non profitebantur, omnibus vitiis eran dediti; 2.° qui eam amplexi sunt, vitam sanctissimam et innocentissimam duxerunt.

1.° *mores pravi inter non christianos.* Id constat ex iis, quae de revelationis necessitate disputata sunt. Vide etiam *Le Nourry*, Dissert. in Tertull. cc. 12, 13 et 14 apud Migne Patrol. L., t. 2, col. 999 et sq. Hoc ipsum in praesenti confirmatur testimonio *Juvenalis.* Satir. 6, v. 292 et sq. ita obloquentis:

> «Nunc patimur longae pacis mala: saevior armis
> Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem,
> Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
> Paupertas romana perit: hinc fluxit ad istos.
> . . . . . .
> Prima peregrinos obscoena pecunia mores
> Intulit, et turpi fregerunt saecula luxu
> Divitiae molles. Quid enim venus ebria curat?»

Et *Senecae,* De ira, l. 2, c. 8, dicentis: «Omnia sceleribus ac vitiis plena sunt; plus committitur quam quod possit coercitione sanari. Certatur ingenti quodam nequitiae certamine; major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris aequiorisque respectu, quocumque visum est, libido se injungit; nec furtiva jam scelera sunt: praeter oculos eunt; adeoque in publicum missa nequitia est, et in omnium pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, sed nulla sit.» Etiam de judaeis testatur Paulus ad *Rom.* III, 9 et sq. Vide etiam *Rom.* I, 21 et sq.; I *Cor.* VI, 9 et sq. Atque id ipsum constabit ex testimoniis pro altera parte afferendis.

Item mores judaeorum ex his, quae de eorum sectis traduntur colligi possunt: nam esseni, ut habetur apud *Fl. Josephum,* De bell. jud. l. 2, c. 8, nn. 2 et 13, aut nuptias contemnebant, aut modo inhonesto eas inibant: pharisaei a *Joanne Baptista* (*Matth.* III, 7) et a Christo (*Matth.* XVI, 11; XXIII, 13 et sq. etc.) ob sua vitia acriter increpantur; et Sadducaei animae immortalitatem et substantias spirituales negabant (*Matth.* XXII, 23; *Act.* XXIII, 8). Vide *Act.* VII, 51 et sq.

Postremo saeculis posterioribus mores inter ethnicos, mohammetanos ceterosque religionem christianam non profitentes fuisse corruptos in comperto est.

**537.** 2.° *christiani vitam sanctam ducebant. a) Vita privata erat sancta.* Id constat ex *Act.* II, 42 et sq.; IV, 32 et sq.; ex I, *Cor.* VI, 11, etc. S. Paulus in suis epistolis christianos vocat *sanctos.* Id ipsum testantur alii auctores christiani omnino etiam fide digni, ut *Clemens Rom.* Epist. I ad Cor. n. 1 et sq, (*Funk,* t. 1, p. 60 et sq.; n. 55, p. 128), Auctor Epist. ad Diognetum, nn. 5 et 6 (*Funk,* t. 1, p. 316 et sq.), *Justinus,* Apol. 1, n. 14 (M, G, 6, 347), *Athenagoras*, Leg. pro christ. n. 11 (M, G, 6, 911), *Dionysius Alex.* apud Euseb. Hist. eccl. l. 7, c. 22 (M, G, 20, 690), *Tertullianus*, Apol. cc. 3, 9, ubi infanda ethnicorum crimina narrat, 36, 38, 44 etc. (M, L, 1, 328 et sq.), Ad nat. L. 1, n. 1 (col. 629), Ad Scap. c. 2, (col. 777) etc., *Minuc. Felix*, Octav. c. 31 et sq, (M, L, 3, 347), *Lactantius*, Inst. div. l. 3, c. 26 (M, L, 6, 431), *Origines,* Cont. Cels. L. 1, nn. 26, 27, 47 (M. G, 11, 710 et sq.), l. 3, n. 29 et sq. (col. 953), *Euseb. Caes.,* Praep. Evang. L. 1, c. 4 (M, G, 21, 35 et sq.), *S. August.* De moribus Eccl. L. 1, c. 31, et sq. (M, L, 32, 1337), etc.

Imo ipsi ethnici aliquo modo bonos mores christianorum fatebantur, ut Plinius Junior, Epist. 1, 10, epist. 97 ad Trajanum; Julianus Apostata apud Sozomenum, H. E. l. 5, c. 16, (M, G, 67, 1262).

In specimen aliqua testimonia auctorum laudatorum adduco. S. Clemens Rom. loco laudato inter alia dicit: «Quis enim apud vos deversatus, omni virtute plenam firmamque ac stabilem fidem vestram non probavit, sobriamque et moderatam in Christo pietatem non est admiratus, et splendidos ac liberales hospitalitatis vestrae mores non praedicavit, perfectamque certamque cognitionem vestram non beatam existimavit?» Et inferius n. 2: «Ornati virtutum plena et veneranda vitae ratione omnia in timore ejus peragebatis; mandata et praecepta Domini in latitudine cordis vestri scripta erant.»

Auctor Epistolae ad Diognetum: «In carne sunt, sed non secundum carnem vivunt. In terra degunt, sed in coelo civitatem suam habent. Obsequuntur legibus constitutis, et suo vitae genere superant leges. Amant omnes, et omnes eos persequuntur... Objurgantur, et honorem deferunt. Cum bonum faciant, tanquam improbi puniuntur.»

*S. Justinus,* Apol. l. 1, n. 14 (M, G, 6, 347): «Quemadmodum et nos, postquam Verbo credidimus, ab istis quidem descivimus, ac solum ingenitum Deum per ejus Filium sequimur; et qui olim stu-

pris gaudebamus, nunc castimoniam unice amplectimur; qui magicis etiam artibus utebamur, bono et ingenito nos consecravimus Deo; qui pecuniarum et possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea quae possidemus in commune conferimus, et cum indigentibus quibusque communicamus; qui mutuis odiis et caedibus pugnabamus, et cum iis qui tribules nostri non essent, communem focum ob diversa instituta non habebamus, nunc postquam Christus apparuit, convictores sumus, et pro inimicis oramus; et qui nos iniquis odiis prosequuntur, eos suadendo flectere conamur, ut qui secundum praeclara Christi praecepta vixerint, bonam spem habeant eadem se ac nos a Dominatore omnium Deo consecuturos.»

*Tertullianus,* Apol. c. 44 (M, L, 1, 560): «Vestros enim jam contestamur actus, qui quotidie judicandis custodiis praesidetis, qui sententiis elogia disjungitis. Tot a vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur; quis illic sicarius, quis manticularius, quis sacrilegus, aut corruptor, aut lavantium praedo, idem etiam christianus adscribitur? aut cum christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De vestris semper aestuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiae saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic christianus nisi hoc tantum, aut si et aliud, jam non christianus.»

*Lactantius,* Div. instit. l. 3, c. 26 (M, L, 6, 431): «Quod ergo illi poscente natura faciendum esse senserunt, sed tamen neque ipsi facere potuerunt, neque a philosophis fieri posse viderunt, sola haec efficit doctrina coelestis; quae sola sapientia est... Dei autem praecepta, quia et simplicia, et vera sunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum qui sit iracundus, maledicus, effraenatus; paucissimis Dei verbis, tam placidum, quam ovem, reddam...»

Postremo *Euseb. Caes.,* loco supra laudato, col. 39: «Illius autem utilitatis, quae palam doctrinae hujus praedicationem consecuta est, cuivis rem secum attente reputanti clarum hoc in primis et illustre specimen intueri liceat: quod nec alias unquam ex omni hominum memoria nec ab eorum ullo, qui fama quondam nominis et existimatione floruerunt, sed tantum ex quo ipsius doctrinae per universum orbem diffusae verbis et concionibus hominum aures affiari coepere, continuo factum est, ut qui ferini prius ac barbari nationum omnium mores fuerant, iidem lenioribus et humanioribus institutis mansuescerent.»

*b) Vita domestica et socialis ad praescripta legis naturalis*

*immutatae*. Nam restaurata aut introducta sunt unitas et indissolubilitas matrimonii, mutuus inter conjuges amor, evectio mulieris ut esset socia, non serva mariti, exstinctio potestatis vendendi et occidendi filios, mitigatio et pedetentim abolitio servitutis, imminutio bellorum, moderatio publicae potestatis et attenuatio tyrannidis; item reprobatus omnino et paulatim exstinctus usus, inter ethnicos valde frequens, sacrificandi victimas humanas, etc. Haec omnia ex historia Ecclesiae Catholicae necnon ex Apologetis aliisque auctoribus supra laudatis constant. De servitute speciatim videatur *Balmes,* Protest. c. 15 et sq. Vitia opposita etiam constant ex historicis aliisque scriptoribus romanis.

Speciatim Seneca, De ira L. 1, c. 15, probat morem extinguendi foetus portentosos et liberos debiles et monstrosos; De clementia, L. 1, c. 8, tradit Pollionem muraenas sanguine servorum saginasse, atque servos eum aliquid offendentes in vivarium serpentium projicere solitum esse; Valerius Maximus, l. 6, c. 3, de severit., Metellum uxorem fuste peremisse sine ullius reprehensione, quod vinum immoderate bibisset; Tacitus, Ann. l. 14, n. 42, morem occidendi omnes servos, si dominus occideretur; Ann. l. 2, n. 85, legem prohibentem matronas corpore quaestum facere; Suetonius, Augustus, n. 71, hunc imperatorem fuisse promptiorem ad vitiandas virgines, quae etiam ab ejus uxore conquirebantur; Fl. Josephus, De bel. jud. l. 7, cc. 2 et 3, Titum spectaculis occidisse plura millia judaeorum, etc.

**538.** 2.ª *Morum mutatio per Christum inducta auxilio Dei tribuenda. a')* Nam, sicut supra, quum de revelationis necessitate sermo fuit, probatum est, homo solis naturae viribus omnes veritates speculativas et practicas ad vitam ex omni parte rite instituendam invenire nequit: ergo quum christiani eas veritates non modo invenerint, verum etiam secundum illas vixerint, id divino auxilio tribuendum est.

*b')* Homo bonis sensibilibus et praesentibus maxime trahitur, estque valde inconstans et mutabilis, ac veluti fatigatur et fastidio afficitur uniformi agendi modo: ergo modo constanti non repudiabit oblectamenta sensibilia valde allicientia, nec resistet rebus in malum vehementer impellentibus, nisi divino auxilio juvetur, aut moveatur aliquo incitamento voluptatis, divitiarum vel honoris. Sed christiani his postremis incitamentis non movebantur. Igitur divino auxilio repudiarunt oblectamenta sensibilia valde trahentia, praesertim si consideretur ethnicos et etiam multos judaeos a pravis moribus, et vita omnibus vitiis dedita mutatos ad bonos mores et vitam omni ex parte honestam et sanctam.

*c')* Multi christiani virtutes heroicas exercuerunt, imo plures perpetuam servarunt virginitatem, et omnes voluptates et commoda vitae abdicarunt. Atqui hoc propter divinum auxilium praestiterunt. Ergo. Major constat ex Ecclesiae historia et ex documentis supra laudatis. *Prob. Min.* Non enim illud propter emolumentum aliquod temporale praestitere, nam hisce omnibus valedicebant; neque propter motiva a religione proposita, licet essent falsa, nec auxilium divinum haberent annexum; nam moraliter impossibile est ob motiva tantum existimata hominem contra proprias inclinationes et propensiones saepe vehementissimas jugiter luctari, et nunquam illis cedere, ut videtur ex se manifestum; et aliter darentur effectus valde miri et excellentissimi, quorum causa esset nihil. Ergo christiani revera propter divinum auxilium virtutes heroicas exercuerunt, et a voluptatibus ceterisque commodis temporalibus jugiter se abstinuerunt, quia nulla alia causa afferri potest.

Manet igitur probatum maximam morum a religione christiana inductam mutationem divino auxilio esse attribuendam, et idcirco hanc religionem esse veram.

**539.** Dices 1.° Testimonia supra allata tantum de bonis christianorum moribus in primis saeculis probant, non vero in tempore posteriore.

*Resp. 1.°* Si in aliquibus saeculis religio christiana mores immutavit, atque modum vivendi induxit innocentissimum et sanctissimum, eo ipso ostenditur vera et divina; etenim homo per solas naturae vires tempore diuturno non potest totam servare legem naturalem, et proprias cupiditates et propensiones ad normam rectae rationis continere, ut ex hominis inconstantia et fragilitate eruitur.

2.° In omni saeculo, ut ex historia constat, ubi floruit religio christiana, quae vocatur catholica, fuerunt plures, qui pie et sancte vixerunt; et isti veritatem suae religionis sufficienter patefaciebant. Quod si saepe major christianorum pars vitia consectata est, id perversae eorum voluntati tribuendum, quia secundum religionem, quam profitebantur, vivere noluerunt. Inter ethnicos vero crimina et vitia in ipso cultu deorum continebantur et probabantur.

**540.** Dices 2.°—Philosophi pythagoraei et esseni recte vixerunt. Ergo eorum secta erat vera.

*Resp. N. Ant.* Nam inprimis pythagoraei quid docuerint, qua ratione vixerint, parum compertum est, et nullatenus ostenditur eos habuisse doctrinam, et modum vivendi a norma rectae rationis non discrepantem. Esseni quidem ad veritatem et ad justam vivendi normam in multis accedebant; tamen non deerant in illis nonnulla

reprehensibilia, ut ex dictis in superioribus constat. Praeterea esseni non solis naturae viribus praestabant ea, quae ab ipsis servabantur; nam habebant revelationem mosaicam, nec divino auxilio prorsus destituebantur. Ad finem sive pythagoraei, sive esseni solummodo in aliqua, vel in paucis regionibus floruerunt, et nullibi populos integros ad se traxerunt, et multo minus mores totius orbis immutarunt; contrarium religioni christianae convenit.

## ARTICULUS V

### Veritas religionis christianae ex martyribus

**541.** *Praemitt.*—1.° Martyrium justa etymon, a voce graeca μαρτύριον, idem est ac testimonium; juxta rem vero ad praesentem scopum ita definiri potest: *voluntaria mortis perpessio ob christianam religionem a tyranno inflicta;* atque ille, qui talem mortem sustinet, vocatur martyr. Unde ad martyrium requiritur: *a*) ut quis mortem voluntarie acceptet et toleret; aliter enim non posset martyrium constituere testimonium veritatis. *b*) Ut martyr acceptet et toleret mortem, ne contra religionem christianam faciat, aut negando veritatem credendam, aut infringendo praeceptum servandum. *c*) Ut mors a tyranno, i. e. ab injusto occissore, infligatur, et quidem ob religionis christianae odium. Non est tamen necesse tyrannum hoc expresse confiteri; sufficit ut ex adjunctis ob talem causam agere appareat. Porro ita apparet, quum victimae promittitur liberatio a morte, si aliquod dogma religionis christianae inficietur, aut aliquod praeceptum infringat. Martyrium quatenus sumitur ut argumentum credibilitatis dupliciter considerari potest: 1.° quatenus est testimonium martyris pro religione christiana, quodque martyr suo sanguine firmat; 2.°, quatenus importat talem cruciatuum tolerantiam, quae sine speciali Dei auxilio explicari nequeat.

*Praemitt.*—2.° Martyrium est eximius fructus religionis christianae, quum sit virtutis actus valde heroicus; et ideo hoc loco de illo agitur, quia est motivum credibilitatis valde connexum cum proxime antecedenti. Vim martyrii pro religione christiana debilitare conatus est Dodwell, quum multitudinem martyrum in primis Ecclesiae saeculis negavit; sed eum validis argumentis refutarunt Rui-

nart, Zaccaria aliique. Nonnulli alii postea Dodwell secuti sunt. Catholici vero communiter ut argumentum valde efficax pro religione christiana habent martyrium; praesertim quatenus eo modo, quo evenit, sine speciali Dei auxilio explicari nequit. Sed quia ut testimonium martyris habet quoque magnam efficaciam pro veritate, utroque modo hic considerabitur; antea tamen nonnulla alia praemitti oportet.

**542.** *Praemitt.*—3.° *De martyrum multitudine.* *a*) Haec colligitur ex multis persecutionibus contra religionem christianam, quae inceperunt jam a primis annis praedicationis evangelicae (*Act.* VII, 55 et sq.; VIII, 1 et sq.; XII, 1 et sq. etc.), et postea plus minusve in omni saeculo usque ad praesens tempus extiterunt. Speciatim persecutiones sub romanis Imperatoribus solent numerari decem quae colliguntur ex *Euseb. Caes.*, Chronic. l. 2, Romae conditae 810 et sq. (M, G, 19, 543 et sq.), easque indicant *August.* De civ. Dei, l. 18, c. 52 (M, L, 41, 614), *Sulpitius Severus*, Hist. Sac. l. 2, n. 29 et sq. (M, L, 20, 145 et sq.) etc.; in quibus innumeri fere martyres suum sanguinem fuderunt.

Prima ponitur sub Nerone, altera sub Domitiano, tertia sub Trajano, quarta sub Marco Aurelio, quinta sub Severo, sexta sub Maximino, septima sub Decio, octava sub Valeriano, nona sub Aureliano, et decima sub Diocletiano. In prima indicant Tacitus, Ann. l. 15, c. 44, et Clem. Rom., I *Cor.* VI, (*Funk*, PP. A. 1, 69) magnam christianorum multitudinem tormentis periisse. De secunda scribit Bruttius, ut accepimus ab Euseb. Caes., Chronic. l. 2, anno Romae conditae 840 (col. 551), plurimos christianorum fecisse martyrium. De tertia tradit Euseb. Caes. Hist. eccl. l. 3, c. 33 (M, G, 20, 286) plurimos fideles multiplicis martyrii certamen subiisse, et in Chron. Romae cond. an. 850 (col. 553), solum Plinium minorem plurimos christianos interfecisse; et de quarta H. eccl. l. 5, prooem. (col. 407) innumerabiles prope martyres per universum orbem enituisse, ex iis quae in unica provincia contigerunt, confici. De quinta scribit idem Euseb. H. eccl. l. 6, c. 1, (col. 522) in omnibus ecclesiis fuisse illustres martyres, sed praesertim in Alexandrina. Et ita de ceteris.

In persecutione septima sub Decio, licet plurimi defecerint, tamen multi fuerunt illustres martyres, ut eruitur ex Dyonis. Alex. apud Euseb. Caes., H. eccl. l. 6, c. 40 et sq. (col. 602 et sq). Eodem loco initio c. 42 ex eodem Dionysio traditur: «Sed et alii complures per oppida et vicos a gentilibus discerpti sunt.» Rursus idem Dionysius, apud eumdem Euseb., H. eccl. l. 7, c. 11, (col 670), ad Domitium et Didymum scribit: «Nostros vero superfluum est nominatim recensere (martyres), cum et plurimi sint et vobis ignoti.»

Postremo in persecutione Diocletiani quam numerosi fuerint martyres colligitur ex laudato Euseb., H. eccl. l. 8, c. 3, et sq. (col. 747 et sq.). In c. 11 (col. 767) refert integram christianorum urbem fuisse concrematam cum omnibus incolis, et antea ad finem c. 4 (col. 750) dixerat: «Verum ubi apertius se ad bellum accinxit, dici non potest quot et quantos Christi martyres in omnibus locis atque urbibus passim cernere licuerit.» De eadem persecutione tradit Lactantius, De mort pers. c. 16 (M, L, 7, 217): «Vexa-

batur ergo universa terra, et praeter Gallias, ab oriente usque ad occasum tres acerbissimae bestiae saeviebant.» Et Severus Sulpitius, Hist. Sac. l. 2, c. 32 (M, L, 20, 147): «Omnis fere sacro martyrum cruore orbis infectus est. Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est: neque majore unquam triumpho vicimus...» Item Theodoretus, Graec. affect. serm. 9, (M, G, 83, 1042): «Neque singulos isti (Diocletianus, Maximianus, Maxentius, Licinius) binosve aut ternos e christianis impetebant, sed plurimos gregatim, et millenos simul et decies millenos trucidabant. Quibusdam etiam in urbibus plenas viris, et feminis, et pueris ecclesias incenderunt...»

*b) Multitudo martyrum sub imperatoribus romanis generatim.* S. Justinus, Dial. cum Tryph. n. 110 (M, G, 6, 731), dicit: «Non solum ex propriis possessionibus unusquisque christianorum expellitur, sed etiam ex toto terrarum orbe nec ulli christiano vitam liberam relinquitis.» S. Iraen. Contr. huer. l. 4, c. 33, n. 9 (M, G, 7, 1078): «Quapropter Ecclesia omni in loco ob eam quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore praemittit ad Patrem.» Item S. Cyprianus, De exhort. martyr. c. 11, vers. fin. (M, L, 4, 672): «Exuberante postmodum copia virtutis ac fidei, numerari non possunt martyres christiani...» Denique Prudentius, Peristephan. hymn. 11 (M, L, 60, 530), canit:

«Innumeros cineres sanctorum Romula in urbe
Vidimus, o Christi Valeriane sacer,
Incisos tumulis titulos, et singula quaeris
Nomina? Difficile est ut replicare queam.
Tantos justorum populos furor impius hausit,
Cum coleret patrios Troja Roma deos.»

*c)* Praeterea a tempore Constantini usque ad nostra tempora in omni saeculo fuerunt plures martyres, prout in historia Ecclesiae refertur.

**543.** *Praemitt. 4.° De tormentorum acerbitate et qualitate personarum.* Tacitus, Ann. l. 15, c. 44, inquit de christianis occisis tempore Neronis: «Et pereuntibus addita ludibria ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur.» S. Justinus, Dial. cum Tryph. n. 110 (M, G, 6, 730), dicit: «Dum enim gladio percutimur, dum crucifigimur, dum feris tradimur et vinculis et igni et omnibus aliis tormentis, a confessione ut manifestum est, non discedimus.» Lactantius, Div. inst. l. 5, c. 11 (M, L, 6, 585): «Quae autem per totum orbem singuli gesserint, enarrare impossibile est. Quis enim voluminum numerus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis? Accepta enim potestate, pro suis moribus quisque saeviit. Alii prae nimia timiditate plus ausi sunt, quam jubebantur: alii suo proprio adversus justos odio; quidam naturali mentis feritate: nonnulli ut placerent, et hoc officio viam sibi ad altiora munirent.»

Eusebius Caes. in variis locis suae historiae tormenta martyrum commemorat, speciatim in l. 8, c. 14 (M, G, 20, 786) de tempore Diocletiani dicit: «Nam et viri ignem et ferrum, clavorum suffixiones, bestias, profundos maris gurgites, membrorum abscissiones ac perustiones, confixiones, et effosiones oculorum, totiusque denique corporis mutilationes: ad haec famem, metalla et vincula perpessi, in his omnibus maluerunt pro vera

pietate tolerantiae suae specimen edere, quam rejecto Dei cultu, simulacra venerari. Et mulieres doctrina verae fidei non minus quam viri roboratae, aliae eadem quae viri certamina subierunt, et aequalia virtutis adeptae sunt praemia...» Denique id ipsum ex Actis martyrum abunde constat, ut videre est apud Ruinart, Act. prim. mart. Vide D. Le Nourry, Dissert. in Apol. Tertull. c. 16, a. 1, (M, L, 1, 1055).

Accedit quod ad vim cruciatuum augendam lente torquebantur, ut describit Lactantius, De mort. pers. c. 21 (M, L, 6, 229). Et idem Auctor, Div. inst. l. 5, c. 11, (M, L, 6, 586), dicit de persecutoribus: «Et nihil aliud devitant, quam ut ne torti moriantur... jubent curam tortis diligenter adhiberi ut ad alios cruciatus membra renoventur.» Item vim tormentorum suo modo augebat negatio omnis defensionis; nam ut scribit Tertullianus, Apol. c. 2, (M, L, 1, 319): «Sed christianis solis nihil permittitur loqui, quod causam purget, quod veritatem defendat, quod judicem non faciat injustum.»

*De martyrum qualitate.* Fuisse inter martyres omnis aetatis et conditionis constat ex Ruinart, Act. martyr. aliisque. S. Dionysius, Alex., apud Euseb., H. eccl. l. 7, c. 11 (M, G, 20, 670), scribit ad Domitium et Didymum: «Id tantum in universum scire vos convenit, viros et mulieres, juvenes et senes, puellas et anus, milites ac paganos, ex omni denique hominum genere atque aetate, alios flagrorum verberibus, alios ferri acie, alios ignibus in certamine toleratis coronas retulisse.» Idem constat ex Euseb. opere toties laudato, l. 8, c. 3, et sq. (col. 747 et sq.), ubi de persecutione Diocletiani agitur. In cap. 6, refert gloriosos et illustres inter ceteros martyres fuisse imperatorum cubicularios, quique ab illis non minus quam filii diligebantur, atque in summo honore habebantur.

**544.** *Praemitt. 5.° De martyrum virtutibus a) De eorum alacritate.* Licet in aliquibus persecutionibus plurimi defecerint; tamen semper fuerunt plures, qui ad martyrium alacriter properarunt. S. Just., Dial. cum Tryph., n. 114 (M, G, 6, 739), inquit: «Quorum corda ita sunt pravitate circumcisa, ut laeti mortem oppetamus propter nomen praeclarae illius petrae (Christi)...» Tertullianus ad Scap. c. 5, (M, L, 1, 783) refert de civitate quadam *omnes illius civitatis christianos ante tribunalia ejus* (Praefecti) *se manu facta obtulisse, ut martyrium subirent.* Severus Sulpitius, Hist. sac. l. 2, c. 32 (M, L, 20, 147), dicit: «Quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multo avidius tum martyria gloriosis mortibus quaerebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur.» Similia tradit S. Hilarius, Tract. in psal. 65, n. 21 (M, L, 9, 432). S. Ignatius, Epist. ad Rom. *(Funk*, PP. A. t. 1, p. 213), maxima martyrii desideria manifestat, Polycarpus jam jam in rogum immittendus gratias Deo agebat, quod inter martyres posset computari (Ep. Eccl. Smyrn. n. 14; *Funk*, PP. A. t. 1, p. 299); de SS. Perpetua Felicitate et sociis traditur *hilares et vultu decoros* ad martyrium perrexisse (Ruinart, Act. martyr.), atque multa alia his similia in actis martyrum leguntur.

*b) De fortitudine, patientia aliisque virtutibus generatim.* In epist. eccl. Smyrn. n. 2 *(Funk*, PP. A. t. 1, 285), traditur: «Beata igitur et generosa fuerunt cuncta martyria quae juxta voluntatem Dei evenerunt... Quis enim generositatem eorum et patientiam et erga Deum caritatem non admiretur, qui flagellis adeo lacerati, ut ad intimas usque venas et arterias cor-

poris structura cerneretur, tamen sustinuerunt, ita ut etiam adstantes miserarentur et plangerent, ipsi vero eo fortitudinis venirent, ut nemo illorum neque murmuraret neque ingemisceret, omnibus nobis ostendentes, quod martyres Christi hora ista, qua torquebantur, extra carnem fuerint, aut potius, quod Dominus assistens cum ipsis esset collocutus?» Minuc. Felix, Octav. c. 37 (M, L, 3, 368), inquit: «Vos ipsi calamitosos viros fertis ad coelum, Mutium Scaevolam, qui... periisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset. Et quot ex nostris non dextram solum, sed totum corpus uri, cremari, sine ullis ejulatibus, pertulerunt, quum dimitti praesertim haberent in sua potestate? Viros cum Mutio, vel cum Aquilio aut cum Regulo comparo? Pueri et mulierculae nostrae cruces et tormenta, feras et omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia dolores illudunt.» Et Tertullianus, Apol. c. 1, (M, L, 1, 317): «Christianos vero, nihil simile; neminem pudet; neminem poenitet, nisi plane retro non fuisse. Si denotatur, gloriatur; accusatur, non defendit; interrogatus vel ultro confitetur; damnatus gratias agit.» Similia habet Ad. nat. l. 1, n. 1, col. 630.

Denique Lactantius, Inst. div. l. 5, c. 13 (M, L, 6, 592): «Nam cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimant, id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare. Latrones et robusti corporis viri ejusmodi lacerationes perferre nequeunt: exclamant et gemitus edunt; vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem (ut de viris taceam) pueri, et mulierculae tortores suos taciti vincunt; et exprimere illis gemitum nec ignis potest. Eant romani et Mutio glorientur aut Regulo... Ecce sexus infirmus, et fragilis aetas dilacerari se toto corpore urique perpetitur, non necessitate, quia licet vitare, si vellent, sed voluntate, quia confidunt Deo.»

*c*) *Martyrum virtutes ex christianorum multiplicatione.* Ex martyriis christiani multiplicabantur, ut tradunt scriptores illius aetatis. Sic Auctor Epist. ad Diognetum n. 7 (*Funk*, PP. A. t. 1, p. 323), scribit: «Nonne vides, quo plures supplicio afficiuntur, tanto majorem fieri numerum reliquorum?» Et S. Justinus, Dial. cum Tryph. n. 110 (M, G, 6, 730): «Sed quanto magis magisque nobis talia infliguntur, eo plures alii per nomen Jesu fideles et pii fiunt.» Item Tertullianus, Apol. c. 50 (M, L, 1, 663): «Nec quidquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra; illecebra est magis sectae. Plures efficimur quoties metimur a vobis; semen est sanguis christianorum.» Idem tradunt Origenes, De princ. l. 4. n. 2 (M, G, 11, 346); Lactantius, Div. inst. l. 5, c. 23 (M, L, 6, 628); Theodoretus, Graec. affect. curat. serm. 9 (M, G, 83, 1043); S. Ambrosius, Epist. 18 Valentiniano, n. 11 (M, L, 16, 1016); etc. Jam vero martyria non aliter poterant esse semen christianorum, nisi quia ethnici in illis videbant eximias virtutes et aliquid divinum, atque hoc revera testatur Lactantius allatus sub *b*).

*d*) *Virtutes in resistendo cognatis.* Constantia, fortitudo aliaeque virtutes martyrum patefactae quoque sunt quatenus illi cognatis et amicis resistebant. Unde dicit S. August., Enarr. in psal. 47, n. 13 (M, L, 36, 541): «Sed tales quos vere Christi et veritatis charitas perduceret ad passionem, quid eis fecerunt tentationes saevientium? Majorem violentiam habuerunt oculi flentium suorum, quam persecutiones insectantium. Quam multos

enim tenebant filii ne paterentur! Quam multorum genibus provolvebantur uxores, ne viduae relinquerentur! quam multos parentes filii prohibebant mori, sicut novimus et legimus in passione S. Perpetuae! Facta sunt ista. Sed lacrymae quantaelibet et quantolibet impetu fluerent, quando ardorem charitatis extinguerent?»

*e*) De aliis martyribus in omni saeculo etiam constat quanta fortitudine, constantia ceterisque virtutibus sanguinem fuderint.

**545.** *Praemitt. 6.° de causa martyrii.* Tyrannos occidisse christianos ob professionem religionis ex historia ecclesiastica aliisque documentis fide dignis liquet. Speciatim de martyribus trium priorum saeculorum ex actis martyrum apud Ruinart elucet. Id ipsum eruitur ex Tacito, Ann. l. 15, c. 44; Suetonio, Claud. c. 16, ubi satis clare indicant causam suppliciorum in christianos fuisse *exitiabilem superstitionem novam ac maleficam.* Idem innuit Trajanus, Epist ad Plinium, quum jubet christianum obtinere veniam, si neget se esse christianum *supplicando diis.* Hoc docet S. Justinus, Apol. 1, n. 8, (M, G, 6, 338); Apol. 2, n. 4, col. 450; quum significat christianos sola negatione a supplicio posse liberari; et in Apol. 1. n. 11. col. 342, inquit: «Ut vel ex eo patet quod a vobis interrogati fateamur nos esse christianos, quamvis mortis poenam confitenti positam sciamus.» Similia habet in Dial. cum Tryph. n. 34, col. 550, et alibi. Et Tertullianus, Apol. c. 2 (M, L, 1, 319), dicit: «Sed illum solum expectatur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis.» Et eodem loco versus finem capitis adjungit: «Ideo torquemur confitentes, et punimur perseverantes, et absolvimur negantes, quia nominis praelium est.» Idem abunde constat ex aliis apologetis et ex historia Eusebii.

Et licet vulgus, magistratus, imperatores, alias causas saeviendi in christianos allegarent, ut bonum publicum, deorum cultum, reverentia erga imperatores, aliaque id genus; haec tamen omnia in professione religionis christianae revera nitebantur; nam christiani propter leges, quibus adstringebantur, non poterant colere deos, imo alios a tali cultu avertebant, et ideo bono publico nocere dicebantur; nec poterant imperatoribus honores divinos tribuere, neque adesse festis ludisque publicis, in quibus superstitiosa et lasciva continebantur, etc.

THESIS.

**Testimonium martyrum,**
**necnon eorum invicta fortitudo et constantia ceteraeque virtutes veritatem religionis christianae commonstrant.**

**546.** NOTA.—Thesis duplicem continet partem: prima est testimonium martyrum, i. e., attestatio, quam martyres pro religione christiana suum sanguinem fundendo dederunt, hujus religionis veritatem demonstrat; altera est: fortitudo, constantia ceteraeque virtutes, quas martyres in martyrio subeundo patefecerunt, eamdem demonstrat veritatem. Utraque pars, ut jam supra dictum est, communiter est recepta a catholicis, sed secunda est potior.

*Prab. 1.ª p., seu martyrum testimonium veritatem religionis christianae monstrat.* Martyres, quum testimonium pro religione christiana dederunt, sciebant id quod testabantur, et veraciter loquebantur. Atqui eo ipso illorum testimonium monstrat veritatem religionis christianae. Ergo. Minor liquet; nam martyres sanguinem fuderunt, ne religionem christianam aut ejus praecepta inficiarentur; unde si rem sciebant et veraciter loquebantur, eorum testimonio omnino standum est. Major igitur probanda.

*Prob. Maj.* Imprimis sciebant quod testabantur; etenim martyres simul cum veritate doctrinae christianae, testabantur resurrectionem Christi, miracula ipsius et Apostolorum aliaque id genus, quae quidem sunt connexa cum veritate doctrinae. Sed martyres bene cognoverant resurrectionem Christi, ejusdem et Apostolorum miracula necnon alia miraculosa; nam eorum plures, ut Apostoli et multi ex discipulis, fuerunt testes oculati resurrectionis vel aliorum miraculorum et rerum mirabilium; alii vero rem a testibus immediatis acceperunt, et horum scientiam et veracitatem recte perspicere poterant, imo ea reapse investigarunt et perspexerunt, et repugnat moraliter ut aliter fieret, quum martyres sint innumeri omnis aetatis et conditionis, nationis, temporis, etc., et ageretur de re gravissima, a qua eorum felicitas aut infelicitas et temporalis et aeterna pendebat. Ergo martyres revera sciebant resurrectionem Christi et alia mirabilia, quae testabantur, et idcirco etiam veritatem doctrinae christianae; nam illa mirabilia cum hujus veritate, saltem modo morali, connectuntur.

Deinde veraciter loquebantur: erant enim homines probi, ut ex disputatis de christianorum moribus colligitur, neque ex mendacio

aliquod emolumentum temporale expectare poterant, sed amissionem vitae et omnium bonorum, neque aderat causa aliqua, qua ad mentiendum inducerentur.

Non gloria, qua praedicarentur fortes et invicti; tum quia hoc illorum probitati non convenit, tum quia mortem inter atrocia tormenta accipere pro re falsa, non ad gloriam, sed ad ignominiam et notam stultitiae conducit, praesertim quia non poterant sperare propagationem et conservationem rei in falsitate fundatae; tum quia incredibile est innumeros martyres omnis aetatis, conditionis, nationis etc. pro re cognita ut falsa vitam inter tormenta voluntarie amisisse; tum quia ipsum suppliciorum genus saepe erat ignominiosum; tum denique quia ad summum ab aliis christianis, qui falsitatem non ignorabant, laudarentur, non ab aliis, quibus erant despectui et irrisioni. Accedit quod christiani, si ex cupiditate propriae gloriae agerent, contra doctrinam Evangelii (*Matth.* VI, 1 et sq) agerent, quodque plures aut occulte aut simul cum multis martyrium subierunt, et ideo nihil humanae gloriae poterant sperare.

Non fanatismus seu fervor et aestus sive vehemens passio pro re falsa: nam supponimus ex priore parte martyres cognovisse veritatem, fanatismus vero in ignorantia fundatur. Aliunde haec hypothesis aliis de causis etiam respuitur. Nam fanatismus, quum re falsa nitatur, nequit eos eximios fructus edere, qui in martyribus elucebant, nempe heroica fortitudo, constantia, patientia ceteraeque virtutes, de quibus in praemit. 5.° actum est. Praeterea fanatismus inducit quidem ad agendum, ad alios occidendos, imo ad se ipsum occidendum aut morti tradendum, minime vero ad diuturnos cruciatus fortiter tolerandos, ad eximiam patientiam ostendendam. Item solet se restringere ad certum tempus, locum et genus hominum, imo decursu temporis solet defervescere et extingui; testimonium autem martyrum fuit in omni tempore, loco et hominum conditione, nec decursu temporis desierunt esse martyres. Nec congruit fanatismo tranquillitas, quam prae se ferebant martyres, nec eorum sapientia et prudentia in responsis. Denique in fanaticis non reperitur ille amor quem martyres in omnes etiam in ipsos tortores exhibebant, ut legitur de martyribus viennensibus et lugdunensibus apud Eusebium, H. eccl. l. 5, c. 2 (M, G, 20, 435).

Postremo nulla alia causa afferri potest, qua martyres aut fallerentur, aut fallerent. Ergo eorum testimonium veritatem religionis christianae probat. Ad rem S. Hieronymus, Epist. 120 ad Hedib. c. 11 (M, L, 22, 10002), ait: «Triumphus Dei est passio martyrum; et pro Christi nomine cruoris effusio, et inter tormenta laetitia. Cum enim

quis viderit tanta perseverantia stare martyres, atque torqueri, et in suis cruciatibus gloriari, odor notitiae Dei disseminatur in gentes, et subit tacita cogitatio quod, nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur. Neque enim delicata et divitiis studens ac secura confessio est; sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, in nuditate et siti. Hic triumphus est Dei Apostolorumque victoria.»

**547.** *Prob.* 2.ª p. *seu fortitudo, constantia ceteraeque martyrum virtutes veritatem religionis christianae demonstrant.* Virtutes. quas innumeri martyres omnis conditionis et aetatis in martyrio subeundo patefecerunt, divino auxilio tribuendae sunt. Atqui eo ipso veritatem religionis christianae demonstrant; nam aliter Deus suum auxilium innumeris hominibus omnis aetatis, conditionis, loci, temporis etc. dedisset, ut modo heroico vitam darent pro re falsa, quod sane esset falsitatis probatio; hoc autem Deo repugnat. Item virtutes in martyriis elucentes ethnicos ad religionem christianam amplectendam inducebant, ut dictum est praemit. 5.° sub *c)*, Deus autem suo auxilio ad rem falsam inducere nequit. Minor igitur constat, et sola major probanda est.

*Prob. Maj. a)* Fortitudo, constantia, patientia cetereaque virtutes heroicae, quae in innumeris martyribus omnis conditionis, aetatis, loci et temporis splenduerunt, nequeunt tribui ulli emolumento vel motivo temporali, quum per martyrium cum vita omnia temporalia amittantur; neque cupiditati gloriae aut fanatismo, ut in prima parte ostensum est; neque stupiditati vel nulli motivo, nam quodlibet animal a cruciatibus naturaliter fugit, et virtutes heroicae non exercentur stupide et sine ullo motivo; neque daemoni, nam martyria ad contemptum et aversionem daemonis et augmentum cultus unici Dei ducebant; neque motivis spiritualibus a religione christiana propositis, si haec sint falsa, quia hoc reducitur ad fanatismum, qui supra refutatus est. Ergo tantum restat martyres virtutes heroicas exercuisse propter motiva vera a christianis proposita, aut propter auxilium Dei, aut propter utrumque; et quiquid ex his dicatur, licet ultimum tantum sit verum, infertur, ut est manifestum, veritas religionis christianae.

*b)* Martyres non exercuerunt virtutes heroicas et sustinuerunt martyrium ob motiva temporalia, ut liquet; sed neque ob sola motiva spiritualia; nam homo naturaliter bonis sensibilibus et praesentibus valde afficitur, et parum bonis spiritualibus et invisibilibus, atque ideo incredibile est innumeros homines omnis aetatis, conditionis, loci et temporis ob sola motiva spiritualia et invisibilia reliquisse

bona visibilia et praesentia, quibus maxime afficiebantur. Ergo martyres illas heroicas virtutes sine speciali Dei auxilio non exercuerunt, quum aliud medium assignari nequeat.

*c)* Si solis naturae viribus haberi possent virtutes heroicae, quae in martyribus omnis aetatis, conditionis, loci et temporis splenduerunt, non est ratio, cur similes virtutes extra religionem christianam non reperiantur, quum inter ipsos ethnicos non defuerint occasiones exercendi tales virtutes. Atqui eae virtutes heroicae hominum omnis conditionis, aetatis, etc. extra religionem christianam non reperiuntur, aut si aliqua exempla adducantur, v. g. Reguli, Mutii Scaevolae, etc. sunt multo inferiora exemplis christianorum, et non difficile explicantur ob motiva amoris patrii, gloriae bellicae similiumve. Ergo virtutes heroicae martyrum non viribus naturae, sed divino auxilio tribuendae sunt.

*d)* Ipsi martyres non sibi tribuebant fortitudinem, patientiam ceterasque virtutes, sed Deo, prout ex Actis martyrum constat. Sic S. Polycarpus jam jam comburendus, ut habetur in Epist. Eccl. Smyrn. n. 13 (*Funk,* PP. A. t. 1, 297), dicebat: «Sinite me sic (i. e. non me clavis palo affigatis); qui enim dat ignem pati, dabit et sine vestra ex clavis cautione imperturbatum in pyra permanere.» Et S. Felicitas, ut est apud Ruinart, Act. mart. SS. Felic. et Perpet. n. 15, inquit: «Illic (in martyrio) autem alius erit in me, qui patietur pro me, quia et ego pro illo passura sum.» Atque hoc ipsum affirmatur in testimoniis adductis praemit. 5.° sub *b),* aliisque, quae afferri possent. Sic S. Cyprianus, De mortal. n. 17 (M, L, 4, 594) ait: «Primo in loco non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium...»

*e)* Ipsi ethnici in christianorum martyrio aliquid divinum videbant, ut eruitur ex dictis praemitt. 5.° sub *c).* S. Justinus, Apol. 2, n. 12 (M, G, 6, 463), fatetur se per spectationem martyrii ad religionem christianam amplectendam fuisse inductum.

*f)* Deus saepe probabat martyrium manifestis miraculis ut ex Actis martyrum constat, et Eusebius, H. eccl. l. 8, c. 7 (M, G, 20, 755), aliqua refert.

**548.** *Obj.* 1.° Martyres mortem acerbissimam sustinere poterant, ut honores illis ab aliis christianis impertiendos consequerentur, ac dedecus in lapsos redundans vitarent. Ergo.

*Resp. N. Ant.* Primo haec difficultas iisdem argumentis rejicitur, quibus vanae gloriae cupiditas supra rejecta est. Deinde in actis martyrum nullibi traditur talis causa martyrii tolerandi, sed amor Dei, Christi, desiderium beatitudinis, aeternarum poenarum vitatio, etc. Postremo hoc motivum humilitati, qua martyres ad supplicium perge-

bant, prorsus repugnat. Sic S. Ignatius, Epist. ad Rom. nn. 4 et 9 (*Funk*, PP. A. t. 1, p. 217 et sq.), dicebat: «Christum pro me supplicate, ut per haec instrumenta Deo hostia inveniar... Ego autem erubesco ex eorum numero dici; non enim sum dignus, utpote qui sim ultimus eorum et abortivus.» Item de martyribus Viennae et Lugduni scribitur apud Eusebium, H. eccli, l. 5, c. 2, (M, G, 20, 434): «Qui quidem Christum aemulari atque imitari tantopere studuerunt... ut quamvis in tantum gloriae culmen evecti essent, nec semel atque iterum, sed saepius martyrium subiissent, et a bestiis denuo in carcerem relati essent; quamvis ignium impressa vestigia, quamvis vibices et vulnera toto corpore circumferrent, tamen nec se ipsos martyres praedicabant, nec a nobis ita appellari paterentur. Verum si quis nostrum per litteras aut in familiari colloquio eos martyres compellasset, objurgabant graviter atque increpabant. Martyris enim appellationem libentissime concedebant Christo, utpote fido veroque teste, et primogenito mortuorum, vitaeque coelestis principi et auctori. Eos quoque qui jam ex hac vita migraverant martyres, nobis commemorabant aiebantque: *Hi jam sunt martyres, quos in ipsa confessione Christus assumi voluit, professionem ipsorum morte tanquam annulo obsignans: nos vero viles atque abjecti confessores.* Simul profusis lacrymis obsecrabant fratres, ut continue ad Deum preces fierent, quo tandem ipsi perfectum finem adipisci mererentur.» Atque alia id genus in actis martyrum saepe leguntur.

**549.** *Obj.* 2.° Fortitudo martyrum explicari potest spe vitae immortalis, quam martyres conceperunt. Ergo inde veritas religionis christianae non probatur.

*Resp. N. Ant.* et *Cons.* Nam spes vitae immortalis etiam beatae, si sumitur seclusa ab omni alio motivo et a speciali Dei auxilio, est motivum mere spirituale, quod non est sufficiens ad innumeros homines omnis aetatis et conditionis impellendos ut mortem inter acerbissimos cruciatus tolerent: tum quia homines multo magis erga bona sensibilia afficiuntur, quam erga spiritualia; tum quia naturaliter non ita vivide apprehenderent vitam immortalem, ut hujus causa vellent durissima quaeque perpeti. Quod si Tacitus, Hist. l. 5, c. 5, dicit de hebraeis: «Animas praelio aut suppliciis peremptorum aeternas putant; hinc generandi amor et moriendi contemptus»; haec verba accipienda sunt quatenus aut ad illos, qui vera fide et Dei auxilio mortem cruentam tolerarunt, referantur, aut si etiam ad alios, non unice spe vitae immortalis acerbam mortem subierunt. Item Mohammedani si spe paradisi fortiter occumbunt, non sola hac spe id faciunt, sed etiam aliis motivis, praeterquam quod milites in

praelio impetu passionis aguntur, et patientiam et virtutes heroicas non ostendunt.

**550.** *Obj 3.°* In aliis sectis innumerabiles homines suum sanguinem diversis de causis voluntarie fundentes recensentur: nam *a*) De antiquis aegyptiis traditur eos patientissime tormenta, et ipsam mortem tolerasse, ne aliquid confiterentur. *b*) In Indiis plures rotis curruum, quibus idola vehebantur, se subjiciebant, ut necarentur; alii se ipsos vulnerabant et mutilabant vel duros sibi cruciatus infligebant; uxores in ignem comburendas se immittebant, ut simul cum earum maritis defunctis comburerentur. *c*) Quidam ex donastistis, ut scribit Augustinus, De haer. 69 (M, L, 42, 43), *per mortes varias maximeque praecipitiorum et aquarum et ignium se ipsos necare consuerunt. d)* Innumeri milites et multi variis suppliciis damnati fortiter mortem sustinuerunt. Ergo ex martyribus nihil pro religione christiana deducitur

*Resp. 1.°* generatim. In nulla secta reperiuntur tot homines heroici omnis aetatis, sexus et conditionis, qui inter atrocissimos cruciatus et cum omnium virtutum comitatu vitam amiserint, imo cum omnibus his conditionibus extra religionem christianam nulli reperientur.

2.° In multis ex laudatis habetur occisio sui metipsius, quae non est actus virtutis, sed res vituperanda, quia homo non est dominus suae vitae. Quod si aliqui ex christianis, ut referunt Eusebius, Hist. eccl., l. 8, c. 12 (M, G, 20, 770) et Augustinus, De civ. Dei. lib. 1, c. 26 (M, L, 41, 39), hoc fecerunt, nisi ex motione Dei fecerint, etiam reprehendendi.

3.° ad singula. Ad *a*). Quae de aegyptiis traduntur, si vera sint, ad eos referri videntur, qui ob sua crimina ad ultimum supplicium damnandi erant, et ideo potius mortem inter tormenta subibant, quam confiterentur, ut aliam mortem magis ignominiosam vitarent.

Ad *b*) Sui ipsius vulneratio, mutilatio et occisio per rotas curruum vel quocumque alio modo sunt manifeste res contra legen naturalem, et idcirco testimonium veritatis esse nequeunt; sed videntur effectus fanatismi et cujusdam furoris caeci. Praeterea omnes illi cruciatus brevisimo tempore perfici solebant. Uxores vero indiorum simul cum suis maritis defunctis in rogum se projicere debebant, quia mos illarum regionum ita postulabat, et quae ita faciebant, laudabantur et celebrabantur; secus autem perpetua ignominia notabantur et omnibus contemptui erant. Accedit quod de illis uxoribus exempla patientiae martyrum non traduntur, nec igne lento, sed vehementi flamma, et ideo brevi, extinguebantur.

Ad *c*) Quod de quibusdam donatistis narratur, certe erat effectus fanatismi et furoris caeci.

Ad *d*) Milites saepe minatione mortis coguntur se periculis exponere, et variis stimulis naturalibus ad fortiter pugnandum excitari solent, neque inter illos mortes lentae et crudelissimae, sicut inter martyres, habentur. Denique exemplum de damnatis ad extremum supplicium nihil probare liquet: tum quia hi mortem vitare, sicut poterant martyres, nequeunt; tum quia in necessitate moriendi constituti aliquam fortitudinem ob vanitatem simileve motivum ostendere possunt.

**551.** *Obj. 4.°* Plures in tormentis religionem christianam negabant, quique lapsi compellabantur. Ergo ex lapsis falsitas religionis christianae ostenditur.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Lapsi, dum plena libertate fruuntur, religionem christianam sequuti sunt, et solummodo vi tormentorum illam negarunt, et propterea eorum negatio nulla probationis efficacia donatur, praesertim quia multi eorum suam negationem retractarunt, et duram poenitentiam peregerunt.

**552.** *Obj. 5.°* De martyrio non constat, nisi jam subaudiatur vera religio, pro qua toleratum est. Ergo martyrium non potest haberi ut motivum veritatis religionis christianae. *Prob. Ant.* Nam S. Cyprianus, De Unit. Eccl, n. 14, (M, L, 4, 510), dicit: «Esse martyr non potest qui in Ecclesia non est», et inferius: «Ardeant licet flammis et ignibus traditi vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed poena perfidiae; nec religiosae virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus.» Item S. Augustinus, Contra Crescon. l. 3, c. 47, n. 51, (M, L, 43, 525): «Et tandem intelligat quod Christi martyrem non facit poena, sed causa.»

*Resp. D. Ant.* De martyrio in uno vel altero martyre non potest constare, nisi subaudiatur etiam in ordine cognitionis vera religio, *Trans.*; in innumera martyrum multitudine omnis aetatis, conditionis, loci et temporis et eximiis virtutibus coruscante non potest, etc. N. Argumentum ex martyrio pro religione christiana non ex uno vel altero matyre depromptum est, verum ex innumera martyrum multitudine omnis aetatis, conditionis, etc., ac eximiis virtutibus micante; talis autem martyrum multitudo nonnisi in vera religione reperiri potest, et censequenter est signum certum verae religionis. Transmisi de uno vel altero martyre, quia in aliquo martyre tam heroicae virtutes manifestari queunt, ut signum sufficiens verae religionis praebeant.

Deinde quum martyrium sumatur ut testimonium verae religio-

nis, clarum est in ordine ontologico veram religionem supponere, et tantummodo in illa reperiri posse; verum hinc non impeditur, quominus possit esse etiam signum verae religionis, et ordine cognitionis esse prius; sicut etiam signa generatim rem signatam et in cujus notitiam ducunt, supponunt, et cetera motiva credebilitatis vera religione nituntur, et nihilominus ipsius cognoscendae sunt medium. Testimonia Patrum in oppositum allata solum docent martyrium non posse existere nisi in vera religione, quod quidem omnino tenendum est; sed minime negant martyrium posse esse medium verae reiigionis cognoscendae Attamen si aliunde aliqua religio vel secta agnoscatur falsa, recte concluditur in illa non esse martyrium; et hoc sensu PP. adducti loquebantur.

## ARTICULUS VI

### Veritas religionis cristianae ex ejus mirabili conservatione

**553.** *Praemitt. 1.°* Ex dictis hucusque elucet veram esse religionem a Christo fundatam, atque ab ejus Apostolis et discipulis propagatam; id enim evincunt miracula, prophetiae, doctrina, mores sancti, martyrum testimonium necnon mirabilis propagatio. Hoc ipsum in praesenti ex mira religionis Christi conservatione confirmandum. Attamen, quum inter ipsos, qui religionem christianam sectari profitentur, existat divisio et diversa fidei professio, oportet, antequam rem aggrediamur, definire, utrum de conservatione christianismi prout omnes, qui aliquo modo se christianos dicunt, complectitur, agatur, an de ejus conservatione sub aliqua determinata forma. Verum hujus quaestionis solutio ex dictis colligitur; nam de conservatione illius religionis christianae, quam Christus et Apostoli fundarunt, agendum est. Haec autem non est, nisi illa forma quae vocatur Ecclesia Catholica; atque ideo non agitur hic de conservatione christianismi prout omnes christianos complectitur, sed quatenus in Ecclesia catholica continetur. Atque Ecclesia catholica sua mirabili conservatione et praerogativis seu notis, quibus insignitur, ostenditur esse religio vera, et ideo eadem a Christo fundata. Verum, demonstrata jam ex variis argumentis veritate religionis christianae, ex libris. N. T., historice consideratis potest ostendi quaenam sit vera religio a Christo fundata, ut n. 554 et sq. fit.

**554.** *Praemitt.* 2.° Ecclesiam quidem catholicam, et eam dumtaxat, continere religionem christianam, quam Christus et Apostoli fundarunt, ita evincitur.

1.° Illa religio est eadem, quam fundavit Christus, quae sola iisdem characteribus ornatur, quibus Christus suam religionem ornari voluit. Atqui sola religio christiana, quam Ecclesia Catholica profitetur, iisdem characteribus ornatur, quibus Christus suam religionem ornari voluit. Ergo. Consequentia est clara: similiter major; si enim aliqua religio habet characteres religionis fundatae a Christo, et ejus cultores profitentur sequi Christum, revera ut religio a Christo fundata habenda est. Probanda igitur est minor.

*Prob. min.* Characteres religionis a Christo fundatae sunt habere unam fidem, universalitatem seu catholicitatem, non variare dogmata nec ritus a Christo institutos, atque constituere unam societatem. Atqui isti characteres habentur in Ecclesia Catholica; habet enim unam fidem, quam profitentur omnes ejus socii, ut liquet ex symbolis et formulis fidei ab omnibus admissis; est universalis seu catholica, quum non modo ita vocetur, verum etiam per totum orbem se extendat; non variat dogmata et ritus a Christo instituta, ut ex ejus historia liquet; denique unam societatem intime conjunctam format, quum omnes catholici uni capiti Romano Pontifici subjiciantur. Deinde sola Ecclesia catholica habet hos characteres: nam nulla alia forma religionis christianae assignari potest, quae habeat simul unam fidem, universalitatem et constantiam in iisdem dogmatibus et ritibus divinis admittendis, unamque societatem constituat. Sic. v. g. protestantes, si omnes simul considerentur, carent unitate fidei, neque unam societatem constituunt; sin autem accipiantur seorsim, universalitate carent. Similiter schismatici graeci et russi neque unitatem fidei, neque universalitatem, neque unam societatem constituunt. Restat, ut major ultima per partes breviter ostendatur.

*a) Religio a Christo fundata debet habere unam fidem.* Nam Christus praecepit Apostolis, ut tradit *S. Matthaeus*, XXVIII, 20, ut docerent omnes gentes *servare omnia quaecumque mandavi vobis*, et ideo non tantum praecipua, sed omnia, et consequentur credere toti Evangelio, ut dicitur a *Marco*, XVI, 15, 16, his verbis: «*Praedicate Evangelium omni creaturae... qui vero non crediderit, condemnabitur*», ubi sensu obvio totum Evangelium ponitur credendum. Item Christus ostendit se multum velle, ut ex *Joan*, XVIII, 11, 21-23 eruitur, omnes fideles esse unum; hoc autem parum voluisset, nisi fidei unitatem, sine qua fidelium unitas stare non potest, jussisset. Itidem Paulus, Ephes. IV, 5, ponit *unam fidem* sine ulla restrictione, atque ideo omnes fideles eadem esse credituros. Idem *Paulus*, I Timoth. III, 15, vocat Ecclesiam *columnam et firmamentum veritatis*, quod quidem non staret, si ablata fidei unitate, daretur fides partim falsa. Postremo idem Apostolus ad Tit. III, 10, tradit *haereticum hominem*, seu in fide facientem divisionem, esse devitandum; et ad *Galat.* I, 8-9, dicit anathema illi, qui aliter evangelizet; haec autem, si fidei unitas non requiritur, non rite explicantur.

*b) Religio Christi universalis seu catholica.* Nam Christus jussit *docere omnes gentes (Matth.* XXVIII, 19), *praedicare Evangelium omni creaturae (Marc.* XVI, 15), *praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes* (*Luc.* XXIV, 43), Apostolos esse *testes Christi...*

*usque ad ultimum terrae (Act.* I, 8). Haec autem manifeste ostendunt Christum instituisse religionem suam universalem seu catholicam. Id eruitur etiam ex *Matth.* XXVI, 13, et *Marc.* XIV, 9; *Luc.* I, 43, 79, II, 31, 32; *Rom.* I, 8, X, 18; *Galat.* III, 8 et sq.; *Ephes.* II, 14; *Colos.* I, 6, etc.

*c) Religio christiana invariabilis in fide et ritibus a Christo institutis.* Nam si decursu temporis fides mutaretur, eo ipso non esset una seu eadem fides, neque in singulis instantibus esset una, quia variatio non fieret modo uniformi et simul in omnibus locis. Insuper, quum Christus praecepit Apostolis (*Matth.* XXVIII, 19, 20) ut docerent gentes observantiam eorum omnium, quae mandaverat, addidit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* His autem verbis, sensu obvio, non significatur religionem christianam quocumque modo usque ad finem mundi permansuram, sed cum omnibus illis, quae Christus instituerat et mandaverat. Denique *(Matth.* XVI, 18) Ecclesia Christi ponitur aedificata supra petram, et non fore, ut portae inferi contra illam praevaleant; hoc vero non staret, si doctrina et ritus a Christo instituti, a quibus cetera pendent, variarentur.

*d) Veram Christi religionem profitentes debent constituere unam societatem.* Profitentes veram Christi religionem constituunt *Ecclesiam* sive coetum evocatorum *(Matth.* XVI, 18; I, *Cor.* X, 32; *Galat.* I, 13; *Ephes.* V, 23-27, etc.), *regnum (Matth.* XIII, 38; *Luc.* XVI, 16; *Joan.* XVIII, 36), *unum ovile (Joan.* X, 16), *gregem* (*Act.* XX, 28; I. *Petr.* V, 2), *unum corpus* (*Rom.* XII, 5; I *Cor.* XII, 13, 20; *Ephes.* IV, 4, 16), *debent esse unum et consummari in unum* (*Joan.* XVII, 21, 23). Haec autem minime vera essent, nisi profitentes religionem Christi constituerent unam societatem.

*e) Characteres assignati sunt absoluti et duraturi usque ad finem mundi.* Nam Christus prorsus absolute affirmavit, ut constat ex *Matth.* XXVIII, 20 et XVI, 18, se constanter adfuturum suae Ecclesiae usque ad consummationem saeculi, et non fore, ut portae inferi contra eam praevalerent.

**555.** 2.° Ea est vera religio a Christo fundata, in qua per legitimam continuationem usque ad Apostolos et Christum pervenimus. Atqui hoc in sola Ecclesia catholica seu romana locum habet. Ergo. Major constat; nam sicut Christus misit Apostolos ad opus suum continuandum, Apostoli alios et ita porro usque ad praesens tempus, quum ex dictis vera Christi religio non possit perire; ex opposito in vera Christi religione necesse est possimus ex statu praesenti religionis christianae retrocedere usque ad Apostolos et Christum per legitimam et non interruptam continuationem. Atque haec regula ad veram Christi religionem dignoscendam traditur a S. Iraeneo, Adv. haer. l. 3, c. 3, n. 1 (M, G, 7, 848), Tertulliano, De praescrip. c. 32 (M, L, 2, 52) aliisque PP. Minor vero ex historia probatur, ex qua eruitur Ecclesiam Romanam per legitimam continuationem se porrigere usque ad Apostolos; contra protestantes, schismaticos sive graecos sive russos ortum habuisse, non secundum successionem a Christo institutam, sed ad arbitrium aliquorum hominum.

3.° Ea religio christiana est vera, quae propter speciale Dei auxilium et mire propagata est, et innumeros habuit martyres virtutibus heroicis exornatos, ut ex supra disputatis elucet. Atqui Ecclesia catholica et romana, ut ex historia probatur, est talis religio christiana. Ergo.

**556.** 4.° Vera religio a Christo fundata est illa, quae *Ecclesia catholica*

nominatur, ut testatur S. Ignatius M., Ad Smyrn. n. 8 (*Funk*, PP. A. p. 241), Eccles. Smyrn. Epist. de martyr. S. Polycarpi, in tit. et nn. 8 et 19 (*Funk*, p. 283 et sq.), aliique PP. Atque sub nomine *Ecclesiae catholicae* non significant collectionem omnium sectarum, quae christianae nominentur; nam ipsi PP. ab Ecclesia catholica excludunt haereticos, et speciatim hoc facit S. Cyprianus, Epist. ad Antonianum, n. 24 (M, L, 3, 814), Lactantius, Div. inst. l. 4, c. 30 (M, L, 6, 542), Augustinus, De util. credend. c. 7, n. 19 (M, L, 42, 78) aliique. Sed ecclesia illa, quae jam a primis religionis christianae temporibus *catholica* nominatur, non est alia, quam Ecclesia nunc catholica nominata seu romana, ut ex historia demonstratur, quatenus ex illa elucet religionem Christi vocatam catholicam esse continuatam sub eadem denominatione et sine substantiali variatione usque ad praesens tempus sine ulla interruptione. Ergo.

Manet igitur probatum religionem a Christo et ab Apostolis fundatam esse eamdem cum illa, quae nunc catholica et romana nuncupatur.

**557.** *Praemitt.* 3.°—Quum religio christiana, prout illam profitetur Ecclesia catholica, ut proxime ostensum est, sit eadem, quam Christus et Apostoli fundarunt, eo ipso demonstratur religio vera miraculis Christi et Apostolorum, ceterisque argumentis, quibus hucusque religionem veram comprobavimus. Atque in praesenti ejus veritas ulterius mirabili ipsius conservatione corroborabitur; et hoc duplici via fiet. Primo, quatenus ejus conservatio naturaliter explicari nequit, et ideo speciali Dei auxilio tribuenda; secundo, quatenus jugiter et etiam in praesenti iis notis adornatur, quae eam divinam et veram ostendunt. Duplici igitur thesi materia hujus articuli declarabitur.

### Thesis I.

### Conservatio ecclesiae catholicae seu religionis a Christo institutae veritatem ipsius confirmat.

**558.** *Prop.* Ecclesia catholica impugnata est ab hostibus externis, videlicet judaeis, ethnicis, mohammedanis, incredulis, rationalistis, sectis massonicis; ab iis, qui ex suo sinu prodierunt, seu ab innumeris haeresibus, quarum fere in omni saeculo plures prodierunt, et ab schismatis, aliisque divisionibus et procellis; omni armorum genere, sc. potentia, scientia, opibus, mendaciis, calumniis, fraudibus, aperta vi, insidiis, corruptione, seductione, diversisque machinationibus; maximo odio et conatu: in omni fere regione atque jugiter ab ejus primordiis usque ad praesens tempus; fuit impugnata religio publica et per universum orbem sparsa, et ideo impugnationi exposita; denique omnia, quae ad illam spectant, impugnata sunt,

nimirum dogmata, instituta, ritus, praecepta etc. Nihilominus Ecclesia catholica de tantis hostibus, tantis impugnationibus tamque diversis impugnandi modis constanter triumphavit et aucta est, et licet multos filios et integras provincias in lucta amiserit, per novos filios detrimenta reparavit. Atqui iste constans Ecclesiae catholicae triumphus naturaliter explicari nequit, et speciali Dei auxilio tribuendus est; etenim Ecclesia non triumphavit opponendo arma armis, sed ejusdem fidei professione, obedientia uni capiti, patientia et tolerantia malorum et omnium virtutum exercitio, et licet plures principes ei auxilium praestiterint, multo plures illam directe vel indirecte insectati sunt. Quum igitur haec media, si naturaliter considerentur, sint prorsus insufficientia, ut victoria de tot hostibus, et tantis et tam diversis oppugnationibus obtineatur, haec divino auxilio reportata est; et quum divinum auxilium in favorem rei falsae impertiri nequeat, Ecclesiam catholicam esse veram religionem concludendum est.

Accedit quod omnia philosoporum systemata atque alia humana instituta evanuerunt; imperia potentissima et florentissima corruerunt; omnes nationes, a tempore Christi usque ad praesens, magnas perturbationes et transformationes subierunt: sola Ecclesia catholica tot modis jugiter oppugnata perseverat immutata, neque in aetatum decursu aliquid illi simile reperiri potest. Ergo ejus constans et uniformis conservatio divino auxilio tribuenda.

**558.** Dices 1.°—Judaismus, mohammedismus, aliaeque sectae a multis saeculis conservantur. Ergo ex conservatione non probatur veritas religionis christianae.

*Resp. C. Ant.* et *D. Cons.*: praecise ex conservatione non probatur veritas religionis christianae, C.; ex modo, quo conservatur, N. Religio christiana ita conservatur, ut ejus conservatio naturaliter explicari nequeat, ut ex dictis constat; mohammedismus et aliae sectae ideo conservantur, quia proteguntur a potestate politica, et passionibus indulgent, nec jugiter cum eodem vigore et splendore permanent, prout in Ecclesia catholica evenit. Judaismus quidem speciali Dei providentia perseverat: verum haec divina protectio non est ad probandam veram judaeorum religionem; sed ad catholicam confirmandam; nam ex illis et eorum libris ostenduntur impletae divinae praedictiones pro religione catholica; aliunde judaei nec moribus, nec alia ratione ostendunt veram suam religionem, sed contrarium evenit.

**560.** Dices 2.° — Conservatio Ecclesiae catholicae admirabili ipsius constitutioni tribui potest.

*Resp. N. Assert.;* etenim sola Ecclesiae constitutio et naturalis diligentia ad Ecclesiam conservandam non sufficiunt: quia ea non sunt potentia, ut impediant vitia gubernantium et populi, dissensiones et pugnas inter imperantes, populi corruptionem et seductionem, aliaque id genus, quibus societates debilitantur et tandem dilabuntur.

Ad rem praesentem faciunt, quae traduntur in *Act. A.* V, 34 et sq., sc.: «*Surgens autem quidam in Concilio Pharisaeus, nomine Gamaliel, legisdoctor honorabilis universae plebi, jussit foras ad breve homines fieri: dixitque ad illos: Viri israelitae attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis. Ante hos enim dies exstitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est: et omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, et redacti ad nihilum. Post hunc exstitit Judas Galilaeus in diebus professionis, et avertit populum post se, et ipse periit; et omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, et sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud...*»

## Thesis II.

**Ecclesia catholica in sua conservatione iis notis insignitur, quae eam divinam et veram religionem ostendunt.**

**561.** *Prob.* 1.° *ex nota miraculorum.* Ecclesia catholica a suis primordiis usque ad praesens miraculorum nota constanter insignita fuit, ut constat ex PP., historia ecclesiastica, vitis sanctorum, Actis Sanctorum Bollandianis, ex bullis canonizationis sanctorum et ex monumentis servatis in sanctuariis B. V. Mariae dicatis, et nostro tempore ex aede Lourdes. Sint in hujus rei specimen aliqua PP. testimonia.

S. Irenaeus, Adv. haer. l. 2, c. 32, n. 4 (M, G, 7, 829) inquit: «Quapropter et in illius nomine, qui vere illius sunt discipuli ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi, qui emundati sint a nequissimis spiritibus; et sint in Ecclesia. Alii autem et praescientiam habent futurorum, et visiones, et dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curant, et sanos restituunt. Jam etiam, quemadmodum diximus, et mortui resurrexerunt, et perseverarunt nobiscum annis

multis.» Tertullianus, Apol. c. 23 (M, L, 1. 472): «Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem daemone agi constet. Jussus a quolibet christiano loqui spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Aeque producatur aliquis ex iis, qui de Deo pati existimantur... nisi se daemones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius?» Item Origenes, Cont. Celsum, l. 1, n. 46 (M, G, 11, 746): «Quin et etiamnum apud christianos nonnulla supersunt illius Spiritus Sancti, qui columbae specie apparuit, vestigia. Nam daemonia ejiciunt, morbos curant, et volente Verbo futura praevident.» Et eodem loco, l. 2, n. 8, col. 807: «Non enim amplius eis (judaeis) sunt prophetae, non miracula; cum contra apud christianos etiamnum miraculorum aliquantum supersint vestigia, imo majora, quam apud illos fuere, aliquando fiunt; et si in re quid ponderis habet nostrum testimonium, nos ipsi vidimus.»

In saeculis posterioribus ex vitis et actis Santorum et ex aliis documentis possent plura in singulis saeculis adduci miracula omnino fide digna.

Jam vero in Ecclesia catholica non facta essent plura miracula in singulis saeculis, nisi ipsa esset vera religio; nam tot miracula et tam constanter patrata favorem Dei in Ecclesiam catholicam ostendunt; talem autem favorem Deus pro religione falsa dispensare non posset, quia secus homines ad religionem falsam amplectendam induceret, praesertim quum talia miracula in sola Ecclesia catholica faciat. Praeterea multa miracula effecta sunt, quae directe ad probandum Ecclesiam catholicam esse veram religionem tendebant, ut sunt, v. g. ea omnia, quae Evangelii praecones effecerunt, ut S. Patritius, Hiberniae Apostolus, S. Agustinus, Angliae, S. Bernardus, etc.; et aetate posteriore S. Vincentius Ferrer, S. Franciscus Xavier, S. Ludovicus Bertrandus, aliique.

Sicut in Ecclesia catholica nunquam defuerunt miracula, similiter in illa viguit spiritus prophetiae, et multae prophetiae adduci possent, quae, saltem indirecte, illam veram religionem manifestant.

**562.** 2.° *ex sanctitatis nota.* Nullum fuit saeculum, in quo Ecclesia catholica non habuerit plures et martyres heroica fortitudine aliisque virtutibus ornatos, et confessores, qui ob eximiam sanctitatem et heroicas virtutes colantur ut sancti, quorum multi perpetuam virginitatem servarunt. Jam a saeculo quarto et deinceps jugiter in Ecclesia catholica floruerunt familiae religiosae, in quibus innumeri viri et mulieres singulis saeculis perpetuam castitatem, obedientiam et paupertatem tenuerunt, mundo omnibusque rebus mundanis vale-

dixerunt, Deo ejusque cultui se perfecte manciparunt, vitamque sanctissimam, imo heroicam, duxerunt. Atque sanctitas aliquorum membrorum Ecclesiae catholicae in omni saeculo miraculis confirmata fuit, idque tempore posteriore ex actis canonizationis sanctorum liquet. Jam vero sanctitas talibus characteribus ornata solis naturae viribus explicari nequit, sed divino favori et auxilio tribuenda, et ideo veritatem religionis, in qua floruit, ostendit.

**563.** 3.° *ex nota unitatis fidei et obedientiae uni capiti modo constanti et stabili.* In Ecclesia catholica et romana jam a multis saeculis modo constanti et stabili habetur unitas fidei et obedientia uni capiti, Romano Pontifici, et haec a Christo et Apostolis non ducere originem, probari nequit. Atqui haec unitas fidei et obedientia tam constans et stabilis naturaliter explicari nequit, quum Ecclesia Romana per universum orbem semper se porrexerit, et in suo sinu nationes inimicas et diversas lingua, moribus etc. jugiter complexa sit, nec unquam aliquid simile decursu aetatum visum sit. Ergo talis fidei unitas et obedientia divino auxilio tribuenda sunt: ergo Ecclesia catholica est vera religio, secus enim Deus illi tale auxilium non impertiret.

**564.** 4.° *ex propagationis et fecunditatis nota.* Ecclesia catholica et romana a suis primordiis constanter propagata est inter ethnicos, et suum vigorem et virilitatem jugiter servavit, ut ex historia constat. V. g. medio aevo propagata est per Angliam, Germaniam aliasque septentrionales Europae regiones; tempore posteriore per Africam, Asiam atque inter americanos indios. Et licet propagatio christianismi in Russia principaliter per graecos facta sit; tamen peracta est tum, quum graeci ab Ecclesia Romana adhuc penitus sejuncti non erant. Praeterea Ecclesia catholica magnam semper habuit fecunditatem in operibus misericordiae aliisque bonis. Caritatem heroicam erga pestilentia aliisque morbis contagiosis affectos exercuit, indigentibus omnis generis subvenit. Ad haec, institutae sunt familiae religiosae pro variis necessitatibus, v. g.: ad redimendos captivos, ad subveniendum in agonia positis, curandos infirmos, opitulandum senibus jam impotentibus sibi providere, erudiendam pietate et scientia juventutem, etc. Atque hae familiae suum scopum generatim mira constantia, patientia et caritate adimpleverunt. Jam vero tam constans propagatio, tanta in eximiis misericordiae operibus fecunditas et constantia nequit naturaliter explicari, et idcirco divino auxilio tribuenda, et consequenter Ecclesia catholica ut vera religio habenda est.

Atque Ecclesiam catholicam esse veram religionem indirecte

confirmatur, quia inter schismaticos, sive graecos sive russos, inter protestantes aliasque christianorum sectas non adsunt tales notae. In illis non reperiuntur plura miracula in singulis saeculis, non viri et mulieres, quorum sanctitas miraculis manifestetur, non constans propagatio inter ethnicos, sed tota eorum propagatio fere non fuit aliud, nisi catholicorum seductio, non mira fecunditas in operibus misericordiae exercendis, non frequens observatio perpetuae virginitatis, non denique magna copia familiarum religiosarum, quae omnino valedicant mundo, Deo complete se tradant, et perpetuam castitatem, obedientiam et paupertatem observent.

**565.** *Corollar. I.* Ex dictis colligitur quam verum sit, quod *Conc. Vatic.* sess. 3, c. 3, docuit his verbis: «Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.»

*Corollar. II.* Quum Ecclesia catholica sit vera religio, ejus dogmata sunt vera: quare, quum dogmata Ecclesiae catholicae sint, imo aliorum fundamenta, Scripturas et V. et N. Testamenti Deum habere auctorem, et existere traditiones divinas, seu quarum auctor est Deus, colligitur haec dogmata esse vera, ac proinde Scripturas revera Deum habere auctorem, et existere quoque traditiones, quarum auctor est Deus.

**566.** *Observa.* Probatum est, d. 1, c. 1, a. 6, thes. 3, existere strictam obligationem amplectendi veram revelationem seu religionem; quocirca omnes obligatione proprie tali adstringuntur ad amplectendam religionem christianam, prou ea in Ecclesia catholica traditur; haec enim est sola vera religio, et se ipsam tradit ut necessariam ad salutem consequendam, ut eruitur ex Marco, XVI, 16; Joan, III, 15 et sq.; Act. A. IV, 12; Rom. III, 22 et sq., etc. Rursus omnes debent admittere dogmata Ecclesiae catholicae, quia fides debet esse una, universalis et invariabilis, ut in *praemitt 2.°* dictum est; et ideo talia dogmata sunt vera; nam Deus nequit imponere obligationem admittendi rem falsam ut veram. Ex quo iterum infertur Sacras Scripturas habere auctorem ipsum Deum, necnon divinas traditiones existere.

# DISPUTATIO III

## De religionibus a christiana diversis

### CAPUT I

### De vera religione ante Christum

In hoc capite et in sequenti tractatur de aliis religionibus a christiana, ut hujus veritas magis confirmetur. Hoc caput articulum duplicem complectetur: in primo sermo erit de religione primitiva et patriarchali; in altero de mosaica.

#### ARTICULUS I

#### De religione primitiva

**567.** *Praemitt.* 1.° Vera religio ante revelationem mosaicam et christianam erat illa, quae a recta ratione et primitiva revelatione praescribebatur; nam homines debent duci ratione, et subjici divinae revelationi, ut dictum est d. 1, c. 1, a. 6. Hic nomine revelationis primitivae significatur illa, quae ante mosaicam facta est. Hanc revelationem fuisse vere divinam hic demonstrabitur.

*Praemitt.* 2.° Ex dictis in disputatione proxime praecedenti, c. 3, a. 6, constat omnia dogmata religionis christianae esse vera, et quum unum ex illis sit Genesim, in quo revelatio primitiva continetur,

Deum habere auctorem, ex hoc colligitur revelationem primitivam esse divinam. Attamen in praesenti historice et philosophice revelationem primitivam esse Dei ostendendum est.

*Praemitt.* 3.° Ut revelatio primitiva in Genesi contenta philosophice et historice divina ostendatur, ex *Introductione* ad Sacram Scripturam supponitur Genesim esse librum a Moyse scriptum et fidem facientem. Speciatim veracitas et scientia Moysis ex eo eruitur, quod juxta universam traditionem fuit vir justus et sanctus, et ex antiquis traditionibus fide dignis vel etiam scriptis omnia depromere potuit.

### Thesis.

**Revelatio primitiva erat divina,**
**veritatesque fundamentales complectebatur,**
**atque per revelationem christianam erat complenda.**

**568.** Nota.—Thesis triplicem partem continet: 1.ª est, revelatio primitiva erat divina; 2.ª veritates fundamentales complectebatur; 3.ª denique per revelationem christianam complenda. Omnes tres partes theologice sunt de fide, philosophice et historice videntur quoque certae. Sensus secundae partis non est exclusivus, sed in illa asseritur veritates saltem fundamentales in revelatione primitiva haberi.

*Prob.* 1.ª p. 1.° Moyses erat vir sapiens et sanctus, ut ex constanti judaeorum traditione habetur, atque ideo de rebus narratis ei credendum est. Atqui Moyses narrat revelationem primitivam fuisse divinam eamque miraculis et prophetiis confirmatam. Ergo ita credendum est.

*Prob. Min.* Imprimis Moysen tradere revelationem primitivam ut divinam, ex singulis fere Genesis capitibus liquet; in illis enim Deus passim ponitur loquens seu revelans hominibus. Deinde fuit confirmata miraculis, saltem late talibus; nam Deus modo visibili hominibus saepe se manifestavit, quum praecise ad revelandum non esset necessarium, et esset aliquid saltem supra vires naturae sensibilis; item induxit diluvium (*Gen.* VII), diversitatem linguarum (XI, 7), eversionem Sodomae et Gomorrhae (XIX, 24), atque haec miracula Deo vel bono angelo atribuenda ex dictis n. 206. Denique etiam prophetiis confirmata fuit; etenim Deus praedixit diluvium (VI, 17), terram Chanaan a posteris Abrahae possidendam (XII, 7), ejusdem Abrahae posteritatem numerosam (XIII, 16), servitutem et

liberationem israelitarum (XV, 13 et sq.), Saram sterilem et anum parituram filium (XVIII, 19), etc.

2.° Moyses fuit legatus divinus etiam ut scriptor, ut in articulo proximo dicetur. Ergo ei credendum in his, quae narrat; Deus enim suo legato certe tribuit ea omnia quae illi ad munus suum rite obeundum erant convenientia.

**569**. *Prob.* 2.ª p. Veritates fundamentales sunt respicientes praecipua circa Deum, hominem et mundum, ut manifestum videtur. Atqui in revelatione primitiva continentur praecipua circa Deum, hominem et mundum. Ergo.

*Prob. Min. Continent praecipua circa Deum.* Ponitur Deus creator omnium (*Gen.* I), et ideo Dominus omnium, et a quo omnia dependent, quique omnia destruere potest, ut per diluvium ostendit; providus, remunerans bonos et puniens malos (IV, 4, et sq.), et promittens remedium hominibus ad salutem consequendam (*Gen.* III, 15; XXII, 18, etc.); unus, quia aliter non esset creator et dominus omnium; evehens hominem ad finem supernaturalem. Quod in Genesi homo ponatur ad finem supernaturalem elevatus, eo elucet, quia praeter praecepta naturalia datum est illi praeceptum positivum (II, 17), donum immortalitatis et immunitatis a concupiscentia (II, 17; III, 7 et sq.), Deus se revelat Adamo et patriarchis modo visibili, ac proinde supernaturali, et promittit remedium supernaturale, quale est conterere caput diaboli.

Dices.—In primitiva revelatione Deus non ponitur unus; nam ponitur ut Deus israelitarum tantummodo. Praeterea Deus vocabatur *Elohim*, quod est nomen plurale, et ideo pluralitatem deorum significat.

*Resp. N. Assert.* et ex dictis contrarium liquet. Etiam in revelatione posteriore seu mosaica Deus veluti limitatur, quum vocatur Deus Israel, Deus Jacob, etc.; et nihilominus his locutionibus non significatur esse unum Deum Israel, alium ceterarum gentium; nam in *Deut.* IV, 35, dicitur: *Ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius praeter eum.* Et eodem loco, VI, 4: *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Unde si dii gentium aliquando vocantur tales, et opponuntur Deo Israelis, hoc fit loquendo juxta gentium opiniones. Similiter Jephte, *Jud.* XI, 24, non agnoscit ut verum Ammonitarum Deum, sed argumentatur ad hominem contra regem Ammon. Quod ad alterum attinet, Deus hebraice vocatur *Elohim*, numero plurali, ad significandam infinitam Dei majestatem et perfectionem: unde numero plurali verbum in singulari jungi solet.

*Continet praecipua circa hominem.* Nam homo ponitur a Deo creatus, in illo anima non procedit a materia (II, 7), sed est *spiraculum vitae* a Deo immediate productum, quo animae spiritualitas et immortalitas indicatur, praesertim quum *vita* et *anima vivens* in plantis et animalibus a terra produci dicatur (I, 11, 12, 20, 21, 24). Accedit quod homo est factus prae ceteris rebus ad imaginem et similitudinem Dei (I, 26, 27); hoc vero non potest accipi de corpore, in quo est similis aliis animantibus, neque de anima, nisi esset spiritualis et immortalis, quia secus ea esset similis animabus brutorum. Eadem animae spiritualitas et immortalitas significatur in morte Abrahae, quum dicitur (*Gen.* XXV, 8) *Congregatusque est ad populum suum*, quod quidem non potest intelligi de morte, de qua est sermo postea, sed de anima congreganda cum aliis animabus. Vide *Deut.* XXXII, 50.

Praeterea in variis Genesis locis traditur Deus adorandus, eique obedientia praestanda, reverentia erga parentes, amor fraternus etc. Indicantur quoque praemia aeterna et similiter poenae; nam hoc ex animae immortalitate deducitur, et a Jacob (*Gen.* XLVII, 9) vita praesens vocatur *peregrinatio.* Atque praemia indicantur supernaturalia juxta dicta supra.

*Continet praecipua circa mundum.* Nam hic ponitur a Deo creatus, et saltem ea qua sunt in terra producta in bonum hominum et usum (I, 28 et sq.).

**570.** *Prob. 3.ª p.* Ut dictum est d. 2, c. 2, a. 2, n. 366, omnes gentes sunt benedicendae per bona spiritualia a Messia afferenda, ac proinde per religionem christianam complendum est, quod saepe in Genesi traditur a Deo promissum.

Dices 1.°—In revelatione primitiva continentur plura, quae rectam non habent explicationem, ut de tentatione Evae per serpentem, de poena inflicta serpenti, de diluvio et de arca, de linguarum multiplicatione, de speciali Abrahae electione, de praecepto immolandi filium Isaac, de circumcisione, etc. Ergo, revelatio primitiva non est existimanda divina.

*Resp. N. Assert.* S. Scripturae interpretes abunde declarant singula, quae contra primitivam revelationem opponuntur, et ideo illis relicta copiosiore earum rerum declaratione, hic pauca et brevissime dicam.

**571.** *De tentatione Evae.* Daemon utens serpente ut instrumento Evam in malum inducere procuravit, neque hac in re ostendi aliqua repugnantia potest, si admittantur puri spiritus, alii boni, mali alii, quorum repugnantia et non existentia ostendi non potest.

Quod si lingua serpentis ad vocem humanam imitandam apta non sit, potuit daemon in serpente manens sonos vocem humanam imitantes per aerem efficere. Spiritus malus assumpsit aliquod animal, ut Evae loqueretur, quia in se est invisibilis, et tunc non erant homines praeter Adamum et Evam, et ideo hominis formam convenienter sumere non poterat, neque res inanimae sunt idoneae ad actus vitae manifestandos. Nullatenus vero admitti potest Moysen existimasse animalia loqui; etenim magnum discrimen hominem inter et cetera animantia statuit (I, 26 et sq.), et asserit (II, 20) non esse adjutorem similem Adamo; haec autem non starent, si cetera animalia loquerentur et rationem haberent. Moyses quidem expresse loquitur tantum de serpente, verum ideo hoc facit, quia describit ea, quae externe apparuerunt. Denique serpens vocatur *callidior,* tum quia est animal calliditatem manifestans, tum praesertim ratione daemonis, qui in illo inerat.

*De serpentis punitione.* Licet serpens omni culpa caruerit, tamen quia daemonis instrumentum fuit, ut Eva in peccatum perduceretur, ideo etiam punita fuit: tum ut gravitas delicti magis manifestaretur, tum quia animalia sunt propter homines, et saepe ejus sortem sequuntur.

*De diluvio et arca.* Quum Deus sit infinite potens, certissime potuit diluvium absolute universale efficere, et multiplicare tot miracula, quot ad illum effectum fuissent necessaria, neque hac in re repugnantia ostendi potest; verum jam communior catholicorum sententia est diluvium non fuisse absolute universale, qua limitatione posita multo minus ostendi potest diluvium aut repugnans, aut convenientem explicationem non sustinens.

**572.** *De linguarum multiplicatione.* Nihil inde contra primitivam revelationem erui potest; tum quia post plura millia annorum, quae a tempore aedificationis turris Babel usque ad nos transierunt, tantas transformationes necessario subierunt linguae, praesertim quum homines in regionibus valde diversis et distantibus habitaverint, ut modo certo definire, utrum unam originem communem habuerint, necne, impossibile videatur; tum quia Deus linguas plane diversas hominibus infundere potuit, et etiam linguas aliqua communia habentes; tum denique quia confusio linguarum (*Gen.* XI) potuit esse defectus concordiae inter aedificatores, et propter discordias coacti, ab aedificatione cessare potuerunt.

*De Abrahae electione.* Deus, utpote absolutus Dominus, potuit specialiter eligere Abraham eique benefacere, neque ideo reddita est pejor ceterarum gentium conditio, imo specialis Abrahae electio

fuit, ut in ejus semine omnes gentes benedicerentur, prout liquet ex testimoniis allatis n. 366.

*De praecepto immolandi Isaac.* Homines sane victimas humanas immolare licite nequeunt, quia non sunt domini vitae aliorum hominum; sed Deus est Dominus omnium hominum, et ideo occisionem alicujus praecipere potest.

*De circumcisione.* Circumcisio posita fuit a Deo, ut traditur in *Gen.* XVII, 10 et sq., in signum foederis Deum inter et Abraham hujusque posteros; et quum hoc foedus principaliter contineret promissionem prolis quam maxime multiplicandae et benedictionum in omnes gentes per eamdem prolem afferendarum, convenienter signum imprimebatur in ipsis membris ad generationem destinatis, quodque ordinari etiam poterat ad illa sanctificanda, et ad necessitatem concupiscentiae fraenandae denotandam.

**573.** Dices 2.° — Moyses tradit quidem creationem rerum omnium a Deo factam, sed non asserit eam fuisse notam Adamo aliisque patriarchis. Ergo ex narratione creationis inferri nequit Adamum aliosque patriarchas cognovisse unitatem Dei et immortalitatem animae.

*Resp. D. Ant.:* Moyses explicite non asserit Adamum aliosque patriarchas cognovisse res omnes a Deo creatas, *C.;* hoc non infertur ex narratione, quae habetur in cap. I et II *Gen.* Neg. Nam ex his, quae ad finem cap. I traduntur, apparet Deum revelasse Adamo se esse Dominum viventium, et consequenter ceterarum rerum; ex quo etiam colligitur Deum fuisse omnium creatorem. Ex his, quae v. 18 et sq. c. II narrantur, infertur quoque Adamum cognovisse se non habere similem inter animalia, quod non esset verum, si fuisset mortalis et materialis sicut cetera. Praeterea Moyses videtur narrare creationem rerum et ipsius hominis ex traditione ab antiquis accepta, neque eam esse rem illi recenter revelatam significat.

## ARTICULUS II

### De revelatione mosaica

**574.** *Praemitt.* Revelatio mosaica praeter primitivam complectitur eam, quae Moysi facta. Moyses, ut notum est, fuit dux populi in eductione ex Aegypto et in peregrinatione per desertum. In hac

peregrinatione Moyses ut Dei legatus populo intimavit doctrinam et leges a Deo per revelationem acceptas. De hac igitur revelatione agitur in praesenti, utrum fuerit vere divina, necne. Altera quaestio hic tractanda est, utrum religio vel revelatio mosaica duratura sit usque ad finem mundi, an per aliam sit perficienda et substituenda. In utraque quaestione responsio affirmativa historice est certa, et theologice de fide.

### Thesis I.

**Revelatio seu Religio Mosaica fuit vere divina.**

**575.** *Prob. 1.º* Moyses tradit se a Deo missum, atque ab eo accepisse legem et doctrinam, quam populo intimavit. Atqui hoc Moysi testimonium verum est. Ergo. Major ex multis Pentateuchi locis est manifesta. V. gr., ex *Exod.* III, *Deut.* VI, 1, ubi dicitur: *Haec sunt praecepta, et ceremoniae atque judicia, quae mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos, et faciatis ea...* Minor igitur probanda est.

*Prob. Min. a)* Quae Moyses de sua legatione divina, de praeceptis et doctrina asseruit, eadem Deus, Moyse ut instrumento adhibito vel ejus precibus annuendo, miraculis confirmavit. Atqui miracula, ut constat ex disceptatis d. 1, c. 2, a. 4 efficaciter ostendunt vera ea, pro quorum veritate confirmanda efficiuntur. Ergo.

*Prob. Maj.* Deus fecit signa coram populo per Moysen et Aaronem (*Exod.* IV, 30), convertit virgam in colubrum (VII, 10), aquam fluvii in sanguinem (VII, 20), maximam ranarum copiam repente suscitavit (VIII, 6), e pulvere subito prodierunt sciniphes totam terram Aegypti replentes (VIII, 17), post sciniphes induxit plagam muscarum, his successit repentina occisio equorum, jumentorum aliorumque animalium, et ita porro usque ad decem plagas inductas modo manifeste superante vires naturae sensibilis, et plures earum ita sunt factae, ut sola virtute divina effici potuissent. Praeter haec plura alia in Pentateucho leguntur miracula, ut transitus maris Rubri, clades repentina Core, Dathan et Abiron, quos devoravit terra (*Num.* XVI, 31 et sq.), etc.

Atque hujusmodi miracula facta sunt ad legationem divinam Moysi confirmandam. ut constat ex his, quae traduntur in *Exod.* IV, 1-10; VII 1-10; *Num.* XVI, 28 et sq. etc. Praeterea quum Moyses se legatum Dei esse affirmaret, eo ipso omnia miracula patrata ab eo ut Dei instrumento vel causa morali suam legationem, saltem indi-

recte, confirmabant; atque revera omnia haec miracula, praeterquam quod nonnulla vires totius naturae, saltem ratione modi, superant, facta sunt vel a Deo vel a bonis angelis, quia ducebant ad Deum colendum et ad vitam rite instituendam.

*b) Ex Moysi vaticiniis.* Legatio divina Moysi vaticiniis quoque confirmata est. Ergo revera Moyses agebat ut Dei legatus, quum vaticinia falsum confirmare nequeant, ut dictum est d. 1. c. 2, a. 5; et si agebat ut Dei legatus non poterant non esse vera et sancta, quae ab illo docebantur et praecipiebantur; aliter Deus in falsum et malum inducere posset.

*Prob. Ant.* In *Lev.* XXV, 21 dicitur: *Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum.* Hoc est verum vaticinium, quum a sola libera Dei voluntate dependeat ita ordinare causas naturales, ut sexto quoque anno fructus ad tres annos colligerentur, atque ideo hoc a solo Deo praedici poterat. Item praedicitur *Exod* XXXIV, 24: *Nullus insidiabitur terrae tuae, ascendente et apparente in conspectu Domini tui ter in anno.* Hoc, quum a causis liberis pendeat, jam elucet, esse strictam prophetiam. Similiter praedixit prosperitatem temporalem populo israelitico si legem servaret, contra innumera mala si illam infringeret, ut habetur in *Deut.* XXVIII, XXIX et XXXII. Haec autem vaticinia impleta fuisse ex historia populi hebraei constat; quod vero in confirmationem legationis Moysi effecta sint, patet quum directe tendant ad probandam legem, quam Moyses ut Dei legatus tulit.

Praeterea plura alia vaticinia edidit Moyses, ut finem et initium plagarum *(Exod.* VIII, 11; X, 4) Aegyptiorum interitum *(Exod.* XIV, 13), pluviam manna *(Exod.* XVI, 4), israelitas qui ex Aegypto exierunt, praeter Caleb et Josue, non esse ingressuros terram promissam *(Num.* XIV, 30), punitionem Core, Dathan et Abiron *(Num.* XVI, 30), etc., quae quidem omnia, saltem indirecte, ejus missionem divinam patefaciunt. Et hae omnes prophetiae re ipsa superant vim intellectus humani, ac proinde fuerunt a Deo vel a bonis angelis, quum in bonum ducerent.

Atque miracula et prophetiae ostendunt Moysen fuisse Dei legatum non modo ad populum docendum, legesque ferendas verbo, sed etiam scripto; tum quia ejus legatio non traditur limitata, tum quia Deus sicut illi praecepit alloqui populum, sic etiam scribere sua mandata, ut elucet ex *Exod.* XVII, 14; XXXIV, 27; tum denique quia Moyses utroque medio indiscriminatim usus est, prout eruitur ex *Exod.* XXIV, 3-8; *Deut.* XXXI, 12 et sq.

*c)* Moyses nec fuit deceptor, nec deceptus. Ergo ei suam lega-

tionem divinam testanti credemdum est. *Prob. Ant.* Non fuit deceptor; nam hoc repugnat ipsius sanctitati; manifestatur enim vir pius et magnum habens zelum divinae gloriae et observantiae totius legis, ut elucet ex *Deut.* IV et V, et ex multis aliis Pentateuchi locis. Accedit quod ab hebraeis constanter habitus est ut vir sanctus et justus, ut eruitur ex *Fl. Josepho.* Ant. jud. lib, 1. prooem., 1, 4. c. 8, n. 49; Contr. App. 1. 2. nn. 15 et 16, etc.: et quum Moyses fuisset vir publicus et omnibus notus, non ea fuisset communis judaeorum existimatio, si revera non fuisset vir justus. Non fuit deceptus; quia quum esset vir valde prudens et sapiens, non poterat ignorare, utrum a Deo delegatus esset, necne.

**576.** 2.° In lege mosaica continentur omnes veritates speculativae et practicae, quibus homo vitam suam rite instituere, et omnia officia erga Deum, alios homines et seipsum adimplere possit. Atqui propositio harum omnium veritatum suadet revelationem Moysi esse divinam; nam nullus philosophorum, licet plures fuerint sapientissimi, omnes illas veritates potuit invenire, ac proinde si Moyses illas invenit, hoc revelationi Dei tribuendum. Accedit quod Moyses non solum illas veritates proposuit, verum etiam illas populo suasit, atque hic in perpetuum illas retinuit, quod certe nullus philosophorum consequutus est, et idcirco Moyses auxilio divino hoc obtinuit, quo veritas revelationis mosaicae ostenditur.

*Prob. Maj.* In lege seu revelatione mosaica continetur Dei existentia, unitas, omnipotentia, ac proinde omnis perfectio (*Gen. I*, *Deut. IV*, 35 et sq; X, 14 et sq.); homo a Deo creatus constans anima spirituali et immortali, ordinatus ad finem supernaturalem et habiturus praemium aut punitionem in altera vita, ut constat ex dictis de revelatione primitiva, ex qua etiam constat omnes res esse a Deo creatas. Immortalitas animae eruitur quoque ex *Num.* XXVII, 13 et ex *Deut* XXXII, 50, ubi asseritur Aaronem et Moysen post mortem fuisse junctos populis suis; hoc vero non potest accipi de corpore, quum neuter sepulturam acceperit, ubi reliquus populus esset sepultus, ac proinde ad animam refertur, quae post separationem a corpore ad unum locum cum aliis animabus perrectura erat. Immo nisi animae immortalitas esset communis hebraeorum persuasio nec Moyses (*Deut,* XVIII, 11) prohibuisset, ne consulerentur mortui, nec Saul (*I Reg.* XXVIII, 11) perrexisset ad pythonissam, ut suscitaretur Samuel, nec Jacob (*Gen.* XXXVII, 35) dixisset *descendam ad filium meum in infernum.* Deinde omnia officia erga Deum, alios homines et seipsum accurate traduntur ut elucet ex *Exod.* XX, *Deut*, V, etc. Speciatim officia erga proximum statuuntur in *Lev.* XIX, 9 et sq.

Denique leges mosaicae caerimoniales et civiles nihil divina revelatione indignum continent, sed omnia praecepta legis mosaicae ad gloriam Dei conducunt, quo interventus diabolicus in ejus revelatione excluditur.

**577.** 3.° In libris Josue, Judicum, Regum et Prophetarum continentur quoque plura miracula et vaticinia nonnulla in favorem populi hebraei, et omnia facta per illos, qui diligenter servabant legem mosaicam eamque ut divinam habebant. Ergo revera ut divina habenda est; aliter Deus modo tam extraordinario non favisset populo hebraeo, et praesertim illis, qui in lege observanda ut divina erant diligentiores.

**578.** Dices 1.°—Miracula et prophetiae Moysi naturaliter explicari possunt: sic, v. g. in Aegypto solebat evenire aliquid simile plagis a Moyse narratis, transitus per mare Rubrum potuit esse effectus aestus maris accedentis et recedentis, etc. Ergo nihil ex miraculis et vaticiniis Moysi colligitur.

*Resp. N. Ant.* Si enim attendatur textus mosaicus, neque illi violentia fiat, neque ad arbitrium addatur et dematur, miracula et prophetiae commemorata admittenda sunt ut vere talia, saltem ut superantia vires naturae sensibilis. Quod vero Moyses fideliter narraverit res, prout evenerunt, eruitur ex hoc, quod ipse erat vir sanctus et justus, ut dictum est; quodque ea scripsit, quae coram multis evenerunt, et narrat etiam ei contraria. Plagae igitur et alia miracula et prophetiae a Moyse narrata ut vera admittenda; quia textus veritatem dicit, et sensus obvius textus ea esse miracula et prophetias, naturam saltem sensibilem excedentia, requirit. Speciatim plagae in Aegyptum inductae a voluntate Moysi et Aaronis dependebant, et ideo non erant naturales, et ipsi magi exclamaverunt *Digitus Dei est hic* (*Exod.* VIII, 19): item transitus per mare Rubrum si fuisset ratione accessus et recessus aestus marini, Aegyptii non periissent, utpote qui optime novissent accessum aestuum maris. Simile quid de ceteris miraculis in Pentateucho narratis dicatur.

**579.** Dices 2.°—Moyses tribuit Deo propria rerum corporearum, ut habere odoratum (*Gen.* VIII, 22), brachium (*Exod.* VI, 6), etc.; item poenitere (*Gen.* VI, 6), irasci (*Deut.* XI, 17), etc. Ergo Moyses veram Dei notionem non habebat.

*Resp. N. Ant.* Locutiones enim illae adhibentur a Moyse metaphorice, easque usurpat, ut imperfecto hominum concipiendi modo se accommodet. Etenim constat Moysen tribuere Deo omnem perfectionem, quum faciat illum creatorem omnium (*Gen.* I; *Exod.* XX, 11), atque ideo omnipotentem, unicum (*Deut.* IV, 35, 39; VI, 4,

XXXII, 39), existere a se (*Exod.* III, 14), immutabilem (*Num.* XXIII, 19), etc. Speciatim Deus per Moysen judaeis prohibuit, quominus sibi *sculptile vel similitudinem* (*Deut.* V, 8) facerent, ne daretur occasio putandi Deum esse corporeum.

**580.** Dices 3.°—Hebraei ex Aegypto proficiscentes aegyptios spoliaverunt (*Exod.* XII, 36), quod Moyses non improbavit, immo praecepit fieri (v. 35). Ergo non omnia praecepta mosaica erant justa.

*Resp. N. Ant.*, si de spoliatione injusta intelligatur; nam hebraei sumpserunt sibi vasa argentea et aurea vestesque aegyptiorum ex divina concessione, ut eruitur Exod. XI, 2 et III, 22; Deus autem, siquidem est Dominus omnium, ea concedere hebraeis poterat.

**581.** Dices 4.°—In lege mosaica Deus ponitur crudelis; nam punit filios propter parentum peccata (*Exod.* XX, 5), et jubet occidere omnes incolas terrae hebraeis promissae. Ergo.

*Resp. N. Ant.* Ad probationes quod attinet, ad primam dico filios non puniri propter sola parentum peccata, sed si ea imitentur. Deinde occisio incolarum terrae promissionis etiam justa fuit, quia Deus voluit illos deleri, tum ad iniquitates eorum puniendas (*Deut.* IX, 4, 5), tum ne hebraeos in sua vitia inducerent (*Deut.* XX, 18). Occisio quoque infantium jussu Dei fieri potuit, quum Deus sit Dominus vitae; et aliunde illi infantes, quum ad adultam aetatem pervenissent, possent insurgere contra hebraeos ad suos parentes vindicandos; neque eorum vita sine multis hebraeorum incommodis conservari poterat. Accedit quod filii ante usum rationis modo speciali considerantur ut aliquid parentum, et ideo Deus ob horum punitionem voluit quoque infantes occidi.

**582.** Dices 5.°—Lex mosaica servitutem permittebat. Sed haec est contra jus naturale. Ergo.

*Resp. C. Maj.* et *N. Min.* Servitus quidem juri naturali est minus conveniens, sed non ostenditur illi repugnans, dummodo justis de causis introducatur, et non se porrigat nisi ad obligationem serviendi hero in perpetuum in rebus licitis, ac proinde servi non habeantur ut res, sed ut personae. Ex Pentateucho colligitur sortem servorum inter hebraeos fuisse meliorem, quam inter gentes, nec dominos illos occidere. (*Exod.* XXI, 26) licebat.

## Thesis II.

### Lex mosaica a Messia abroganda erat.

**583.** Nota.—Lex mosaica ponitur abroganda, quatenus tradebat praecepta distincta a jure naturali; lex enim naturalis abrogari

nequit. Haec thesis ita explicata historice certa est, et theologice de fide.

*Prob. 1.°* ex Jeremia adducto n. 406, ubi propheta praedicit absolute futurum novum foedus, prout ibidem ostensum. Quod vero sit a Messia abroganda, eruitur ex *Isa.* XLII, 6 et XLIX, allatis nn. 405 et 408, ubi Messias ponitur auctor foederis, quod quidem non potest esse nisi novum.

2.° ex *Deut.* XVIII, 15 et sq., ubi Messias dicitur futurus legislator sicut Moyses, ut probatum est n. 402 et sq.; Moyses vero novam legem induxit. Ergo similiter Messias, atque ideo veterem abrogavit; quia si haec perseverasset, quum etiam ad minuta se porrigeret, non fuisset ratio novae legis ferendae.

**584.** Dices.—Lex mosaica dicitur duratura in aeternum. Ergo non erat abroganda.

*Resp. D. Ant.:* lex mosaica dicitur duratura in aeternum, quatenus praecepta legis naturalis continebat, et respectu rei per illam figuratae. C., quatenus praecepta distincta a lege naturali habebat, et quatenus erat figura, N. Praecepta legis naturalis, quae a lege veteri confirmabantur, semper permanebunt, et sub hoc aspectu etiam lex vetus. Deinde haec etiam durabit usque in finem mundi ratione rei figuratae, sc., legis novae, cujus vetus erat figura. Praeterea durare in aeternum non semper sumitur ad significandam permansionem sine fine, aut usque in finem mundi, sed aliquando sumitur ad significandum tempus diuturnum, seu longam permansionem, quae quidem significatio ex adjunctis colligenda est.

*Coroll.* Ergo lex vetus confirmat veritatem novae, et etiam Messiae, prout ex prophetiis ostensum est d. 2, c. 2, a. 2 et sq.

**585.** *Observa.* Quum Jesus Christus sit verus Messias, ut probatum est d. 2, c. 2, a. 5, lex mosaica jam pridem abrogata est. Aliunde quum Messias secundum legem mosaicam sit legislator universalis, ut infertur ex dictis n. 388 et sq., cui omnes homines subjici debent, colligitur judaeos debere agnoscere Jesum Christum, eique obedire; aliter enim salutem consequi non possunt. Atque hoc ipsum constat, quia religio christiana est vera, ut probatum est, et ea tradit necessarium esse ipsam amplecti et profiteri ad salutem consequendam, ut eruitur ex *Marc.* XVI, 16; *Joann.* III, 18; *Act. Ap.* IV, 12, etc.

# CAPUT II

## De falsis religionibus

### ARTICULOS I

### De polytheismo in genere

**586.** *Praemitt 1.º* Non est scopus hujus articuli et duorum sequentium explicare originem singularum religionum, et earum historiam accurate contexere; sed per characteres et notas earum notiores breviter demonstrare falsitatem omnium religionum distinctarum a christiana et mosaica. Plures saeculo proxime transacto et actuali operam dederunt maxima diligentia investigationi originis et historiae sucessivae usque ad praesens singularum religionum: unde rationalistae conati sunt ostendere omnes religiones, originem mere humanam habere, omnemque revelationem esse repudiandam. Verum quam falsum hoc sit, ex disputatis hucusque liquet.

**587.** *Praemitt 2.º* Polytheismus, ut ipsum nomen (*a* vocibus graecis πολύς multus, et θεός Deus) indicat, est religio, qua plures dii coluntur, vel saltem non unicus. Ut ex historia constat, ante Christum omnes populi praeter israelitas plus minusve a Dei unitate agnoscenda recesserunt. Tamen polytheismus innumeras habuit formas et modos colendi deos: in diversis regionibus et gentibus erant dii diversi nomine, natura et numero, et similiter diversus cultus: sed omnes plusquam unum Deum admittebant. Polytheistae ut deos coluerunt non modo solem, lunam, ceteraque astra; heroes aliosque homines aliqua qualitate eminentes; verum etiam res terrestres ratione carentes, ut animalia, plantas, ignem, idola, non ut deorum repraesentationes, sed ut deos, etc. Haec postrema polytheismi species vocatur *fetichismus*.

*Praemitt. 3.°* In praesenti etiam polytheismus viget in Africa, Asia et Oceania. In Asia praecipue dominantur brahmanismus et buddhismus. De hoc in proximo articulo sermo erit. Brahmanismus etiam admittit plus quam unum Deum, nam praeter Brahma absolutum, ens indeterminatum, a quo omnia per emanationem procedunt, ponit ut minimum duas alias divinitates, in quibus Brahma fit personalis, una masculina, altera feminina; sed revera plures alios deos etiam admittit. In brahmanismo praeter polytheismum plures aliae falsitates continentur, ut pantheismus, metempsychosis, diversae hominum origines, etc. Inter persas quoque habetur saltem dualismus, unum principium bonorum (*Ormuzd*), et alterum malorum *(Ahriman);* verum plures quoque alii dii et boni et mali admittere videntur. Vide *P. Lahousse,* De ver. rel. d. 4, c. 5, a. 3.

## Thesis I.

**Polytheismus sub qualibet forma est falsa religio.**

**588.** *Prob. 1.°* Illa religio est falsa, quae cultum et caeremonias habet ordinata ad rem falsam. Atqui polytheismus sub qualibet forma habet cultum et caeremonias ordinata ad rem falsam; ordinantur enim ad colendos plures deos, qui non existunt; nam ut in philosophia demonstratur, unicus est Deus. Ergo. Major vero est manifesta, quia eo ipso, quod cultus et caeremoniae ad rem falsam referantur, tota religio falso fundamento nititur, ac proinde est falsa.

2.° Deus colendus est, prout ipse jubet; quia est omnium creator et absolutus dominus; nam eo ipso quod sit unicum ens a se, cetera entia sunt creata et omnino dependentia ab unico ente a se, seu a Deo. Atqui polytheismus sub qualibet forma Deum non colit, prout ipse jubet; nam Deus vult coli, prout ipse praescripsit per veram revelationem, quae est christiana, ut probatum est, et nulla polytheismi forma Deum colit, prout a revelatione christiana praescribitur. Ergo quaelibet polytheismi forma est religio falsa, quia non tribuit Deo cultum, qui ei tribuendus est.

**589.** Dices—Ethnici colebant Deum, prout ipsi colendum existimabant. Ergo eorum religio erat vera.

*Resp. Trans. Ant.* et *N. Cons.* Religio enim objective sumpta, de qua hic agitur, est cultus et honor Deo debitus; cultus vero et honor, qui falsis diis tribuuntur non sunt debiti, quia rei falsae et non existenti nihil debetur, et ideo talis religio est falsa, quia debet tribuere

cultum et honorem vero Deo, et tribuit falsis. *Trans.* tamen *Ant.*, quia si ethnici sumebant deos falsos ut veros, hoc erat ex ignorantia culpabili, et quia passionibus ducebantur; quocirca non ex persuasione perfecta veritatis cultum impertiebant, cui non debebatur.

*Observa.* Argumenta allata contra polytheismum eamdem vim retinent contra dualismum, seu admittentes tantum duos deos, ut consideranti patebit.

## Thesis II.

**Polytheismus non fuit religio primitiva, sed ex hominum culpa originem duxit.**

**590.** *Prob. 1.ª* p. 1.° Ut probatum est in cap. praeced, a. 1. Adamus, primus homo, ut ex narratione mosaica omnino fide digna colligitur, cognovit unum Deum omnipotentem, quam doctrinam non potuerunt non accipere ejus posteri immediati. Ergo primitiva religio monotheismum, non polytheismum continebat. Et quidem in Genesi fit mentio Dei omnipotentis in ipso initio generis humani, idololatriae vero nonnisi multo postea.

2.° Documenta antiqua populorum, quo magis ad primitivam originem accedunt, majora monotheismi vestigia continent, ut testantur qui investigationi harum rerum operam dederunt. Ergo his indicatur primitivam religionem docuisse monotheismum.

Dices.—Vox qua Deus nuncupatur in antiquissimis indorum libris significat splendidum. Ergo indi in temporibus remotissimis adorarunt lucem vel astra, ac proinde non cognoverunt unicum Deum verum.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Imprimis, ut eruditi contestantur, libri indorum ad tempora antiquissima non pertinent. Deinde, licet vox, qua apud illos Deus in temporibus antiquissimis nominaretur, significaret *splendidum;* non inde colligitur per eam significari aliquid materiale; nam ens prorsus spirituale recte vocatur lux et splendidum in ordine spirituali, sicut veritas vocari solet lux mentis.

**591.** *Prob. 2.ª* p. Homines initio, ut probatum est, cognoverunt unicum Deum verum. Ergo si ab hac notitia postea defecerunt, fuit propter eorum culpam. *Prob. Cons.* Nam, quum primi homines verum Deum cognoverint, posteri ab illis veram Dei notitiam accipere poterant. Ergo si illam non acceperunt, fuit propter eorum culpam; quia omnes homines debent verum Deum cognoscere et colere; ab illo enim omnino dependent ut a suo auctore et conservatore.

*Coroll.* Ex dictis colligitur falsum esse, quod plures increduli et rationalistae ut axioma accipiunt, videlicet religionem primigeniam fuisse omnium imperfectissimam, et deinde saeculorum decursu perfectiorem evasisse, et tandem ad monotheismum pervenisse.

## ARTICULUS II

### De Buddhismo

**592.** *Praemitt.* 1.° Specialis articulus de Buddhismo instituitur, quia nonnulli increduli saeculo transacto ausi sunt illum Christianismo aequiparare, imo contendere hunc ex illo multa hausisse. Verum quam falsa haec sint, ex simplici Buddhismi expositione manifestum erit. Atque imprimis advertere oportet libros de Buddha editos, fuisse scriptos post saecula saltem aliqua, imo juxta plures post quinque vel sex saecula ab illius morte: unde ex illis non potest haberi certitudo de vita et doctrina Buddhae, quum post plura saecula ab ejus morte facile fuerit multa esse efficta circa ejus vitam, et multa addita vel immutata in ejus doctrina. Aliunde non habentur documenta certiora circa Buddham, quam sint libri, qui de illo conscripti sunt. Quocirca quae de ejus vita dicentur, non illis tribuitur perfecta certitudo; neque doctrina buddhistica exponetur tanquam certo tradita ab ipso Buddha, sed ut doctrina Buddhae vel ejus sectatorum. Inde jam elucet immerito conferri Evangelia catholicorum cum libris buddhistarum; nam Evangelia fuerunt scripta, quo tempore adhuc existebant qui Christum cognoverant; sed libri Buddhistarum sunt scripti, quum non essent testes vitae Buddhae. Ex quo etiam colligitur constare de vita Christi, non item de vita Buddhae; unde etiam ex hac parte nequit una vita cum altera conferri.

**593.** *Praemitt.* 2.° Nomen Buddhae fuit *Siddhartha Guatama,* e tribu Çakya, unde vocatus est quoquc *Çakya-Mouni*, i. e. asceta Çakya; natus est saeculo VI vel V ante aeram christianam. Adhuc juvenis reliquit palatium et regnum paternum, et confugit ad philosophos Brahmanos; verum horum insufficientia cognita, in solitudinem recessit, ubi per plures annos meditationi se tradidit. Postea publice apparuit, et suam doctrinam docere coepit, se nominavit

Buddham, i. e., illuminatum, sapientem, atque quadraginta annis et amplius Indiam cum suis discipulis peragravit, suamque doctrinam valde propagavit.

## Docrina Buddhae

*a*) *Circa Deum.* Buddhae tribuitur nihil de Dei existentia dixisse, imo eam negasse, similiterque non admisisse necessitatem sacrificii et precum. Verum saltem tempore posteriore buddhistae in polytheismum inciderunt, et sacrificia et preces admiserunt, et suum Buddham aliosque deos adoraverunt.

*b*) *Circa mundum.* Admittit materiam aeternam, quae per leges necessarias et evolutiones in mundum transformetur, atque iterum in primitivum statum revertatur, ut rursus ad mundum constituendum deveniat, et sic jugiter.

*c*) *De doctrina speculativa circa hominem.* De hominum origine nihil dicit buddhismus, sed statuit homines subjectos esse continuis transformationibus ratione metempsychosis, atque ab statu animalis posse extolli ad statum hominis, imo et Dei; sed iterum potest dari lapsus, et qui erant dii, possunt redire ad statum animalis. Sola acquisitio sapientiae, per quam quis fit Buddha seu sapiens et illuminatus, liberat a continuis transformationibus et a metempsychosi; et tunc obtinetur *nirvana*, seu perfecta quies. In quo consistat *nirvana*, non constat; alii dicunt consistere in hoc, quod quis in nihilum vertatur, alii in confusione cum ente universali, sicut gutta aquae cum mari confunditur, alii denique in felicitate. Verum haec felicitas in doctrina buddhistarum explicari nequit, praesertim quum juxta ipsos non potest quis pervenire ad *nirvana,* nisi per exstinctionem omnis sensus, nec ipsi explicent quid remaneat omni sensu extincto.

*d*) *De doctrina practica circa hominem.* Doctrina negativa est homines debere abstinere ab homicidio, furto, ebrietate, maledicentia, invidia, odio etc. Pars positiva est amare alios homines, et eorum salutem procurare, i. e. eos inducere ad *nirvana* vel saltem ad statum meliorem. Unusquisque debet reprimere suas concupiscentias et conari, ut perfecte abstrahatur a mundo sensibili et a se ipso. Quum quis pervenerit ad exstinctionem omnis desiderii et sensus, fiet immunis a metempsychosi, et perveniet ad *nirvana.*

THESIS.

**Buddhismus omnino repudiandus est.**

**594.** *Prob.* 1.° Buddhismus non agnoscit unum creatorem omnium, et a quo omnia conserventur et dependeant, ut ex ejus expositione liquet. Atqui confessio unius Dei creatoris omnium, et a quo omnia conserventur et dependeant est veritas fundamentalis cujuslibet verae philosophiae et religionis; quia sicut Deus est primum ens et fundamentum et auctor ceterorum, sic est quod confitendum et primario agnoscendum est. Ergo Buddhismus, qui veritatem fundamentalem et primariam non agnoscit, omnino repudiandus est.

2.° Buddhismus ponit materiam necessariam et ex se existentem, et per evolutiones necessarias ex illa prodire mundum; item hominem non habere originem a causa externa, et per transformationes ex animali fieri transitum in hominem et etiam in Deum. Atqui haec sunt absurda et prorsus rejicienda. Ergo. *Prob. Min.* Tum quia ponitur materia a se et necessaria, et simul contingens, siquidem mutationibus et evolutionibus subjicitur: haec autem contradictoria sunt; tum quia materia, utpote imperfectissima, non potest continere mundum multo perfectiorem, ac proinde neque in illum per evolutiones pervenire; neque ex animali potest prodire homo multo perfectior.

3.° Licet in Buddhismo commendetur aliqua moralitas certusque modus recte operandi, tamen nulla ponitur moralitatis regula, nullus stimulus bene agendi, neque bona operatio ducit ad veram felicitatem; etenim *nirvana*, quidquid sit, non potest esse vera felicitas, quum ad hanc requiratur aliquod objectum, quod hominem beet; buddhismus vero nullum objectum beans designat, sed ad felicitatem requirit cessationem omnis desiderii et sensus; mera autem cessatio neminem felicem reddit. Ergo buddhismus repudiandus est. Accedit quod in Buddhismo non reprobatur polygamia et polyandria, et ex eo quod homo ponatur ut existens a se et independens a Deo, non potest non incidere in superbiam et alia vitia.

**595.** *Coroll.* Ex dictis colligitur quam immerito Christianismus sit ab incredulis comparatus cum Buddhismo; nam Christianismus agnoscit unicum Deum omnipotentem, omnium creatorem et conservatorem; ex divinis praeceptis perfecte statuit hominis officia erga Deum, alios homines et se ipsum, atque omnia in Deum esse referenda; et ponit finem hominis ultimum et perfectam beatitudinem in

consecutione Dei, qui est omne bonum; nihil his simile adest in Buddhismo. Ex quo etiam colligitur Christianismum, quum sit a Buddhismo totus diversus, ab hoc originem non ducere. Praeterea Christus et Apostoli, si res modo mere humano consideretur, ut faciunt rationalistae, non potuerunt scire doctrinam Buddhae, quum valde remoti fuerint ab illis regionibus, ubi Buddhismus erat notus, neque judaei cum illis aliquam habuerint communicationem; idcirco non potuerunt aliquid a Buddhismo accipere.

Dices.—Buddhismus celeriter propagatus est. Ergo sicut ex celeri Christianismi propagatione, ipsius origo divina demonstratur, idem de Buddhismo sentiendum.

*Resp. C. Ant.* et *N. Cons.* Divina Cristianismi origo ex ejus celeri propagatione demonstratur, quatenus haec divino auxilio tribuenda est, et naturaliter explicari nequit; celeris autem Buddhismi propagatio divino auxilio tribui non potest, quia Deus suo auxilio propagationem doctrinae falsae, qualis est Buddhismi, nullo modo juvare potest, et ideo talis propagatio causis naturalibus attribuenda est. Quaenam istae causae fuerint, non tam facile definitur; tamen ad hanc concurrisse videntur non ponere diversas hominum classes per ipsam nativitatem, ut faciebant brahmani, concedere amplam sentiendi libertatem, inducere ad otium, quod valde amant orientales, permissio polygamiae et polyandriae, principum favor et denique defectus oppugnationis. Ex hoc defectu adhuc perseverat Buddhismus valde diffusus, sed manet cum professione polytheismi et in statu abjectionis.

## ARTICULUS III

### De Mohammedismo

**596.** *Praemitt. 1.°* *Mahomet* vel potius *Mohammed* natus est in Arabia anno 570. Fuit pastor et mercator, atque viduam divitem in matrimonium sibi copulavit. Nullam aut fere nullam instructionem litterariam accepit, sed notiones religionis a suis popularibus, inter quos erant polytheistae, judaei et christiani, deprompsit. Coepit suam doctrinam divulgare primo privatim, deinde publice; sed quum ejus concives eam recipere nollent, e sua patria Mecca Medinam

confugit. Medinenses ejus doctrinam facile receperunt, et eorum ope Mohammed suam religionem per Arabiam propagavit, et deinde per alias regiones, praesertim in Asia et Africa. Mohammed suam religionem vocavit *Islam* (submissio), unde Mohammedismus vocatus est etiam islamismus.

**597.** *Praemitt 2.°* Antequam mohammedismus rejiciatur, ejus doctrinam exponere necesse est.

*Doctrina Mohammedis speculativa.* Mohammed admittit unicum Deum creatorem omnium, sed Trinitatem personarum et Incarnationem negat. Admittit spiritus bonos et malos; item animae immortalitatem, et licet videatur tribuere homini liberum arbitrium, etiam statuit omnia ex decreto Dei evenire necessario, plures homines ad aeternam damnationem ex sola Dei voluntate esse destinatos. Beatitudinem post hanc vitam maxima ex parte in voluptatibus carnis reponit. Concedit Moysen et Jesum Christum fuisse vere prophetas a Deo missos, verum contendit ipsum fuisse majorem prophetam illis, imo prophetam per antonomasiam. Est effatum inter mohammedanos hoc, sc. est unus Deus seu unus Allah, et Moha mmed ejus propheta. Liber *Alcoran* juxta mohammedanos est opus divinum, et ceteros libros sacros valde superat.

*Dactrina Mohammedis practica.* Praescribit preces, jejunia, ablutiones, eleemoysnam et peregrinationes, praesertim ad fanum Meccae. Prohibet vero choreas, musicam, vinum, carnem suinam, imagines, etc. Sed nullam docet concupiscentiae et affectuum internorum refrenationem, permittit polygamiam, i. e. habere quatuor uxores et tres concubinas, divortium ad mariti arbitrium, non exigit sacrificia et satisfactiones pro peccatis, etc. Valde commendat *bellum sanctum,* seu contra non profitentes Mohammedismum, in quo bello devicti saepe cogebantur ad Mohammedismum sub poena mortis amplectendum, et generatim concedit facere servos religionem suam non amplectentes.

### Thesis.

**Mohammedismus est falsa religio.**

**598.** *Prob.* 1.° Mohammed se ipsum venditavit ut prophetam maximum, ut ex Alcorano constat. Atqui non fuit talis propheta. Ergo. *Prob. min.* Non fuit talis natura sua, quia nullus homo ex se habet tale munus, quum hoc a libera Dei voluntate dependeat. Sed nec fuit talis ex divina delegatione; quia si Deus illum constituisset talem,

id aliquo modo ostendisset, ut ab hominibus cognosci posset; secus enim divina delegatio esset inutilis. Atqui nullo vero signo ostensum est Mohammedem esse prophetam verum, et multo minus supremum prophetam. Nullum namque verum miraculum, nulla vere prophetia, quae certo cognosci possint, ad legationem Mohammedis probandam effecta sunt. Non adest testimonium martyrum, nec mores boni inducti, nec sanctitas Mohammedis; erat enim vir libidinosus, plures habens uxores et concubinas; imo sibi attribuens potestatem assumendi omnes mulieres, quas vellet. Neque apparitiones Gabrielis, quas sibi tribuit, possunt demonstrari; rapida vero Mohammedismi propagatio explicatur, tum quia satisfactioni passionum indulgebat, tum quia vi homines ad illum amplectendum adigebantur. Miracula et prophetiae, quae Mohammedi attribuuntur, non demonstrantur historice vera; et si aliqua essent vera, non superant vires maligni spiritus.

2.° In Mohammedismo plura continentur falsa. Sed religio falsa continens non est vera seu divina, quum Deus auctor falsitatis esse nequeat. Ergo. *Prob. maj.* Mohammedismus docet aliquos necessario incurrere damnationem, constituit hominis felicitatem maxima ex parte in voluptatibus carnis, permittit plures habere uxores et concubinas, probat bellum contra non mohammedanos, ut vi adigantur ad Mohammedismum amplectendum, generatim concedit facere servos homines non mohammedanos, etc. Atqui haec omnia sunt contra rectam rationem, ideo falsa. Ergo.

3.° Mohammedismus pessimos fructus induxit, qui consequuntur polygamiam, concessionem servitutis, necessitatem absolutam ex divinis decretis, etc. Ergo est falsus.

4.° Alcoranus, liber summe sacer juxta mohammedanos, scatet contradictionibus, ut facile ostendi posset, et sufficit in praesenti dicere in illo agnosci Jesum Christum ut verum prophetam, et simul Mohammedem ut majorem illo. Jam vero si Jesus Christus est verus propheta, religio ab eo fundata est vera, et mohammedismus illi oppositus falsus; item si Jesus Christus est verus propheta, quum se ipum faceret Deum, est verus Deus, et ideo Mohammed major illo esse nequit. Ergo non est liber divinus, nec religio, quae illum ut fundamentum accipit, est divina.

Atque haec tractatui de *vera religione* finem imponant.

A. M. D. G.

# Index Scriptorum memorati in hoc opere


Aegidius Romanus, n. 52.
Ambrosius (S. et D.), nn. 46, 176, 336.
Anselmus (S. et D.), n. 176.
Archelaus, n. 402.
Aristoteles, nn. 56, 124.
Arnobius, nn. 125, 260, 529, 544.
Arriaga, nn. 22, 25.
Athanasius (S. et D.), n. 402.
Athenagoras, nn. 271, 537.
Augustinus (S. et D.), nn. 45, 46, 47, 54, 125, 176, 177, 178, 181, 211, 221, 225, 233, 298, 323, 341, 362, 402, 468, 529, 534, 537, 542, 544, 549, 552, 556.

Balmes, n. 537.
Barnabas, n. 270.
Baur (Ferdinandus Christ.), n. 263.
Bellarminus, n. 219.
Benedictus XIV, nn. 172, 182, 227, 231.
Berti, nn. 22, 25.
Billuart, nn. 22, 129.
Blanch, n. 172.
Blondel, n. 256.
Bossuet, nn. 121, 488.
Bougaud, n. 256.
Broglie, n. 488.

Caillard, n. 488.
Cajetanus, n. 219.
Cantú (Cesare), n. 121.
Casajoana, n. 122.
Casanova, n. 172.
Celsus, nn. 268, 289.
Chrysostomus Joannes (S. et D.) nn. 176, 221, 323, 328, 341, 402, 534.
Cicero, nn. 47, 54, 56, 120, 122, 123, 232,
Claudius Apollinaris, n. 288.
Clemens Alex., nn. 46, 125, 265, 276, 281, 282, 287, 308, 362, 383, 402, 468, 474.
Clemens Rom. (S.), nn. 270, 280, 519, 537, 542.
Condamin, n. 449.
Corluy, nn. 378, 399, 473, 488.
Cornely, nn. 274, 283, 285, 292, 308, 311, 498.
Cyprianus (S. et M.), nn. 125, 265, 308, 324, 402, 542, 547, 552, 556.
Cyrillus Hier. (S. et D.), n. 402.
Cyrillus Alex. (S. et D.), n. 176.

Diodorus Siculus, n. 123.
Dionysius Alex., n. 537.
Doctrina duodecim Apostolorum, n. 270.
Durandus, n. 219.

Egger, nn. 172, 488.
Epiphanius (S.), nn. 289, 290, 402.
Estius, n. 172.
Eusebius Caes., nn. 221, 264, 268, 269, 276, 279, 281, 290, 297, 307, 318, 335, 344, 362, 383, 402, 439, 468, 514, 517, 519, 531, 532, 537, 542, 543, 548, 549.

Fasolus, n. 22.
Fernandez, nn. 22, 172, 506.
Ferrariensis, n. 190.
Ferreres, n. 333.

Franzelin, n. 129.
Frassen, n. 22.

Gaudentius Brix., n. 402.
Gotti (Card.), n. 219.
Gottlob Paulus (Henri-Eberhard), n. 263.
Gregorius Naz. (S. et D.), n. 46.
Gregorius Nys. (S.), n. 402.
Günther, n. 87.

Hermas Pastor, nn. 288, 519, 532.
Hermias, n. 125.
Hergenroether, n. 121.
Hettinger, n. 72.
Hieronymus (S. et D.), nn. 61, 233, 270, 279, 298, 303, 370, 375, 388, 465, 472, 474, 546.
Hilarius (S. et D.), nn. 125, 544.
Hippolytus, n. 468.
Hooke, nn. 172, 488.
Horatius, n. 123.
Hummelauer, nn. 221, 399.

Ignatius (S. et M.), nn. 270, 288, 309, 532, 544, 548, 556.
Irenaeus (S.), nn. 260, 265, 266, 268, 269, 270, 276, 279, 281, 282, 284, 287, 289.

Jamblichus, n. 122.
Joannes a S. Thoma, nn. 22, 25
Josephus (Flavius), nn. 283, 312, 318, 334, 360, 362, 458, 465, 497, 514, 517, 536, 537, 575.
Jungmann, nn. 69, 101, 172, 187.
Justinus (S. et M.), nn. 125, 260, 265, 270, 277, 279, 280, 283, 284, 288, 290, 309, 324.
Juvenalis, nn. 123, 536.

Knabenbauer, nn. 283, 292, 313, 378, 474, 488.
Kurth (G.), n. 121.

Lactantius, nn. 64, 120, 123, 125, 221, 318, 402, 519, 529, 537, 543, 544.
Lagrange, n. 388.
Lahousse, nn. 256, 587.
Lambrecht, nn. 253, 257, 488.
Legrand. n. 488.
Leland, n. 121.
Le Nourri, n. 536.
Ligorius (S. Alphonsus M.), n. 53.
Loisy, n. 263.
Lugo (Card.), nn. 25, 129, 219, 223.
Luken, n. 72.

Martin (Abbé Iules), n. 297.
Mastrius, n. 22.
Mayr, nn. 22, 25.
Mazzella, nn. 115, 129, 172.
Memain, n. 488.
Mendive, n. 172.
Methodius, n. 402.
Michelitsch, n. 488.
Millius, n. 304.
Minutius Felix, nn. 125, 221, 523, 527, 529, 537, 544.
Mir (Joannes), nn. 221, 488.
Murillo, nn. 172, 292, 298, 311, 378, 399, 402.
Muratorius, n. 265.

Origenes, nn. 118, 260, 265, 268, 276, 289, 308, 318, 336, 338, 340, 342, 402, 468, 517, 519, 523, 527, 529, 561.
Ottiger, nn. 115, 172, 187, 212, 226, 253, 257.

Pantaenus, n. 269.
Papias, nn. 269, 275.
Patritius, nn. 399, 402.
Pesch (Christianus), nn. 263, 488.
Petavius, nn. 22, 46.
Philastrius, n. 402.
Philo, n. 362.
Philosophumena, nn. 268, 282, 289.
Plato, nn. 122, 123, 124.
Plinius (junior), n. 520.
Plinius (mayor), n. 123.
Polycarpus (S. et M.), nn. 270, 280, 309.
Prudentius, n. 542.

Quadratus, n. 318.
Quintilianus, n. 47.

Reville (Albert), nn. 256, 297, 515.
Ripalda, nn. 56, 57, 58, 129, 219.
Rohrbacher, n. 222.
Ruinart, n. 543, 547.

Sabatier (Auguste), nn. 67, 69, 515.
Salmanticenses, nn. 129, 184, 219, 227, 231.
Schouppe, n. 172.
Scotus (Joannes Duns), nn. 52, 219.

Semeria, n. 310.
Seneca, nn. 56, 123, 536, 537.
Socrates (historicus), n. 222.
Strauss (David-Fridericus), n. 263.
Suarez, nn. 25, 64, 129, 157, 172, 178, 184, 219, 221, 223, 227, 229, 230, 231, 336, 338.
Suetonius, nn. 221, 283, 360, 529, 537.
Sulpicius Severus, nn. 542, 544.
Sylvius, nn. 227, 230.

Tacitus, nn. 123, 221, 283, 360, 520, 537, 542, 543.
Tanner, nn. 22, 25, 227.
Tanquerey, nn. 69, 172, 488.
Tatianus, n. 125.
Tepe, n. 488.
Tertullianus, nn. 46, 125, 176, 222, 260, 265, 266, 276, 282, 283, 298, 308, 335, 402, 468, 490, 519, 523, 529, 532, 537, 543, 544, 545, 561.
Theodoretus, nn. 125, 176, 439, 474, 542, 544.
Theophilus Antioch. nn. 125, 260, 270, 280, 287, 290.
Thierry (Augustinus), n. 256.
Thomas (S. et D.), nn. 22, 24, 25, 45, 52, 54, 56, 61, 88, 110, 117, 171, 177, 178, 183, 184, 186, 189, 197, 198, 199, 211, 217, 219, 221, 227, 229, 230, 231, 238, 338, 356.
Thomasini, n. 46.
Titus Botrensis. n. 402.
Toletus, nn. 22, 219.

Urraburu, n. 172.

Valentia, n. 219.
Valerius Maximus, n. 537.
Van Noort, n. 488.
Van-Wendingen, nn. 72, 172, 187.
Varro, n. 123.
Vazquez, nn. 22, 25.
Vigouroux, nn. 101, 263, 283, 311.
Wilmers, nn. 55, 69, 72, 115, 157, 165, 167, 172, 187, 212, 226, 248, 249, 253, 257, 336, 488.

Zaccherini, n. 257.
Zigliara (Card.), n. 172.

# Index alphabeticus rerum praecipuarum

(Indicantur numeri marginales)


**Actus Apostolorum** est liber genuinus, n. 306 et sq.; quae ejus genuinitati opponuntur, declarantur, n. 311 et seq.

**Apologia** seu scientia apologetica: ejusdem variae methodi, n. 256; methodus tenenda n. 258 et sq. Vide theologiam fundamentalem.

**Auctoritas Jesu Christi** veritatem religionis christianae multum suadet, n. 505 et sq.

**Authentia:** ejus etymologia, quid sit, n. 261.

**Buddhismus,** n. 591; ejus doctrina, n. 593; omnino repudiandus, n. 594.

**Catholici** numquam possunt habere justam causam deserendi religionem, n. 163.

**Certitudo:** quid sit; ejus divisio in absolutam et respectivam, n. 155; in metaphysicam, physicam et moralem, n. 156; intra eundem gradum potest esse major et minor, ibidem; certitudo revelationis debet esse saltem moralis, ut adsit obligatio ejusdem amplectendae, nn. 157, 159 et sq., certitudo distinguitur ab evidentia, n. 155.

**Corruptio** alicujus libri quid sit; utrum etiam vocetur interpolatio, mutilatio, n. 261.

**Criteria revelationis:** eorum definitio, n. 164, eorumdem divisio in interna et externa, n. 165; sensibilia, et insensibilia, ibidem; in negativa et positiva, n. 166; criteria positiva sunt potiora negativis, n. 167 et sq.; et externa sensibilia ceteris, n. 169; criteria probabilia convenienter adjunguntur certis, n. 170. Vide etiam n. 240 et sq. necnon n. 256 et sq.

**Daemones:** eorum mira discerni possunt a miraculis, n. 204; ejecti sunt a Jesu Christo, nn. 317 d) et 324.

**Doctrina Jesu Christi,** sive speculativa sive practica, veritatem religionis christianae valde suadet, n. 509 et sq.; non est deprompta ex aliis religionibus, nn. 513, 514; neque ex evolutione, n. 515; nec progressui materiali opponitur, n. 516.

**Doctrina vera ut cognita** est aliquod criterium verae religionis, sed non primarium, n. 243 et sq., doctrinae evidens falsitas aut repugnantia cum bonis moribus est criterium negativum certum doctrinae non revelatae, n. 241 et sq.

**Ecclesia catholica** ex libris N. T. historice consideratis ostenditur vera religio a Christo fundata, n. 554 et sq.; id ipsum habetur ex ejusdem admirabili conservatione, n. 558; et ex variis ipsius notis, n. 561; et ejus dogmata sunt vera, n. 565; et ideo divina traditio Deum habent auctorem, ibidem et n. 566.

**Ethnici** non patrarunt miracula, n. 220 et sq.; eorum mores perversi, nn. 123, 545.

**Evangelium:** ejus etymologia, n. 262; quid sit, ibidem; quatuor Evangelia sunt genuina, n. 264 et seq.; sunt integra et veridica, n. 300 et seq.

**Evangelium** *secundum Matthaeum* speciatim ostenditur genuinum; n. 269 et sq.; etiam duo priora capita sunt genuina, n. 273; non contradicit tertio, n. 272.

**Evangelium** *secundum Marcum* speciatim ostenditur genuinum; n. 275 et sq.; etiam ultimum caput inte-

grum ut genuinum habendum est, n. 279.

**Evangelium** *secundum Lucam* speciatim ostenditur genuinum, n. 280 et sq.; explicatur descriptio Cyrini, n. 283; duo priora capita etiam sunt genuina, n. 284; et etiam vv. 43 et 44, cap. 22; ibidem.

**Evangelium** *secundum Joannem* est genuinum, n. 287 et sq.; ejus auctor est S. Joannes Apostolus, n. 290; est liber vere historicus, n. 291; non est contrarium aliis Evangeliis, n. 292 et sq.; λόγος Joannis non est λόγος Philonis n. 297; est genuinum quoad omnes ejus partes, n. 298.

**Evangelia synoptica.** Vide synoptica.

**Evolutionismus,** nn. 188; 256 f), 515.

**Experientia interna** et gratus animi sensus propter aliquam doctrinam est criterium insufficiens n. 246 et sq.

**Finis** hominis supernaturalis. nn. 94, 131; qua ratione finis supernaturalis ab homine desideretur, n. 133.

**Genuinitas;** utrum distingnatur ab authentia, n. 261.

**Haeretici** non habent veram theologiam supernaturalem, n. 19; non fecerunt miracula pro sua doctrina, n. 222.

**Hypnotismus** non patrat vere miracula, n. 210; ei tribui nequeunt Christi miracula, n. 319.

**Illustrationes intellectus** et motiones voluntatis, si certo cognoscantur ut divinae, sunt criterium certum, n. 253 et sq.; non sunt tamen primarium, n. 255.

**Immanentia** ut methodus apologeticae refutatur, n. 256 e), f).

**Impotentia metaphysica,** physica et moralis, n. 112.

**Indifferentismus:** quid sit; ejus divisio in absolutum et relativum; univer salem et particularem, n. 135; ejusdem refutatio, ibidem et n. 154.

**Inquisitio** verae revelationis per se facienda est ab illis, qui eam ignorant, n. 136 et sq.; haec autem inquisitio facienda non per examen philosophicum, n. 144 et sq., nec per experientiam subjectivam, n. 148 et sq., sed per signa externa, n. 150 et sq.

**Integritas** quid sit; ejus divisio in substantialem et accidentalem, n. 261.

**Jesus Christus** est persona vere historica novam religionem fundans, n. 314, hujus divinitatem miraculis probat, n. 316 et sq., speciatim sua resurrectione, n. 338 et sq.; item prophetiis, n. 492 et sq.; item suis moribus, n. 502 et sq., et auctoritate, n. 505 et sq., et doctrina, n. 509 et sq.; est Messias judaeis promissus, n. 481 et sq., et ideo legatus Dei, n. 491.

**Lex mosaica** erat data tantum pro israelitis, n. 363; erat divina, n. 575 et sq.; sed abroganda a Messia, n. 583.

**Magnetismus** non patrat vera miracula, n. 210; ei non possunt tribui Christi miracula, n. 319.

**Martyrium:** ejus etymon et definitio, n. 541; ut testimonium et ut importans virtutem supra vires humanas, ibidem; est eximius fructus religionis christianae, ibidem; semen est christianorum, n. 544 c); ipsius causa, n. 545.

**Martyres christiani:** eorum multitudo, n. 542; erant omnis conditionis socialis et acerbissima tormenta tolerabant, n. 543, eorum virtutes, n. 544; confirmant religionis christianae veritatem ut testes, n. 546; et ut exercentes virtutem supra humanas vires, n. 547; eorum constantia non explicatur per solas causas naturales, n. 548 et sq.

**Messias:** nominis etimologia; quis sit, n. 359; ejus expectatio, n. 360; orta ex Sacris Litteris, n. 361; Messias cum variis characteribus praedictus in V. T., n. 365 et sq.; contriturus caput serpentis, n. 367; allaturus benedictionem omnibus gentibus, n. 368 et sq.; nasciturus Bethlehem, n. 372; ex stirpe Davidis, n. 373; ex virgine, n. 374 et sq.; habiturus praecursorem, n. 381, futurus humilis et mitis, n. 382 et sq.; rex, n. 388 et sq., sed spiritualis, n. 400; legislator, n. 402 et sq.; propheta, n. 407; servus Dei, n. 408; filius hominis, n. 412; verus Deus,

n. 414 et sq.; sacerdos, n. 420; multa miracula patraturus, n. 423; acerbissimam passionem et mortem subiturus, n. 426 et sq.; resurrecturus, n. 442 et sq.; regnum sanctum et universale habiturus, n. 447 et sq.; venturus ante ablationem sceptri a Juda, n. 456 et sq.; intra septuaginte hebdomadas, n. 462 et sq.; ingressurus templum hierosolymitanum, n. 473 et sq.

**Miraculum:** ejus etymologia, n. 171; varia ipsius nomina, ibidem; debet superare vires totius naturae creatae, n. 172 et sq.; ejusdem difinitio, n. 184; falsae miraculi notiones, n. 187; miraculi divisiones variae, n. 189 et sq.; miracula sunt possibilia, n. 192 et sq.; non repugnant divinis decretis, n. 196; nec divinae sapientiae, n. 197; nec constantiae et uniformitati naturae, nn. 198, 199; non sunt contra legem naturalem, n. 200; miracula sunt certo cognoscibilia, n. 201 et sq.; enodantur ea quae opponuntur, n. 207 et sq.; miraculorum finis, n. 211; miracula certo probant veritatem religionis in cujus favorem fiunt, n. 213 et sq.; solvuntur ea quae opponuntur, n. 218 et sq.

**Miraculum morale:** quid sit, n. 190; est cognoscibile, n. 210; et efficax ad probandam veritatem religionis, n. 226.

**Miracula secundum quid:** de eorum efficacia, n. 206.

**Miracula Jesu Christi** narrata in Evangeliis, n. 317, re ipsa evenerunt n. 318, sunt vere miracula, n. 319, et probant veritatem religionis christianae, n. 320; non explicantur naturaliter, nn. 321, 325; neque illorum veritati obstat incredulitas judaeorum, n. 328.

**Modernismus:** quid sid, n. 256 f), non inservit scientiae apologeticae, ibidem; ejusdem methodus apologetica refutatur, ibidem; negat de miraculis et prophetiis constare historice, n. 188; modernismi fundamentum, ante n. 54 in nota.

**Mohammedismus,** n. 596; ejus doctrina, n. 597; est religio falsa n. 598.

**Mores boni** seu fructus ex aliqua doctrina derivati sunt aliqua criterium verae revelationis, n. 249 et sq.; sed secundarium, n. 251; mores boni etiam in uno solo, n. 252.

**Mores** inducti a religione christiana veritatem ipsius ostendunt, n. 536 et sq.

**Mors Christi** fuit vera, n. 330 et sq.; declarantur ea quae in oppositum afferuntur, n. 333 et sq.

**Mysterium:** quid sit, n. 66; ejusdem falsae acceptiones, n. 87. Mysteria naturaliter non demonstrantur neque existentia, neque possibilia; verum nec possunt demonstrari repugnantia, nn. 88, 89 et sq.; si dentur, revelari possunt immediate et mediate, n. 97 et sq.

**Natura:** variae ipsius acceptiones, nn. 56 et 57.

**Natura humana** est quidem perfectibilis, sed non continuo in perfectione progreditur, n. 130.

**Naturale:** quid sid, nn. 58, 60.

**Necessitas metaphysica,** physica et moralis, nn. 37, 112.

**Obligatio revelationis** inquirendae et amplectendae, nn. 134, 136 et sq., 152 et sq.

**Philosophi** insufficientes ad docendam viam recte vivendi, n. 119 et sq.; ipsi necessitatem revelationis tradunt, n. 122; eorum errores, n. 123; praesertim Aristotelis et Platonis, n. 124.

**Philosophia:** ejus utilitas, imo necessitas ad Theologiam, n. 46.

**Polytheismus** sub qualibet forma est religio falsa, n. 588, nec fuit religio primitiva, n. 590.

**Possibile** et possibilitas intrinseca et extrinseca quid sint, n. 68.

**Propagatio** celeris et mirabilis religionis christianae veritatem ejusdem confirmat, n. 521 et sq.; non explicatur per solas causas naturales, n. 525 et sq.; revera fuit celeris, n. 518 et sq.

**Prophetia:** ejus etimologia, n. 227; variae acceptiones ejusdem, ibidem; ipsius definitio, n. 228; subjectum et causa efficiens, n. 230; divisiones prophetiae ratione luminis, objecti,

medii et modi, n. 231; prophetia est possibilis, n. 232; certo cognosci potest, n. 234 et sq.; impleta et facta in favorem alicujus doctrinae eam veram certo probat n. 239; prophetia distinguitur á miraculo, n. 228.

**Prophetiae Jesu Christi** ejus divinam missionem ostendunt, n. 492 et sq.

**Prophetiae messianicae:** sunt editae multo tempore ante Christum, n. 362; quid requiritur, ut revera probent, 364; variae ex libris V. T. ex Gen. III, 14-15 de contritione capitis serpentis, n. 367; ex Gen. XVIII, 17-18; XXII, 16; XXVIII, 13-14, de omnibus gentibus benedicendis per Messiam; n. 368; ex Gen. XLIX, 10, de adventu Messiae, n. 455 et sq.; Num. XXIV, 17-19, de Messia rege, n. 399; ex Deut. XVIII, 15 et sq.; de Messia legislatore, n. 402 et sq.; et prophetа, n. 407; ex II Reg. VII, 12 et sq. de Messia rege, n. 399; ex Psal. II, de Messia rege, n. 388; item ex Psal. LXXI, n. 393; Psal. XXI, de passione Messiae, n. 434; Psal. XV, de Messiae resurrectione, n. 452; Psal. LXXXVIII, de Messia rege, n. 399; Psal. CIX, de Messia sacerdote, n. 420; ex Isaia, VII, 13, de virgine pariente, n. 374 et sq.; IX, 6-7, de Messia rege, n. 398, et Deo, n. 414; XI, 1 et sq.; de Messia ex stirpe Davidis, n. 373; XLII, 1 et sq. de Messia humili, n. 382; legislatore, 405, et servo Dei, n. 408; XXXV, 5-6, de Messia patraturo miracula, n. 423; LII, 13-LIII, de passione Messiae, n. 427 et sq.; item L, 6, n. 440; LIV, LV, LX-LXII, de regno messianico, n. 440 et sq.; ex Jeremia, XXIII, 5, de Messia ex stirpe Davidis, n. 373; ibidem de Messia rege, n. 398; XXX, 31, de Messia legislatore, n. 406, ex Daniele, VII, 13-14, de Messia ut filio hominis, n. 412, IX, 24 et sq., de septuaginta hebdomadis, n. 462 et sq., ex Michea, V, 2, de Messiae ortu, n. 372, ibidem de Messiae divinitate, n. 417; ex Zacharia, IX, 9-10, de Messia humili, n. 382, XI, 12-13, de Messiae venditione, n. 440, XII, 10, de Messiae confixione, ibidem. Aggaeus, II, 7-10, de Messia ingressuro templum hierosolymitanum, n. 475; denique ex Malachia, III, 1, de praecursore Messiae, n. 381, ibidem, n. 418, de Messia Deo; ibidem, n. 474, de Messia ingressuro templum hierosolymitanum.

**Rationalistae** quid sentiunt de Deo, de modo cognoscendi, de revelatione, nn. 67 et 69; rationalistae indifferentismum improbare non possunt, n. 135 in nota, quid sentiant de miraculis, n. 188; quid de quatuor Evangeliis sentiunt, n. 263.

**Religio:** ejus etymon, definitio, objective considerata, aut quatenus est virtus, nn. 54, 55. Ejus divisio in naturalem et supernaturalem, n. 55.

**Religio christiana** celeriter propagata est, n. 518 et sq.; maximam morum mutationem induxit, n. 535 et sq.; mirabiliter conservata est, n. 558 et sq.

**Religio christiana** variis motivis credibilitatis demonstrata vera est Ecclesia catholica, n. 554 et sq.; atque ex hujus conservatione, n. 558, et characteribus id ipsum confirmatur, n. 561.

**Religio mosaica** fuit divina, n. 575 et sq.; sed solos israelitas obligabat, n. 363, et a Messia abroganda erat, n. 583.

**Resurrectio Jesu Christi** fuit vera, n. 338 et sq.; demonstrat veritatem religionis christianae, n. 341 et sq.; solvuntur objectiones, n. 342 et sq.

**Revelatio:** ejus etymon, definitio, nn. 61, 62. Dividitur in activam, passivam et completam; in externam et internam; in imaginariam et intellectualem, n. 63. Item dividitur in immediatam et mediatam; in publicam et privatam, n. 64; in supernaturalem quoad modum et quoad substantiam, n. 65 et n. 67; revelatio est possibilis, n. 70 et sq.; etiam mediata, n. 76 et sq., imo convenientius fit mediate, dummo-

do ejus minister eam certo probet, n. 80 et sq. Huic positioni contraria solvuntur, n. 85 et sq. Revelatio est Deo conveniens, n. 102; item homini, n. 103 et sq., imo etiam mysteriorum revelatio, si haec dentur, est conveniens, n. 108 et sq., est homini moraliter necessaria respectu finis naturalis, n. 116 et sq., et absolute necessaria respectu finis supernaturalis, n. 131 et sq.

**Revelatio inquirenda** non per examen philosophicum, n. 144 et sq., nec per experientiam subjectivam, n. 148 et sq., sed per signa externa, n. 150 et sq., revelatio sufficienter proposita est amplectenda, n. 132 et sq., tum est sufficienter proposita, quum de ea certo constat, n. 155 et sq., et nonnisi quum de ea certo constat, n. 159 et sq.

**Revelatio primitiva** erat divina, n. 568, et praecipuas veritates complectebatur, n. 569 et sq., erat complenda per religionem christianam, n. 570, breviter declarantur ea, quae revelationi primitivae ut divinae opponuntur, n. 571 et sq.

**Sacra Scriptura** Deum habet auctorem, nn. 565, 566.

**Scientia:** variae ejus acceptiones, n. 22.

**Septuaginta** circa prophetiam Danielis, IX, 24, n. 472.

**Septuaginta** hebdomades Danielis IX, 24 quomodo in Jesu Christo impleantur, n. 487.

**Spiritismus** non patrat vera miracula, n. 210, ei tribui nequeunt Christi miracula, n. 319.

**Status naturae** purae et naturae lapsae, eorum discrimen, n. 127 et sq., in statu naturae purae homo posset etiam moraliter servare legem naturalem, n. 129.

**Supernaturale:** quid sit, nn. 59, 60. Ad supernaturalem finem hominem elevari non ostenditur repugnans. nn. 94, 95, 96.

**Synoptica Evangelia:** quaenam sint, et cur ita vocentur, n. 262, eorum similitudines et discrepantiae generatim declarantur, n. 285, item eorum apparentes contradictiones, n. 286.

**Testimonium** Fl. Josephi in favorem Jesu Christi, n. 517.

**Theologia,** ejus etymologia, definitio, ejusdem divisio: in naturalem et supernaturalem, nn. 2, 3, theologia supernaturalis, ejus definitio, n. 3. Ejusdem divisio: in speculativam et practicam, in positivam et scholasticam, in scripturalem, dogmaticam, moralem et scholasticam, a n. 3 ad n. 8, theologiae objectum materiale et formale, n. 10 et sq. Objectum formale Theologiae est deducibilitas ex doctrina revelata ut tali, n. 13, materiale, quidquid ex divina revelatione deducitur, n. 15, objectum attributionis theologiae, n. 16; Theologia assumit duas aut saltem unam praemissam revelatam, n. 18, considerari potest ut actus, et ut habitus, n. 21. Est scientia proprie talis, n. 23, habitus theologiae est naturalis, n. 26, contraria huic asertioni enodantur, n. 27 et sq. Theologia est excellentior aliis scientiis, n. 30, et ideo illis certior, n. 31 et sq., est sapientia, n. 34, et una, n. 35, et aliquo modo subalternata, n. 36, necessaria toti Ecclesiae, sed non singulis fidelibus, n. 38 et sq. Theologiae historia aetate Patrum, n. 51, medio aevo, n. 52, tempore posteriore, n. 53.

**Theologia fundamentalis,** ejus definitio, divisio, munus et criteria, nn. 8 et 9. Ejus objectum attributionis, n. 20. Est scientia, n. 29, est convenientissima, utilissima et necessaria, nn. 48 et 49.

**Theologia scholastica** est valde conveniens et utilis, n. 42 et sq., contraria huic assertioni declarantur, n. 45 et sq., non sufficit historia dogmatum, n. 44.

**Vita Jesu Christi** veritatem religionis christianae multum suadet, n. 502 et sq.

211.02
M 922

26893

MUNCUNILL, JOANES, S. J.

AUTHOR

Tractatus De Vera Religione

TITLE

| DATE LOANED | BORROWER'S NAME |
| --- | --- |
| | [illegible] |
| | [illegible] |
| | [redacted] |
| NOV 21 1986 | |

26893